# COMMENTARIUS THEOLOGICUS ET IURIDICUS IN TITULUM IURIS CANONICI DE...

Peter Binsfeld, Giovanni Battista Coccini

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
24 M
2

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13-23 H 5

Digitized by Google

*COMMENTARIVS*

# THEOLOGICVS ET IVRIDICVS IN TITVLVM IVris Canonici de Vſuris per quæſtiones & concluſiones reſolutorius.

AVCTORE

*PETRO BINSFELDIO Suffraganeo Treuirenſi, Doctore Theologo.*

PSAL. XIV.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? &c.

Qui iurat proximo ſuo, & non decipit: qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.

AVGVSTÆ TREVIRORVM.
Excudebat Henricus Bock, Anno
*M. D. CXI.*
*Cum Gratia & Priuilegio Cæſ. Maieſt.*

# EPISTOLA DEDICA-
## TORIA.

# REVEREN-
## *DISSIMO DOMINO*

*OCTAVIO, EPISCOPO TRI-
caricenſi, & ſanctiſsimi Domini noſtri
Clementis VIII. & ſanctæ ſedis Apoſto-
licæ in tractu Rhenano. Inferioriſque
Germaniæ & Belgarum prouincijs, Ci-
uitatibus, & locis omnibus, Nuncio cum
poteſtate Legati de Latere. Petrus Suf-
fraganeus Treuirenſis ſalutem &
perpetuam fœlicitatem à
Deo precatur.*

QVANTA ſit vſurarum iniquitas, Reuerendiſſime Domine, quæ hiſce infœliciſſimis temporibus dominante cupiditate omnium malorum radice vbique locorum ita inualuit, quod multi alijs laboribus & honeſtis negotijs prætermiſſis, quaſi licitè vſuras exerceant, vt verbis Canonis

vtar; non ſolum ij, qui Euangelica luce illuſtrati fuerunt, cognouerunt, ſed etiam antiquiores, quibus nulla ſcintilla Chriſtianæ Doctrinæ illuxit, ſecuti luminis naturalis principia, perſpexerunt. Vnde quidam eorum. Ad vſuram dare, eſſe hominem occidere, liberè pronunciauit. Alij gentilium legibus decreuerunt furem dupli, fœneratorem vero quadrupli eſſe condemnandum: tanto peiorem fœnus exercentem fure iudicarunt. Vt igitur fœnus pecuniæ, quod funus eſt animæ, teſte Leone Magno, longius ab omnibus, qui tam propriæ quam alienæ ſalutis curam gerunt, repellatur, rectiuſque illius natura, quæ ſæpe ſub colore charitatis & iuſtitiæ tegitur, atque in commercijs, quibus vita humana carere nequit, locum ſibi vendicat, cognoſcatur: Ne tempus mortalibus ad laborem cõceſſum otio periculoſo conſumerem, ſed cum vtilitate aliqua publica tranſigerem, quod publicis priuatiſque negocijs neceſſarium non fuit,

*Serm 6. de ieiunio decimi menſis.*

fuit impendi in colligendo ex diuerſis grauiſſimorum auctorũ tam Theologorum, quam Iuriſperitorum monumentis in titulum iuris Canonici de Vſuris commentario, in quo præcipua capita materię vſurarum, quæ longè lateque non ſolum in theoria, ſed etiam praxi diffunditur, per quæſtiones & concluſiones reſoluuntur. Hunc autem commentarium tibi, Reuerendiſſime Antiſtes, quod inſcribere decreuerim, fortaſſe miraberis: cauſas autem ſi cognoueris admirari deſines, & optimo iure factum intelliges. Gratitudo in primis poſtulat, vt memorem beneficiorum perceptorum aliquo publico teſtimonio me declarem. Cum enim Romæ in Collegio Germanico pietatis ſcientiæque domicilio ſtudia tam Philoſophiæ, quam Theologiæ, benignitate, munificentia ac liberalitate Summorum Pontificum maximè Gregorij XIII. fœliciſſimæ memoriæ, pro ingenij mei viribus, & donis ab altiſſimo ſine meis meritis

conceſſis, abſoluerim, tantumque profecerim, quantum argumenta, quę in publicam omnium notitiam prodeunt oſtendunt; merito ingratitudinis nota mihi inuri poſſit, ſi non tibi, qui iam aliquorum Maximorum Pontificum legati munere laborioſo quidem, ſed honorifico cum laude functus es, & adhuc confirmata voluntate Clementis VIII. ſummi in Eccleſia Monarchæ, in tot tumultibus bellicis, & errorum fluctibus apud noſtrates fungeris, hunc commentarium dedicarem, vt hoc exiguo literario dono, omnibus teſtatum relinquam, quantum debeam, ſemperque debebo, dum lucis vſura fruor, eis quorum beneficio profeci. His accedit, quod omnes, qui libros in lucem edunt, patrocinium clarorum & principum virorum, vt ab inuidis & maleuolis obtrectatoribus defendantur, requirunt: Quibus omnibus tuam auctoritatem oppono quæ ſpectabili pietate, conſtanti virtute, literarum ſcientia non vulgari, aliiſque tam

naturæ

naturæ quam gratiæ dotibus ornata eſt, ob quas à ſancta ſede Apoſtolica ad hanc legationem delectus es. Si igitur tibi, hic meus labor probabitur, omnibus bonis certè placebit, nec de Zoilo curandum erit. Accipe ergo ( Præſul Reuerendiſſime) hilari vultu ac ſerena fronte præſens perpetuæ meæ in te beneuolentiæ pignus: nec dedigneris pro amore tuo, quo patriam noſtram complecteris; collegium Germanicum in vrbe florentiſſimum Germanicæ Eccleſiæ ſeminarium tanquam rem vtiliſſimam, & ſummè neceſſariam patriæ hæreſeon & errorum monſtris afflictæ, vt experientia rerum omnium magiſtra in hac tua legatione luce meridiana clarius cognoſcis, Sanctiſſimo Domino noſtro Clementi VIII. Pontifici vigilantiſſimo commendare, vt ſuo fauore & continuo præſidio, vti incepit, non deſinat in neſtoreos, quos eidem opto, annos proſequi. Precor interim. Deum opt. Max. vt tuos labores pro Eccleſiæ & Reipub. vtili-

tate ſuſceptos ad nominis ſui gloriã fœliciter fortunet. Reuerendiſſimam Tuam paternitatem indies magis bonis omnibus accumulet, ac ad multos annos animi & corporis viribus fortem conſeruet. Treueris 16. Kalen. Mart. Anno Domini 1593.

# INDEX GENERALIS EORVM, QVÆ IN HOC COMMENTARIO TRACTANTVR

## RVBRICA CONTINET notabilia quindecim.

CVR *poſt titulum de raptoribus & furtis ſubiungatur titulus de vſuris.* *fol.1.*
2. *Qui Doctores de vſura tractauerint.* 2.
3. *Vſuræ nominis explicatio.* 3.
4. *Vſuræ, vt eſt peccatum, definitio.* 6.
5. *Quod omnis vſura conſiſtat in mutuo.* 9.
6. *Quid ſit mutuum.* 9.
7. *Mutui & commodati contractus conuenientia.* 12.
8. *Natura mutui, quod ſors poßit reuocari.* 13.
9. *Mutuum duplex eſt. Verum & palliatum.* 13.
10. *In contractibus diſcernendis non tam verba contrahentium, quam natura contractus, pacta & res ipſa attendenda.* 14.
11. *Vſura eſt duplex. Mentalis & Realis.* 15.
12. *Vſuraria mutuatio genere ſuo eſt peccatum mortale.* 17.
13. *Vſura prohibetur ſeptimo precepto Decalogi.* 21.

14. An crimen vſurarum merè ſit Eccleſiaſticum. 21.
15. Commentarium hunc communem eſſe tam Theologis, quam Iuriſperitis. 29.
Cap.1. Plures Clericorum. fol.30.

QVÆSTIONES II.

1. An & quomodo vſura committatur circa pignora. 33.
2. Quid iudicandum de cõtractibus, in quibus, qui mutuo dat pecuniam, recipit pignus frugiferum cum omni vtilitate, donec pecunia mutuo data reddatur, & quod talis contractus rectè vocetur Antichreſis. 43.
Cap.2. Quoniam non ſolum. 52.
Cap.3. Quia in omnibus. 53.

QVÆSTIO. IV.

1. An vſura iure naturali ſit prohibita. 54.
2. An vniuerſaliter in veteri teſtamẽto fuerit prohibita. 60.
3. An ſpeciali lege noui teſtamẽti ſit prohibita 65.
4. An vſura ſit iure ciuili prohibita. 66.
Cap.4. Super eo. 77.

QVÆSTIO. IV.

1. An liceat petere & recipere mutuum ſub vſura. 77.
2. Vtrum peccet, qui pecuniam in depoſitum apud vſurarium ponit. 83.
3. An vſura ſit licita ex teſtatoris voluntate. 85.
4. An tutor pecuniam pupilli poſſit ad vſuram dare, 88.

Cap.5.

Cap.5.*Cum tu.* 90

QVÆSTIO. IX.

1. *An per vſurarum receptionẽ transferatur dominium.* 94

2. *An lucrum vſurariũ ſit obnoxium reſtitutioni, & quicquid tali lucro partum eſt.* 96.

3. *Vtrum teneatur ad reſtitutionem emptor rei per vſuram extorta.* fol.103.

4. *An omnia bona vſurarij ſint tacitè hypothecata pro reſtitutione vſurarum.* 106.

5. *An vſurarius liberetur à reſtitutione, ſi mutuatarius ei remittat.* 109.

6. *Quando bona per vſuram acquiſita ſint pauperibus danda.* 114.

7. *An poßit dici legatum ad pias cauſas, quod relinquit vſurarius pauperibus vel pijs locu loco reſtitutionis.* 117.

8. *Vſura extorta in alienis partibus, cuius loci pauperibus ſint eroganda.* 123.

9. *Cuius expenſis facienda ſit vſurarum reſtitutio.* 125.

Cap.6.*In ciuitate.* 128.

QVÆSTIONES XVI.

1. *An liceat rem carius vendere, quã valeat.* 129.

2. *Vtrum in emptione & venditione liceat ſe mutuo decipere vltra dimedium iuſti pretij?* 146.

3. *An liceat rem credito carius vendere, quam pecunia numerata.* 163.

4. *An liceat rem minoris emere ob anticipatam ſolutionem.* 157

5. An

5. *An mutuans tempore caritatis annonæ frumentum æſtimatum pretio, quo tunc venditur cum pacto, quod tempore ſolutionis reddatur frumentum in valore, quo valebit, ſit vſurarius.* 183.

6. *Vtrum vendens domum, aut agrum, poßit pro parte pretij non ſoluti vſuras accipere ſine peccato.* 186.

8. *An contractus emptionis & venditionis cum pacto de retrouendendo ad voluntatem venditoris ſit licitus.* fol. 192.

8. *An princeps, vel Reſpub. pecunijs indigens poßit cogere ſubditos ad ſubueniendum, ita vt ipſis dentur 5. aut 6. ſingulis annis de 100.* 219.

9. *Quid nomine cenſus ſignificetur, & quotuplex &c.* 224.

10. *An cenſus perſonalis ſit licitus.* 233.

11. *An cenſus ad vitam emptoris ſit licitus.* 238.

12. *An licitè annui reditus redimibiles in pecunia ſoluendi conſtituantur, in qua quæſtione latißimè per multas cõcluſiones materia cenſuum reſoluitur.* 243.

Extrauagans Martini V. Regimini vniuerſalis, &c. 247.

Extrauagans Calixti III. Regimini vniuerſalis, &c. 250.

Bulla Pij V. Cum onus Apoſtolica, &c. 261.

Dubium 1. *An forma Pij V. de cenſibus vbiq; ſit ſeruanda.* 273.

Dubium 2. *An hæc conſtitutio Pij V. poßit tolli* into-

*in totum, vel in partem per contrarium vſum, vel non vſum.* *fol.278.*

*Sententia Doctorum in Concilio Conſtantienſi de cenſibus pecuniarijs.* *298.*

Dub 3. *An ſi in instrumento contractus ponatur vendidit verè & non ſimulatè, nec in fraudem vſurarum, &c. ſuſpicio ſit vſura.* *321.*

Dub.4. *Quis teneatur facere expenſas inſtrumēti emptionis annui reditus.* *321.*

*13. An ſit licitus cenſus irredimibilis.* *327.*

Dubium. *An quando dubium eſt, num cenſus annuus ſit redimibilis, vel irredimibilis, ſit cenſendus redimibilis vel contra.* *327.*

*14. Quodnam iuſtū ſit pretium annui reditus.* *331.*

Dub.1. *Quare cum olim empti ſint pro 100. octo vel 9. nunc iuſtè tantum 5. in quibuſdam partibus emantur.* *339.*

Dub.2. *An ſit reſcindendus contractus, quando non ſeruatur iuſta penſio.* *340.*

*15. An licitum ſit emere cēſum fructuarium.* *344.*

*16. Vtrum mons pietatis ſit licitus & iuſtus.* *352.*

*Bulla Leonis Decimi de monte pietatis.* *357.*

Cap.7. *Praterea parochianis.* *362.*

Cap.8. *Conqueſtus.* *fol.363.*

QVÆSTIONES III.

*1. An in mutuo liceat aliquid accipere vltra ſortem ratione damni emergentis ſiue intereſſe, & expenditur breuiter materia intereſſe.* *364.*

*2. An ratione lucri ceſſantis? & declaratur ratio lucri ceſſantis.* *371.*

*3. An*

3. *An ratione pœnæ conuentionalis liceat aliquid in mutuo exigere à moroſo debitore.* 381.

Cap.9.*Tua nos.* *fol.386.*

QVÆSTIONES .II.

1. *An & quomodo hæredes vſurarij teneantur ad reſtitutionem.* 387.

Dubium. *An ſi vnus hæredum reddatur impotens ad ſoluendum, alter teneatur in ſolidum reſtituere.* 391.

2. *Qui cooperantes vſurario teneantur ad reſtitutionem.* 394.

Cap.10.*Conſuluit nos.* 400.

QVÆSTIONES IV.

1. *An vſura mentalis obliget in conſcientia ad reſtitutionem.* 402.

Dub.1. *Cui vſurarius mentalis teneatur reſtituere.* 411.

Dub.2. *An liceat mutuo dare principi, vt gratiam eius conſequamur, & ea mediante officium aliquod, aut commodum temporale.* 413.

Dub.3. *Quare non tenetur ſimoniacus mentalis ad reſtitutionem ſi vſurarius.* 414.

2. *An liceat obligationem antidoralem pacto in ciuilem deducere.* 423.

3. *An ſit vſurarium, ſi quis mutuet, vt ad ſuũ molendinum veniat & molat præſuppoſita iuſta mercede pro labore.* 425.

4. *An ſit vſurarium mutuo dare Eccleſiaſtico prælato vt ſibi vel alteri beneficium Eccleſiaſticum conferat.* 430.

Cap.11.

Cap.11.*Quam pernitioſum.* 435.

Cap.12.*Poſt miſerabilem.* 437.

Cap.13.*Tuas dudum.* 438.

Cap.14.*Quia fruſtra.* 440.

Cap.15.*Cum in diœceſi.* 440.

QVÆSTIONES VI.

1. *Quis dicendus manifeſtus vſurarius, & quomodo probandum.* 441.

2. *An cap.hoc & cap.Quanquam,de vſur.in 6.intelligantur de eiſdem manifeſtis vſurarijs quo ad pœnas.* 449.

3. *Quæ nam ſint pœnæ cap.Quanquam, & re-requirantur, vt manifeſtus vſurarius eas euitet.* 451.

4. *An in foro Eccleſiaſtico, vſurarius, qui non eſt manifeſtus,de iure canonico poſſit puniri.* 460.

5. *An pœnæ Lateranen. Conc. de quib. hic agitur ſint latæ,vel ferendæ ſententiæ.* 464.

6. *Qui ſint vſurarij de lege ciuili puniendi.* 465.

Cap.16.*Salubriter.* 474.

QVÆST. VNICA. MVLTIS conclusionibus declarata.

*Quæ eſt ratio, cur gener non teneatur computare fructus pignoris in ſortem,& quouſq; hoc ſe extendat.* 475.

Dubium. *An quis poſſit filiam non aliter dotare, quam mutuando genero pecuniam,vt filiam ſine dote capiat.* 488.

Cap.17.*Michael.* 490.

Cap.18.*Quanto amplius.* 491.

Quæ-

## QVÆST. VNICA.

*An aliqua poteſtas poßit Iudæis concedere licentiam vſuras etiam moderatas exercendi, & latior materia de Iudæis traditur.* 492.

Cap. 19. *Nauiganti.* 517.

## QVÆSTIONES.

1. *An mutuans nauiganti, vel eunti ad nundinas pecuniam, vltra mare vehendam poßit ratione periculi aliquid vltra ſortem accipere.* 517.
2. *An liceat ſuſcipere in ſe periculum mercium per mare deferendarum.* 527.
3. *An fideiuſſor pro fideiußione paciſci, & à debitore aliquid recipere poßit.* fol. 530.
4. *An ludus ollæ ſeu fortunæ ſit licitus.* 534.
5. *An contractus vadiationis ſit licitus.* 550.
6. *An commodanti pecuniam ad oſtentationem liceat aliquod lucrum percipere.* 555.
7. *An contractus ſocietatis ſit licitus.* 558.
8. *An poßit quis pecuniam in ſocietatem exponere ſaluo capitali.* 565.
9. *An licita ſit ſocietas in animalibus.* 578.
10. *An qui bona fide facit aliquem contractum, quem putat eſſe iuſtum, licet verè ſit vſurarius, conſuetus tamen maximè in ea prouincia fieri, peccet?* 578.

COM-

# COMMENTARIUS IN TOTUM TITULUM IURIS CANONICI DE USURIS.

COLLECTURUS & æditurus in lucem commentarium in titulum iuris canonici de Vſuris: antiquorum Doctorum more quędam in Rubricam præmittenda duxi, quę erunt quaſi pręcognita ad introductionem ſequentium, quæ in tota Vſurarum materia explicabuntur: diſtinguentur autem ad clariorem facilioremq; methodum per notabilia.

*Primum notabile continens continuationem:* Quoniam vſuram recipiẽs rapinam & quodammodo furtum committit iuxta illud B. Ambroſij in libr. de bono mortis relatum à Gratiano 14. q. 4. cap. Si quis vſuram accipit, rapinam facit: vita non viuit: Et vſurarium lucrum ita reſtitutioni ſubiacet, ſicut res rapina & furto ſublata c. Cum tu. inf. eo.

 tit.

titul. Ideo ſtatim poſt titulos de raptorib. & furtis, recto ordine præſens ſubiungitur.

*Secundum Notabile.* De Vſura agitur d. 46.cap.penult.& fin. & d.47.& 14.qu.3.4.5. & 6.& libr.6.eod.tit.& in Clem.eod.& in C. & ff.de vſur.& alibi. Tractant de eadem materia ex Theologis S.Thomas 22.quæſt.78. S.Antoninus 2.parte.titu.1.à cap.7.vſque ad 11. incluſiue. Alexander Halenſis 3.part.qu. 36.& 66. Gabr. in 4.d.15.qu.11. Ioan.Maior in ead. d. per aliquot quæſtiones. Adrian.in 4.de Reſtitut.in q.de vſura. Caietan. tom.2. tract.8.latiſſimè. Conrard. de Contractib. à qu.21. per multas quæſtiones. Dominicus à Soto lib.6.de iuſtitia & iure quæſt.1.Ioannes Medina in Codice de rebus per vſuram acquiſitis. Angelus & Sylueſter cum alijs in ſummis,verbo. Vſura. Canoniſtæ in hoc titulo ſcribunt.& in lib.6.eod.Legiſtæ in C.& ff. de vſur. Longiſſimè Laurentius à Rodulphis ſuper cap. Conſuluit. Ambroſius à Vignate ſuper cap:Salubriter.& Ioan.Calderinus in cap.Nauiganti,eod.tit. Martinus Nauarrus in commentario cap.Si fœneraueris, 14. qu. 3. cuius ſummam repetit in Manuali Confeſſariorum ca.17.à num. 206. [redacted] in Tractatu de commercijs & vſuris, Didacus Couarruuias lib. 3. variarum reſolutionum c.1.2. & 3. & alij alibi, vt patebit in proceſſu commentarij.

*Tertium*

*Tertium Notabile.* Vſura, vt aliæ impertinentes nominis Ethimologiæ omittantur, quæ parum ad propoſitum faciunt, diriuatur ab vſu, ſicut fætura à fætu, & dicitur vſus cuiuslibet rei iuxta illud Ciceronis in Verrem. Cur piratis lucis vſuram tam diuturnam dediſti? Vt etiam Calepinus dictionum obſeruantiſſimus in verbo: Vſura, annotauit, poteſt itaque nomen vſuræ in malam & bonam partem ſumi. In præſenti accommodatur lucro ex mutuo acquiſito. Quia id accipitur pro vſu rei, cuius vſus non poteſt ſæparari à dominio, cum ipſe vſus ſit eius conſumptio. Vſura alio nomine dicitur fœnus, quaſi fœtus, eo quod ſicut animal prolem ſibi ſimilem generat, ſic pecunia pecuniam pariat: Hinc vocatur Græcè τόκος, id eſt, partus Latinè, à verbo τίκτω, quod eſt, pario. Vnde rectè Suidas ex Ariſtophano ait, in nubibus, vſuram eſſe feram quandam beluam ἀργυροτόκον, quæ per menſes & dies argentum ſemper gignit ſerpente tempore. Hebræi vſuram aptiſsimo vocabulo planè naturam malitiæ eius ſignificante morſum appellant. Deuter. 23. Non fœnerabis fratri tuo. Apud Hebræos legitur. Non morſum inferes fratri tuo: Quia mutuo dans ad vſuram proximo, eius ſubſtantiam mordet. Exod. 22. vbi noſtra litera dicit. Nec vſuris opprimes. In Hebręo habetur. Nec morſum

A 2 pones

pones ſuper eum. Secūdum Rabbi Salomonem, per morſum intelligitur vſura, hac ratione. Quia ſicut ſerpens mordens in ſilentio parum percipitur, vel ſentitur in principio, ſed poſtea inflatur homo, & diffunditur effectus illius morſus per totum corpus: Sic vſuræ malum non ſentitur in principio, ſed poſtea aſcendit ad ſummam magnam, & deuorat totam hominis ſubſtantiam. Confirmat idem Chryſoſt. ſuper illa verba Matth. 5. Volenti mutuare à te, ne auertaris, Ergo, inquit, iubet nos Chriſtus mutuum dare, non tamen ſub vſuris, quia qui ſic dat, non ſua dat, ſed aliena tollit: de vno vinculo ſoluit, & multis alligat, & non propter Dei iuſtitiam dat, ſed propter proprium lucrum. Similis eſt etiam pecunia vſuraria aſpidis morſui. Percuſſus enim ab Aſpide quaſi delectatus abit in ſomnum, & per ſuauitatem ſoporis moritur: Quia tunc venenum latēter per omnia membra decurrit: Sic enim qui ſub vſura accipit, ſub tempore quaſi beneficium ſentit, ſed vſura per omnes ſuas facultates decurrit, & totum conuertit in debitum; hæc Chryſoſtom. Nec alienus ab hac ſententia eſt D. Baſilius, dum ait: Sicut dolores parturienti, ſic tempus ſtatutum debitori exiſtit fœnus ſupra fœnus, malorum parentum mala ſoboles. Hi ſanè fœtus, vſurarum rectè genimina dicuntur. Viperas enim

*Homil. 12. in opere imperfecto prope finem.*

*Pſal. 14.*

enim dicunt ventrem matris perrodendo naſci: ſic item fœnora debitorum domos abſumendo naſcuntur. Semina omnia ſuo tempore naſcuntur: animalia quoque tempore præſtituto ſuos edunt fœtus. Fœnus verò hodie naſcitur, hodie parere incipit. Animalia etiam quę citò pariunt, citò etiam à partu deſiſtunt: pecuniæ verò cum auiditate plus æquo habendi volucrem trahunt originem, infinitam acceſſionem tantò progredientem vlterius recipiunt. Horum patrum ſententijs conſonant ea, quæ Baldus in conſil. 449. incipienti. Ius naturale. lib. 3. pulchrè adducit. Vſurarius ſimilis eſt vermiculo ligni, qui ad tactum lenis apparet, ſed dentes ita habet duriſſimos, quod omne lignum rodit, & deuorat: Ita & Vſurarius eſt vermis patrimonium rodens, & quamuis naturaliter eueniat, quod animus maiora facinora magis deteſtetur, tamen in Vſurario contrarium eſt, quia quantò maiores vſuræ, tantò dulciores ſunt. Et ſicut ignis comburit in infinitum, ſi combuſtibile habeat approximatum: Ita vſurarius tanquam os inferni deuorat & rodit; quanto plus habet in Marſupio. Fauet huic ſimilitudini capit. Vſurarum vorago in 6. eodem titul. & illud Plutarchi in moralibus. Vt ignis inualeſcens alia poſt alia corripit, ſic vſura.

*Quartum Notabile.* Quoniam omnis, quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet à definitione proficiſci iuxta Ciceronis ſententiam, vt intelligatur, quid ſit, de quo agendum, vſura definienda eſt. Varias autem Doctores adferunt definitiones. Vna deſumitur ex B. Ambroſio 14. qu. 3. cap. Plerique. Quodcunque ſorti accedit, eſt vſura, & ibidem cap. vlti. ex Concil. Agathenſi: Vſura eſt, vbi amplius requiritur, quam quod datur. Alia eſt Theologorum. Vſura eſt lucrum ex mutuo principaliter intentum. Sed hæ & aliæ ſimiles quæ ab aliquibus adferuntur non conueniunt peccato vſuræ, ſed potius eius obiecto, ſeu materiæ circa quam verſatur. Vſura enim, vt in dictis definitionibus accipitur eſt res, quæ crimine acquiritur. Peccatum autem ſemper diſtinguitur à ſuo obiecto, in quod tendit. Aliud enim eſt obiectum, aliud crimen ipſum. Vnde Conrard. de contractibus q. 21. ſuppoſitione ſecunda ad defenſionem prędictarum definitionum annotat. Vſuram dupliciter accipi. Vno modo formaliter prout eſt peccatum. Alio modo materialiter pro re, circa quam committitur peccatum illud, quod dicitur vſura.

*Lib. 1. Officior. circa principiū.*

Vſura vt eſt peccatum, ſic definitur. Eſt voluntas capiendi vltra ſortem lucrum aliquod temporale vi & cauſa mutui; hanc defi-

definitionem Nauarr. in Manuali Confeſſariorum, cap. 17. à nume. 206. Couarr. d. lib. 3. cap. 1. numer. 2. & Sotus lib. 6. de iuſtitia & iure, qu. 1. artic. 1. & 2. explicant. Et quia definitione bene intellecta, natura vſuræ rectius cognoſcitur, partes definitionis declarandæ ſunt. In definitione dicitur (voluntas) ad includendum actum voluntatis interiorem & vſuram mentalem, cum quis mutuat alicui vt conſequatur aliquid vltra ſortem; aliâs non mutuaturus, ſine tamen pacto expreſſo (vltra ſortem) per ſortem intelligitur ſumma capitalis, aut principalis, quam quis mutuo dat. exempli gratia, Ioannes mutuat Petro 100. aureos, vt quinque annuatim percipiat, ſortem ſiue ſummam capitalem centum efficiunt (lucrum aliquod temporale) per lucrum accipiendum omne lucrum temporale, vt pecunia, & quicquid pecunia æſtimari poteſt, iuxta illud Auguſtini, quod habetur 14. quæſt. 3. cap. Si fœneraueris homini, id eſt, mutuo dederis pecuniam tuam, à quo plus, quam dediſti expectes, non pecuniam ſolam, ſed aliquid plus, quam dediſti: ſiue illud triticum ſit, ſiue vinum, ſiue oleum, ſiue quodlibet aliud, ſi plus quam dediſti expectes accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus non laudandus: & Ambroſ. in lib. de Tobia capi. 14. cuius verba referuntur in d. c. Plerique. Et *Infra 36. concl. 3.*

eſca vſura eſt, & veſtis vſura eſt,& quodcunque accedit ſorti, vſura eſt. Si licitum eſt,cur vocabulum refugis? Cur velamen obtexis? Si illicitum,cur incrementum requiris. Et ſacra ſcriptura clariſſimè idem oſtendit in
Deut.23. Deuteron. Non exiges à fratre tuo vſuram pecuniæ,& vſuram eſcarum, & vſuram omnium rerum quaſcunque fœneraueris fratri tuo. Ad idem accedit D. Hieronymus in ca. 18. Ezechielis in ea verba. Et ad vſuram non commodauerit, ſiue vt ſeptuaginta tranſtulerunt: pecuniam ſuam ad vſuram non dederit. In Hæbraico cunctarum ſpecierum vſura,inquit, prohibetur. Ex dictis confutatur error eorum,qui exiſtimarunt vſuram tantum committi in pecunijs ſtrictè acceptis,quos quidam adhuc noſtris temporibus ſequi videntur. Ex hoc fundamẽto eruitur, quod ſi quis ratione mutui expetat amicitiam, beneuolentiam, aut aliud quidpiam, quod pecunia æſtimari nequit, vſuram non committit. (vi & cauſa mutui) Quia ſi ex alia cauſa legitima aliquid accipiatur, vt ratione intereſſe prout ſuo loco dicetur, non eſt vſura ( principaliter.) Cum principalis intentio mutuandi ad lucrum,&non minus principalis ſiue ſecundaria conſtituat vſuram; vt Gloſſa Innocent. & alij communiter tenent in c. Conſuluit infra.&ibi plenius oſtendetur.

Quintum

*Quintum notabile.* Omnis vſura conſiſtit in mutuo vero, aut ficto ſiue palliato. S.Th. 22.quæſt.78.art.1.& 2. Alex.Halen.3.par.qu. 66.S.Antonin.2.par.tit.1.ca.7.§.1. Conrard. de contractib.qu.31.Gabr.in 4.d.15.q. 11.ar. 1. Sylueſt. in verb. Vſura 1. Angel. ibidem, Gloſſ.& Turrecremata in d.c. Si fœnerau eris.Innocent.in c.1.eod.tit.Panorm.&Ioan. ab Anan.in Rubrica.Bald.& Salyc.in Rubr. C.eod.Calder.conſ.11.in titul. eod. Bald. in conſil. 292 incip. Quia ex facto ius oritur li. 4. Ludouicus Romanus con. 500. incip. Summarius quæſtionis Nauarr. in d. comment.& lib.5.conſiliorum,conſ. 5. nume.4. & conſil.6.in tit.de vſur. & hæc eſt communiſſima ſententia tam Theologorum,quam Iuriſperitorum, quæ fundatur in cap. Conſuluit.&c. Conqueſtus infra, & d.c. Si fœneraueris, & l.2.ff.de reb. credit. ſi certum pet. Vnde firmiſſima regula ſumitur, quod quãdo contractus examinandus eſt,an ſit vſurarius, nec ne, in primis diligenter aduertendum,an intercedat verum mutuum,vel participet aliquid de mutuo. Quia alij contractus poſſunt aliquid participare de mutuo, & occultè includere vſuram.

*Sextum.* Vt mutui ergo natura percipiatur, id latius definitione explicandum erit. Mutuum eſt contractus in quo datur alteri res, quæ ipſo vſu conſumitur, reddenda

non eadem numero, ſed ſpecie. Mutuum enim dicitur, quia de meo fit tuum dict. l. 2. Si certum pet. Vlterius notandum res in duplici eſſe genere. Quædam ipſo vſu conſumuntur, ita quod earum vſus ſit cõſumptio, vt ſunt pecunia, quantum ad ipſum vſum primarium, oleum, vinum, frumentum & ſimilia. Aliæ non conſumuntur vſu, ſed permanent, vt equus, aſinus, domus, &c. Contractus mutui conſiſtit in rebus, quæ vſu cõſumuntur. & hæ ſunt in triplici genere, vt Theologi ex Alexand. Halen. 3. part. quæſt. 66. memb. 1. & Iuriſperiti ex d. l. 2. colligunt. Quædam conſiſtunt in numero, vt pecunia numerata. Quædam in pondere, vt æs, argentum, aurum, &c. quæ ſtatera appenduntur. Alię in menſura, vt frumentum, vinum, pannus, &c. Contractus commodati verſatur circa res, quæ vſu non conſumuntur, & in hoc contractu non trãsfertur dominium ſicut in mutuo, in quo de meo fit tuum. Sed contra prædicta obijcit Goffridus contra Reimundum apud Conrard. in dict. quæſtion. 21. conclu. 2. Quod vſura non ſit in ſolis rebus, quarum vſus eſt in conſumptione. Quia ſi pro pecunia mutuata equum aut prædium, recipiam, eſt vſura : & tamen equus, prædium & ſimilia non conſumuntur vſu. Reſpondet Conrard. quod quamuis vſura capta pro incremento vſurario poſſit

eſſe

eſſe quæcunque res temporalis pretio æſtimabilis, tamen vſura capta pro peccato vſuræ ſolum cõſiſtit in mutuatione illarum rerum, quæ vſu conſumuntur. Sed clarius Ioannes Andreas in reg. peccatum de reg. iuris in 6. in mercurialibus. Panormitan. & Anan. in Rubric. ſoluunt dictam obiectionem. Vſuram conſiſtere in his tantum rebus, in quibus mutuum, ſiue in rebus, quæ vſu pereunt, id intelligendum de rebus procedentibus ab vſurario. Nam ex parte capientis ad vſuram non eſt vis, quid detur ratione lucri; ſiue enim detur equus, ſiue fundus, ſiue quiduis aliud lucro æſtimabile committitur vſura. Alia obiectio hoc loco eſſe poteſt. Male pecunia numerata eſt inter res, quæ vſu conſumuntur, quia non conſumitur, nec perit, ſed permanet, vt experientia compertiſſimum eſt. Reſpondetur. Quamuis pecunia in ſe non pereat, perit tamen exponenti, qui quando alteri eam mutuo dat, transfert dominium, ita vt amplius non ſit ſua. Tamen obſeruandum tam ſecundum Theologos, quam Iuriſperitos: pecuniam duplicem poſſe habere vſum. Vnum ad mutuum, alioſque contractus, in quibus dominiũ transfertur. Alium per modum contractus commodati, aut locati, quando videlicet alteri traditur non

non in expenſas, ſed ad pompam aut oſtentationem, vel ad ornamentum alicui potenti, aut diuiti, vt non expendat, ſed conſeruet ad reſtituendum eandem non in ſpecie, ſed in indiuiduo.

Primarius & principalis pecunię vſus cõſiſtit in eo, quod per vſum ab vtente diſcedat, & in alium transferatur: vt Ariſtoteles 4. Ethic. cap. 1. atteſtatur, dum ait. Vſus pecuniæ eſt eius conſumptio & datio: retentio vero & acceptio eius eſt poſſeſſio. Quod more ſuo doctiſſimè explicat Couarr. lib. 3. variarum Reſol. cap. 1. num. 5.

*Septimum.* Mutui & commodati contractus in hoc conueniunt, quod vterque ſua natura debet eſſe gratuitus, vt tradiderunt Alexand. Halen. in d. qu. 66. membr. 1. Gabriel in 4. d. 15. qu. 11. art. 1. Gloſſ. in ſumma 14. q. 3. Turrecr. in d. c. Si fœneraueris. Gloſ. in ca. Conqueſtus. infr. Nauarr. in dict. comment. numero 3. & alij alibi communiter. Quando enim dicti duo contractus fiunt pro lucro, ſtatim tranſeunt in aliud genus contractus. Si enim mutuum non ſit gratuitum, fit vſura. Et in commodato, ſi aliquid pretij accipiatur, deſinit natura commodati. Aut enim illud pretium recipitur pro re: aut pro vſu rei. Si primum, vel recipitur pecunia, & ſic eſt venditio: aut res alia, & eſt permutatio: Si ſecundum, aut pro vſu

rei

rei accipitur pecunia, & eſt locatio : vel res alia, & erit contractus innominatus, do vt des.

*Octauum notabile.* De natura & ratione mutui eſt, quod ſors poteſt reuocari, & recipiens tenetur ad reſtituendum idem in genere vel ſpecie Conrard. qu. 18. & ſæpius in qu. 33. Ioan. Medina in C. de reb. per vſur. acquiſ. Panormit. in diſputatione 5. incipienti: Augerio. col. penult. Alber. in l. Iubemus, C. de ſacroſ. Eccleſ. Carol. Molinæus in tract. de commercijs & vſuris, num. 17. & alibi. Couarr. lib. 3. var. reſol. cap. 7. numer. 2. verſ. Secunda ratio ex eo tollitur. Qua ratione mutuum non reperitur in emptione annuorum redituum, in qua ſors alienatur, nec poteſt repeti.

*Nonum.* Mutuum eſt duplex. Verum, & palliatum. Verum, quando verè res gratis, vt natura huius contractus poſtulat, mutuatur, nec aliud intenditur. Palliatum, quod ſecundum ſuam formam apertam, & verba contrahentium eſt alius contractus, quam mutui: ſecundum vero formam latentem, & mentem contrahentium veram, vel præſumptam eſt mutuum, vt Nauar. in Manuali Confeſſariorum capit. 17. nume. 206. definit. Exempla palliati mutui reperiuntur in emptione, quæ fit minoris iuſto pretio ob anticipatam ſolutionem & in vēditione

ad ter-

ad terminum, quando ob dilatam ſolutionem res carius iuſto pretio venditur. Mutuum palliatum ſiue fictum, ſicut etiam vſura pallatia verſatur circa materiam omnium contractuum.

*Decimum.* In contractibus diſcernendis non tam verba contrahentium, quam natura contractus, pacta & res ipſa attendenda ſunt. Conrard. de contractib. quæſtion. 33. Ioannes Maior in 4. d. 15. quæſt. 26. Gabriel ibidem quæſtio 12. artic. 3. ad p. Ioan. Medina & d. Cod. quæſtion. 3. Panormit. Ioannes Immolen. Anchoran. & alij in capit. Illo vos, de pignorib. Quia ſæpe contrahentes ex ignorantia, aut ſimplicitate vtuntur nomine mutui, vbi eſt venditio & è contra. Confunduntur non raro nomina, mutuum commodatum & locatũ præſertim in ideomate noſtro Germanico, vt rectè Conrard. annotauit. Imò etiam in ſacris literis non deſunt exempla huius rei. Deuteronom. 23. Fratri tuo ſine vſura, id quo indiget, accommodabis: vbi contractum mutui, in quo propriè conſiſtit vſura, nominat accommodatum: Et Lucæ 6. Dominus dixit: Amice accommoda mihi tres panes, cum tamen eſſet mutuatio. Quia panis eſt res vſu conſumptibilis. E contra accommodatio etiam vocatur mutuatio. 4. Reg. capit. 4. Heliſæus dixit viduæ. Pete mutuo ab omnibus

vicinis tuis vaſa vacua non pauca : eſt enim accommodatio, quia vaſa non conſumuntur ipſo vſu. In alijs poſſunt eſſe exempla, quæ ſæpe ſolent occurrere, ſimplices in literis ſcribunt, & fatentur ſe mutuo dediſſe 100. pro annua penſione quinque in perpetuum, ſi penſio perſoluta fuerit, cum tamen ſit contractus venditionis cenſus. Alud exemplum. Petrus dicit Ioanni dono tibi 100. cauſa mortis irreuocabiliter. Hic contractus à Ioanne & Paulo vocatur cauſa mortis donatio, & tamen non eſt. Cum de natura donationis cauſa mortis ſit, quod poſſit reuocari leg. vbi ita donatur ff. de donat. cauſa mortis : facit ergo conditio adiecta, quod iudicanda ſit donatio inter viuos, cum non ſit reuocabilis leg. manu ſata ff. de contrahen. empt. Quando in contractibus impropriè ponuntur verba, & pactum adiectum indicat naturam alterius contractus, fiet interpretatio pro illo cōtractu, cuius naturam ſapit iuxta doctrinam Panorm. c. Inſinuante. Qui clerici, vel vouentes: Verba enim debent inſeruire intentioni, & non intentio verbis.

*Vndecimũ Notabile.* Vſura eſt duplex. Mentalis & Realis. Mentalis eſt iterum duplex. Purè mentalis, & non purè mentalis. Purè mentalis nō eſt aliud, quam voluntas dandi

ad

ad vſuram & vſurarium lucrum recipiendi nullo ſubſequenti opere. Sicut enim omne peccatum poteſt eſſe tantum mẽtale, vel ſaltem ſiſtere in cogitatione, ſic etiã vſuræ crimen. Non purè mentalis eſt, quando appetitur & accipitur lucrum ex mutuo ſine tamen pacto tacito & expreſſo ex ſola mentis intentione: exempli gratia; Petrus dat mutuo Ioanni 100. aureos reddendos poſt dimediam annum: & quia Petrus vult haberi honeſtus vir nullum facit, aut inſinuat pactum de dando aliquid, ſperat tamen quod Ioannes elapſo termino more multorum ſoluent 5. aut 6. de 100. mutuo acceptis, quos etiam Ioannes cum capitali reddit, & Petrus libenter recipit: & de hac mentali vſura Doctores intelligunt, quando eſt quæſtio. An vſura mentalis obliget ad reſtitutionem: vt præ reliquis annotauit Martinus Nauar. in commentario de vſuris nume. 13. de qua re infra latius in c. Conſuluit. Realis eſt quando opus exterius completur accedente pacto tacito, vel expreſſo. Expreſſum pactum eſt, exempli gratia: quando Petrus mutuo dat vicino ſuo 50. aureos ad ſpacium anni, vt elapſo anno reddat 50. & 3. Tacitum pactum, quando non exprimit clarè pactum, ſed talibus vtitur verbis, quod mutuum accipiens intelligit, quod vltra ſortem debeat reddere, e. g. Nicolaus

ſolitus

ſolitus eſt fœnerari, habet quendam amicum, qui cupit mutuum, non vult expreſsè præ verecundia paciſci de vſurario lucro, ſed dicit modeſtè. Amice do tibi mutuo, ſed tu intelligis, quid oporteat facere, vel do tibi mutuo prout alijs ſoleo.

*Duodecimum notabile.* Vſuraria mutuatio genere ſuo eſt peccatum mortale. Guido Carmelita in ſua ſumma de hęreſibus refert Græcos ſentijſſe non eſſe peccatum dare ad vſuram, vt atteſtatur Alphonſus à Caſtro lib. 14. aduerſus Hæreſes in verbo vſura. Si quis contrarium dicat vſuram non eſſe peccatum mortale è genere ſuo, hæreticus eſt, probatur nunc. Exodi 22. ſi pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, nō vrgebis eum quaſi exactor, nec vſuris opprimes. Ezechiel 18. dicitur de viro iuſto, quod ſi ad vſuram nō accommodauerit, & amplius non acceperit, vita viuet. Ad vſuram autem dans, & amplius accipiens non viuet. Pſalm. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo, &c. Qui pecuniam ſuam non dederit ad vſuram. Ergo à contrario ſenſu, qui pecuniam ſuam dederit ad vſuram non habitabit in tabernaculo, nec, requieſcet in monte ſancto, ſed habitabit in inferno, & requieſcet in tenebrarum abyſſo. Multas auctoritates pro comprobatione

tione huius veritatis adfert Guilhelmus Peraldus Epiſcopus Lugdunenſis tom. 2. de virtutibus & vitijs part. 2. in tractatu de auaritia, vbi multa in deteſtationem huius criminis adducit. Sed quoniam multi vſuram aut nihili, aut certè parui faciunt libet aliqua hoc loco ex ſanctis patribus adiungere, quæ malitiam criminis oſtendant. D. Baſilius in Pſalmum 14. Officium, inquit tuum fuerat hominis depreſſi egeſtatem conſolari ac leuiorem reddere. Tu contrà potius adauges fructum ex homine deſtituto: veluti ſi quis medicus ad homines ægrotātes introgreſſus loco reddendæ ſanitatis, id quod eis virium reſtabat, auferret. Et tu inopum calamitates materiam tibi conſtituis agendi prouentus? vtque coloni ad ſatorum augmentum imbres exoptant: Sic tu inopiam& publicam egeſtatem hominum, vt pecunia tibi ſuccreſcat, & fiat lucroſior, requiris? An ignoras quod maior tibi peccatorum exurgat aceruus, quam ſit acceſſus opum, quem ex vſuris venaris? Diuus Ambroſius in libro de Tobia. cap. 14. Habes in Exodo.
Exod. 22. Quod ſi pecuniam fœneraueris pupillo, orphano, pauperi apud te, nō ſuffocabis eum, non impones ei vſuram. Oſtendit quid ſit ſuffocare, id eſt, vſuram imponere. Strangulat enim & quod peius eſt, animam laqueat creditoris. Quo ſermone, & prædonis vio-

nis violentiam, & deformis nodum mortis expreſſerit. Quod ſi pignus acceperis veſtimentum proximi tui ante ſolis occaſum reſtitues. Illud enim eſt opertorium eius tantum, hoc veſtimentum turpitudinis eius, in quo dormet. Quod ſi itaque proclamauerit ad me, exaudiam eum. Audiſtis fœneratores, quid lex dicat, de qua dixit Dominus: Non veni legem ſoluere, ſed implere? Quam dominus non ſoluit, vos ſoluitis? Vſuram, inquit, petere ſuffocare eſt. Hoc quoque foris ſero eſt dictum à quibuſdam eorum prudentibus. Quid eſt, inquit, fœnerare? hominem, inquit occidere. Sed vtique non Cato prior quam Moyſes, qui legem accepit. Multo ille poſterior. Idem capite decimoquinto, in eodem libro pulchrè diſcurrit in diſtinctione verba Pſalm. 14. his verbis. Dauid benedictum æſtimauit & dignum habitatione cœleſti, qui pecuniam non dederit ad vſuram. Si ergo qui non dedit benedictus: Sine dubio maledictus, qui ad vſuram edidit. Cur ergo maledictionem potius eligis quam benedictionem? poteſtis enim benedicti eſſe, ſi velitis. Leo Magnus in ſermone 6. de ieiunio decimi menſis ad idem propoſitum. Fugienda prorſus iniquitas fœnoris, & lucrum, quod omni caret humanitate, vitandum eſt. Multiplicatur

quidem facultas iniuſtis & triſtibus incrementis, ſed mentis ſubſtantia contabeſcit: quoniam fœnus pecuniæ, funus eſt animæ. Quid enim de huiuſmodi ſentiat Deus, ſacratiſſimus propheta Dauid manifeſtat. Qui cum diceret: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? reſponſo diuinæ vocis inſtruitur, & eum ad æternam requiem pertinere cognoſcit, qui inter alias piæ conuerſationis regulas, pecuniam ſuam non dedit ad vſuram: Et à tabernaculo Dei oſtenditur alienus, & à ſancto monte eius extraneus, qui doloſum quæſtum pecuniæ ſuæ captat vſuris: & dum per aliena damna cupit ditari, æterna dignus eſt egeſtate puniri. Auguſt. in epiſt. ad Macedonium, cuius verba habentur 14. q. 4. c. Quid dicam. An crudelior eſt, qui ſubtrahit diuiti aliquid, vel eripit: quam qui trucidat pauperem fœnore? Tandem comprobatur ex Conc. Vienenſi, cuius verba habentur in Clem. Ex graui de Vſur. ſanè, ait, ſi quis in illum errorem inciderit, vt pertinaciter affirmare præſumat exercere vſuras non eſſe peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum; locorum nihilominus ordinarijs, & hæreticæ prauitatis inquiſitoribus iniungentes, vt contra eos, quos de errore huiuſmodi defamatos, vel ſuſpectos inuenerint, tanquam contra defama-

famatos, vel ſuſpectos de hæreſi procedere non omittant.

*Decimumtertium Notabile.* Vſura etiam prohibetur ſeptimo præcepto Decalogi. Non furtum facies. Magiſt. in 3. Sentent. d. 37. Bonauent. Gabriel & alij ibidem. Alex. Halen. 3. part. q. 36. Conrard. de contractib. quæſt. 22. Dominicus Sotus lib. 6. de iuſtit. & iure q. 1. art. 1. Canoniſtæ, cum Gloſſ. in hac Rubrica, quando rationem continuationis reddunt. Nauarr. in commentario de vſur. numer. 7. & alij alibi. Quia nomine furti in lege prohibetur omnis illicita vſurpatio rei alienæ. Non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit, ſed à parte totum intelligere voluit, quicquid illicitè rerum proximi aufertur. Auguſtin. in lib. quæſtion. ſuper Exod. 22. cuius verba referuntur 14. q. 5. cap. pœnale.

*Decimumquartum Notabile.* Non conueniunt inter ſe Doctores vtriuſque iuris, an crimen vſurarum merè ſit Eccleſiaſticum, & tantum ſpectet ad iudicē Eccleſiaſticum, vel etiam ſecularem.

Quod tantum ad iudicem Eccleſiaſticum ſpectet. eſt Gloſſ. in c. Cum ſit generale de foro competenti, & in c. 1. de offic. ordin. quam communiter DD. ibidem ſequũtur. Decius in conſil. 170. incip. Viſo themate & his quæ narrata ſunt, & hęc eſt commu-



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nis ſententia vt teſtantur Alberic. in Rubr. C. de vſur. Alexand. in l. Quoties verſ. extra Gloſſam C. de Iudic. Martin. Nauarr. in Repet. c. Nouit. de iudicijs notabili 3. num. 44. Couarr. lib. 3. variarum Reſolut. c. 3. nume. 1. & in Epitome de Sponſalib. 2. par. cap. 6. nu. 18. in fine. Alij diſtinguunt, aut eſt quæſtio iuris ſuper vſura, An ſcilicet contractus ſit vſurarius, nec ne, & tunc cognitio ſpectat ad Iudicem Eccleſiaſticum nec poteſt ſe intromittere iudex ſecularis, & ita concludunt omnes Doct. tam Legiſtæ quã Canoniſtæ vt fatentur, Iaſ li. 4. conſ. 153. Decius conſ. cit. & alij quos allegat & ſequitur Iulius Clar. lib. 5. ſententiarũ Receptarũ §. fin. q. 37. nu. 2. Hæc tamen opinio intelligenda, quando principaliter in iudicio deducitur quæſtio vſurarum. Quia quando incidẽter opponitur per modũ exceptionis cõtractum eſſe vſurariũ, tunc etiam Iudex laicus poteſt cognoſcere quæſtionẽ iuris, & cõtractum reſcindere, vt tradit Guido Papa conſ. 180. n. 2. quia ita Legiſtas & Canoniſtas communiter ait tenere. Aut eſt quæſtio facti, quia ſcilicet non dubitatur an contractus ſit vſurarius, ſed hoc liquidum eſt, verũ tantum repetuntur vſuræ, & petitur receſſio cõtractus, tunc etiã laicus poteſt eſſe competẽs iudex: & hoc etiam cõmuniter receptum eſt vt auctores ſunt Panorm. in d. c. Cum ſit generale. num. 17. Di-

dac.

dac.& Iul. Clarus loc.cit. Alij conſtituũt hoc crimen eſſe communis &miſti fori,ita vt Iudex ſecularis cognoſcat inter ſuos ſeculares, & Eccleſiaſticus inter clericos. Archidia.14. q.4.c. Quid dicam. Turrecr.ibidem.Pro hac opinione Archid.citat Gofridum, Vincentium & Hugonem. Eandem ſententiam tenent And. Barbat. in d. c. Cum ſit generale. Salycet.in l.Eos.§. fin.C.eod.tit.Couar.in d. c.variar. reſol. & alij alibi. Quidam alij contendunt an cognitio iuris vſurarum magis ſpectet ad Theologos, quam Canoniſtas vt eſt videre apud S.Anton.2.part.tit.1.c.7.§.4. Tribuitur à quibuſdam Petro Anchorano in quadã diſputatione incipiẽti. Antiquis & modernis temporibus viri Catholici.Quod magis ad Canoniſtas,quam Theologos,Petrum citat & ſequitur Alexand.conſil.1. vol. 2. S. Thó. in quodam quodlibeto, quod reperire non potui cum Antonio de Butrio. Quidã dicunt contrariũ tenere,quod magis ſpectet ad Theologos. Vt huic controuerſiæ ſatisfiat,diſtinctè omnia reſoluenda ſunt.

*Prima Concluſio.* Contractum vſurarium è ſuis principijs examinare, ſitne vſurarius nec ne,adPhiloſophum moralẽ etiam pertinet.Hanc concluſionẽ tenet. Cardinalis Caietanus. in opuſculis tom.2.tract.5.cap. 2. de monte pietatis, & probat. Quia ex Pholoſophia rerumque natura dependet, & non ex

ſacra ſcriptura, an hic vel ille contractus ſit vſurarius, quod ſic deducit. Ex auctoritate diuina in canonicis ſacræ ſcripturæ libris contenta, quędam per ſe ponuntur credenda, & hæc ſunt, quæ humani excedunt vires ingenij (quoniam fides eſt argumentum rerum non apparentium) vtpote quod Deus ſit trinus, & alia huiuſmodi. Quædam quaſi per accidens, & hæc ſunt multa ratione naturali cognoſcibilia iam credenda, quam operãda, vt citius, cõmunius & tutius veritas humano generi innoteſcat, vt puta, quod Deus ſit, & quod ſit vnus, & quod adulterium ſit malum, &c. In neutro autem horum genere præſens quæſtio continetur, ſcibilis ſiquidem naturaliter eſt, & non in ſacra ſcriptura de ſeipſa reperitur, & nullibi in ſacra ſcriptura reperitur, quod hic vel ille cõtractus ſit vſurarius, licet vſura prohibeatur. Alia ex eodem Auctore ad propoſitum ſumi poſſunt. Alias poſſumus confirmare ex Ariſtotele 4. Ethic. c. 1. & 1. Politic. cap. 7. qui ex naturę principijs oſtendit malitiam fœnoris, naturæque aduerſari arguit. Ergo ſignum eſt quod vſuræ cognitio etiam petenda ex fontibus Philoſophiæ. Cui aſtipulatur communis Doctorum opinio, quę infrà explicabitur, dum conſtanter, affirmat, vſuram etiam eſſe contra ius naturæ.

*Secunda Concluſio.* Aliqua etiam cognitio vſuræ

vſuræ ſpectat ad purum Theologum. Hæc Conc. quæ videtur contra Caietanum probatur. Multorum contra vſuram determinatio habetur ex ſacris literis, vt infra ſæpe patebit ad ſacrarum literarum interpretatio ſpectat ſed purũ Theologum. Deinde vſura eſt contra vtriuſque teſtamenti paginam vtriuſque autem teſtamenti cognitio pertinet ad purum Theologum, ergo.

*Tertia Concluſio.* Si de cognitione Vſurę quantum ad ſua principia loqui placeat, magis ſpectat ad Theologum, quam Iuriſperitum. Hanc concluſionem multis probat Conrard. de contractib. q. 49. concl. 1. probatur paucis C. Canoniſta & Iuriſperitus, ſi excludamus ab illis Philoſophiam ac Theologiam, tantum conſiderant canones, leges & diſpoſitiones hominum. Quia leges, & canones vt ſic ſunt præſcripta humana, & quæ interſeruntur ex lege naturali & diuina præſupponuntur. Præterea conſtitutiones Conciliorum, & Pontificum, quæ in decretis, decretalibus & Clementinis collectæ ſunt, ſua fundamenta trahunt ex Theologia & lege diuina, vt patet in præſenti materia c. Quia in omnibus, &c. Super eo infrà. Vbi Pontifex condemnat cõtractum vſurarium etiam pietatis cauſa celebratum, quia reprobatur in vtroque teſtamento.

*Quarta Concl.* Conſideratio contractus

vſurarij quantum ad ius exterius, caſus facti & pœnas magis ſpectat ad Canoniſtam quā Theologū S. Antoni.loc.cit. Conrard.qu.d. concl. 4. Dominic. à Soto lib. 6. de inſtit.& iure qu.1.art.1.conclu.1.& alij alibi. Conc.eſt clara. Canones, leges, concilia & ſtatuta nihil aliud ſtatuunt quam de caſibus in facto occurrētibus & pœnis vſurariorum, de quibus omnibus cognoſcere proprium eſt munus Canoniſtarum & Iuriſperitorum.

*Quinta Concl.* Perfecta cognitio criminis vſuræ Philoſophū, Theologum & Iuriſperitū requirit. Hanc cōcluſionem obſcurè tradit Caiet. loco cit. & ſatis elicitur ex dictis. Deinde tanta eſt nunc auarorū & vſurariorū inſatiabilis cupiditas, vt tales excogitet praxes ad decipiendum proximū, quas nec Philoſophia audiuit, nec Theologia agnouit, nec canonū diſpoſitio reſoluit, vt quotidiè in cambijs, permutationibus, emptionibus, pignorationibus alijſq; cōtractibus, quibus vſuræ cautiſſimè palliantur, experientia demōſtrat. Nunc de iudicio exteriori, ad quod vſuræ crimen deferendū agendum: ſit ergo.

*Sexta Conc.* Crimen vſurarū eſt miſti fori, ita vt inter ſeculares, ſecularis iudex poſſit cognoſcere; & inter Eccleſiaſticos, Eccleſiaſticus, ſiue ſit quæſtio iuris ſiue facti, vt docent Doctores ſuprà allegati. Probatur Conclu.1. Crimen vſurarū nihil plus habet quam

furtum

ſurtum & rapina, quia eodē pręcepto prohibetur. Non furtū facies, vt in præcedēti not. oſtenſum eſt, ac etiā tendit contra iuſtitiam proximoq; damnū infert: ſed prædicta crimina nō ſunt merè Eccleſiaſtica ergo nec vſura. Et confirmatur ſecundo ſi crimē vſuræ eſt merè Eccleſiaſt. id dicendum aut quia ab initio ſupernaturali ſiue releuata: aut lege Pontificia: ſiue canonica: aut naturali ſimul & Pontificia prohibitū. Sed nulla harū rationū vrget: Non prima, cū crimen vſurę, nō ſit cōtra ea, quę per Deū, aut Eccleſiā ſupernaturaliter ſunt inducta & reuelata, qualia ſunt peccata hæreſeos & Simonię, quę cōmittuntur cōtra articulos fidei & Sacramēta. Nō ſecūda. Quia etiam lege naturali vſura eſt prohibita, vt nunc inſinuatum & infrà probabitur. Nec etiam tertia id probat, quia ſi ea ratio id cōuinceret, probaret etiam quod homicidiū furtū & ſimilia ad iudiciū Eccleſiaſticum tantum ſpectarent, quod nemo vnquam dixit, cū huiuſmodi delicta etiā prohibeantur lege naturali, diuina & canonica, vt patet intelligēti. His adiungere licet quod ius canonicū nullibi prohibuit iudicem ſecularem in materia vſurarum cognoſcere.

*Septima Conc.* Eo tempore, quo iure ciuili & legibus Romanis vſuræ permittebantur, communis ſententia, quod crimen vſurarum ad iudicem tantum Eccleſiaſticū pertineret,

neret, vera erat. At nunc eſt miſti fori. Quia in omnibus regnis & prouincijs Chriſtianorum, vbi reſpublica eſt bene inſtituta, etiam à principibus ſecularibus leges & conſtitutiones cõtra vſurarios ordinatæ & promulgatæ ſunt. Hanc concluſionem tradunt Couarr. loco cit. & Martin. Nauarr. in c. Nouit de iudicijs notab. 6. nu. 44. Sic quamuis hoc crimen Eccleſiaſticum merè non ſit, poteſt tamen Eccleſiaſticũ dici ex eo, quod ab initio renaſcentis Eccleſiæ iura pontificia tantum id prohibuerint, legibus ſecularibus id permittentibus, vel etiã ſecundum quorundam opinionẽ approbãtibus. Quæ autẽ crimina merè Eccleſiaſtica, quę miſta, exactiſſimè & latè Nauar. in d. not. 6. à nu. 42. tradit.

*Octaua Concl.* Hoc tempore etiam ſecundum communem opinionem fundatam in iuris canonici deciſionibus iudices Eccleſiaſtici poſſunt cognoſcere de hoc crimine cõtra laicos. Couar. loco cit. verſ. quarto, non eſt hac in re prætermittendum, & hoc praxis obſeruat eodem atteſtante, nec eſt alienum ab vtilitate reipu. Chriſtianæ, cum tot annis poſt noſtræ religionis inſtitutionem leges ſeculares huius criminis punitionem neglexerint partim etiam eius vſum approbando. Qua de cauſa Romani Pontifices debuerunt pluribus canonibus aduerſus vſurarios & principes ſeculares ſtatutis aliquo modo fauentes

uentes huic crimini procedere,&pœnas ſtatuere. Inde obtentum iam diu eſt quod huius criminis punitio ad vtrumque iudicem ſecularem & Eccleſiaſticum ſpectet & præuentio locum habeat, niſi aliud conſuetudine introductum alibi ſit.

*Decimumquintum vel vltim. notab.* Quandoquidem cognitio iuris vſurarum tam ad Theologos, quam Iuriſperitos ſpectat, vt ex præcedenti notabili, & ſcriptis Doctorum vtriuſque facultatis omnibus clariſſimum eſt, hũc commentarium communem Theologiæ & iuris ſcientiæ ſtudioſis reddam vt quid in materia vſurarum vtraque facultas, ſentiat ante oculos quiſq; quaſi in compendio habeat. Vt autem ordo, ſine quo nihil rectè vtiliterq; fieri conſueuit, ſeruetur: hic modus procedendi in toto commentario erit. In primis Canonis cuiuſque verba ex lib. Decretaliũ de verbo ad verbum ponentur, Deinde ſi quid circa literam & Gloſſam annotandum ſit, breuibus expedietur. Tãdem ſi quæ in materia canonis difficultas occurrat, per modum quæſtionis mouebitur, & præmiſſis notandis, ſi quæ erunt neceſſaria ad intelligentiam, cõcluſionibus clariſſimè Deo auxiliante adiunctis neceſſarijs allegationibus probationibuſque reſoluetur.

FINIS RVBRICAE.

DE

Digitized by Google

# DE VSVRIS ALEXANDER III. IN CONCILIO TVRONEN.

*Vſura eſt lucrifacere fructus rei pignoratæ: fallit in caſu hîc excepto.*

## CAPITVLVM I.

PLVRES *clericorum: & infra. Generalis Concilij decreuit auctoritas, vt nullus conſtitutus in clero, vel hoc, vel aliud genus vſuræ exercere præſumat. Et ſi quis alicuius poſſeſſionem data pecunia ſub hac ſpecie, vel conditione in pignus acceperit: ſi ſortem ſuam deductis expēſis de fructibus iam percepit: abſolutè poſſeſſionem reſtituat debitori. Si autem aliquid minus habet, eo recepto poſſeſſio liberè ad dominum reuertatur. Quod ſi poſt huiuſmodi conſtitutum in clero quiſpiam extiterit: qui deteſtandis vſurarum lucris inſiſtat: Eccleſiaſtici officij periculum patiatur. Niſi forte Eccleſiæ beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laici videatur.* Hæc ſunt verba canonis.

Notandum in primis pro Gloſſa cum Hoſtien-

ſtienſi & Ioanne Andrea in Nouella, atque alijs, quod Concilium Turonen. hic vocatur generale: Quia Pontifex Alexander Tertius ipſum celebrauit, & generaliter conuocauit; Alius enim inferior non poteſt facere concilium Generale. Aliter ſumitur Concilium generale in hoc libro Decretalium generaliter Pro Concilio Lateranenſi celebrato ſub Innocentio tertio.

Aduertendum ſecundo. Omne genus vſuræ clericis prohibetur. Multa enim ſunt genera vſurarum, quæ clericis prohibentur de quibus 14. quæſtion. 4. per totam quæſtionem.

Ex Conc. Terraconen. Canonum ſtatutis firmatum eſt, vt quicunque in clero eſſe voluerit, emendi vilius, & vendendi carius ſtudio non vtatur. Quod ſi hoc erercere voluerit cohibeatur.

Ex Concil. Martini Papæ. Si quis oblitus timorem domini & ſanctarum ſcripturarum, quæ dicunt (Qui pecuniam ſuam nõ dedit ad vſuram) poſt hanc cognitionem magni Cõcilij fœnerauerit: vel centeſimam exegerit: aut ex quolibet negotio turpis lucri quæſierit: aut per diuerſas ſpecies vini, & frugis, vel cuiuslibet rei emendo & vendendo aliqua incrementa ſuſceperit: de gradu ſuo deiectus alienus habeatur à clero.

Ex

Ex Concil. Agathen. Tertio. Nullus clericorum amplius accipiat, quam commodauit; Si pecuniam: pecuniam accipiat, ſi ſpeciem: cãdem quam dedit accipiat. Quicquid aliud tantum, quantum dedit accipiat.

Ex Conci. Niceno. Quoniam multi clerici auaritiæ cauſa, turpia lucra ſectantes obliti ſunt diuini præcepti, quod dictum eſt. Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, ſtatuit hoc ſanctum Concilium, vt ſi quis inuentus fuerit, poſt hanc definitionem vſuras accipere: vel ex quolibet tali negotio turpia lucra ſectari, vel etiam ſpecies frumentorum ad ſextuplum dare, omnis qui tale aliquid conatus fuerit ad quæſtum: deijciatur à clero, & alienus habeatur ab Eccleſiaſtico gradu. Quid turpe lucrum ſit, à quo clerici abſtinere maximè debent, definitur in canone ſequenti ex Iulio Papa his verbis.

Quicunque tempore meſſis, vel vindemiæ: non neceſſitate, ſed propter cupiditatem comparat annonam, vel vinum, verbi gratia, de duobus nummis comparat modium vnum, & ſeruat vſque dum vendatur denarijs quatuor, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus.

Tertio obſeruandum. Quod creditor nõ lucratur fructus pignoris, ſed computantur

in ſor-

in ſortem,ipſamq; extenuant hic & c. ſeq. & c.Conqueſtus. Nec ſolũ fructus habiti, ſunt in ſortem computãdi, ſed etiam, qui potuerunt ex pignore haberi, ſed ex negligentia, vel dolo non ſunt habiti: ſecũdum Hoſtien. Panormitanum, Anthonium, & Anchoranum. Quarto cũ Gloſſ. fin. notandũ quod licitè aliquis percipit aliquid ex mutuo, quod erat ſuum vel aliâs ſibi debitum, quoniam clericus à laico tenenti Eccleſiæ poſſeſſioné, ſic eam redimere poteſt, nec tenetur fructus computare in ſortem, ſi non ſit alia via recuperandi; nec eſt vſura, quando ſuum tantum recipit. Poſtremo obſeruandum circa verba (Quod ſi poſt huiuſmodi ſtatutum) hoc ſtatutum eſt declaratorium antiqui iuris. Vſura enim prohibita eſt in veteri & nouo teſtamento. Quantum autem ad pœnam inſertam, eſt noui iuris.

Hoc loco tractandum eſt de vſura & iniuſtitia quæ verſatur circa pignora.

# QVÆSTIO. I.

*An & quomodo vſura committatur circa pignora?*

Pignus hoc loco largè accipitur, non ſolum prout eſt rei mobilis, ſed etiam immobilis.

*Prima Concluſio.* Mutuo dans pecuniam

 alteri

alteri, ad aſſecurationem ſuæ pecuniæ iuſtè poteſt pignus recipere, vt ſe indemnem conſeruet, ex c. præſenti & ſequ. & toto tit. de pignorib. & C. de pigno. action.

*Secunda Concluſio.* Creditor vtens pignore cum notabili damno debitoris abſque eius voluntate expreſſa, vel iuſta de cauſa præſumpta, furtum committit l. ſi pignore ff. de furtis Panormit. in c. 1. de depoſito S. Anton. 2. part. tit. 1. ca. 15. §. 3. Conrard. de contractib. q. 32. concl. 5. Angel. Sylueſter & alij in verbo pignus. Nauarr. in Manuali confeſſariorum cap. 17. num. 204.

*Tertia Concluſio.* Mutuo dans pecuniam indigenti, & recipiens ab eo pignus frugiferum pro ſecuritate, ſi non computat fructus in ſortem, quos interim percipit, eſt vſurarius, & tenetur ad reſtitutionem recompenſationemque omnium fructuum ſic perceptorum, ex hoc c. & ſeq. & c. Conqueſtus. & l. 1. Cod. de diſtrahen. pignorib. Et ſic tenent communiter Theologi & Iuriſperiti. S. Tho. 2. 2. q. 78. arti. 2. ad 6. Antonin. 2. part. titul. 1. cap. 7. §. 25. Scot. in 4. d. 15. q. 2. Gabr. ibidem. q. 11. art. 2. concluſ. 4. Conrard. quæſt. d. Dominicus à Soto lib. 6. de iuſtitia & iure q. 1. ar. 2. Ioan. Medina. de reb. per vſuram acquiſitis. qu. 2. Summiſtæ in verb. Vſura. Canoniſtæ communiter in locis canonum citatis. Ratio etiã eſt manifeſta. Vſura eſt quicquid acci-

accipitur vi mutui vltra ſortem; Sed in caſu poſito fructus pignoris accipiuntur vi mutui vltra ſortem. Ergo ſi fructus non computētur in ſortem committitur Vſura. Hinc manifeſtè infertur, quod quando fructus ex pignore percepti adæquāt mutuum capitale ſiue ad ipſam ſummam ſortis accedunt, tunc is qui mutuo dedit tenetur reddere pignus mutuatario, nec poteſt ſine ſcelere vſuræ repetere capitale: exempli gratia, vt melius res intelligatur, quæ apud multos in praxi eſt. Petrus Ioanni dedit mutuo 24. aureos, pro quorū ſecuritate Ioannes impignorauit Petro pratū, quod in fœno & fructibus arborum annuè deductis expenſis fert vtile æſtimatum 6. aureis, quatuor annis elapſis pratum debet reſtitui debitori, nec ſumma capitalis poteſt repeti. Dicta Conc. intelligitur ſecūdum S. Thom. ab alijs communiter receptum, niſi pignoris vſus ſit talis, qui gratis inter amicos ſoleat concedi, vt ſi liber eſſet, aut res parui momenti. Auaritia huius mūdi aliter ſentit, quia vix eſt qui cógitet de reſtitutione fructuum, quando pignus fructiferum pro mutuo tenet, & integra ſumma ſortis ſine vllo ſcrupulo conſcientię ſæpè repetitur.

*Quarta Concluſio.* Qui mutuo dedit & pignus pro aſſecuratione accipit, ſi quas fecit expenſas neceſſarias non tamē ſuperfluas in

conſeruatione, aut reparatione, aut colligẽdis fructibus, poteſt eas deducere, nec tenetur in ſortem computare. Glo.cum Doctoribus,hîc & infra & in c.Conqueſtus, Angelus,Sylueſt. & alij in verb.Pignus.Eadem ratione poteſt deducere damnum emergens, aut intereſſe, ſi quod patitur,ex eo quod mutuatarius non reddit mutuum in tempore. Nõ tenetur enim aliquis cũ proprio damno proximo ſubuenire,niſi ſit in maxima neceſſitate,in qua etiam tenetur mutuare, aut Eleemoſynam largiri.

*Quinta Concl.* Mutuo dans etiam tenetur cõputare in ſortem nõ ſolum fructus, quos percepit, ſed etiam quos percepiſſet, ſi non fuiſſet in dolo,negligentia,aut culpa lata l. 1. & 2.C.de pact.pig.Gabr.& Conrar.locis cit. concl.6.Angel.in verb. Pignus §.12. Sylueſt. ibid.q.11.Panorm.Anton.& Anchar.cum alijs in hoc cap.

*Sexta Concluſio.* Mutuator ſi accipit pignus eo animo, vt fructus percipiat, nec in ſortẽ computet cum pacto legis commiſſoriæ, ita vt niſi infra ſtatutum diem redimatur, non poſſit deinde reluere,ſed cadat in cõmiſſum, committit vſuram cap. Significante de pignoribus,& DD.ibidem.

*Septima Concluſio.* Mutuator pro aſſecuratione mutui accipiens pignus à ſuo vaſallo ſeu feudatario, ita vt res impignorata, quan-

quantum ad directum dominium ad ipſum pertineat, licitè percipit fructus pignoris, nec tenetur eos computare in ſortem, cum hac conditione, quod interim non teneatur Domino feudi ſeruitutem præſtare, ex hoc cap. cum Gloſſ. & cap. Conqueſtus, & ca. 1. de feudis in communi ſententia & quantum ad hoc nihil refert ſiue ſit ſecularis, ſiue Eccleſiaſticus mutuator. Etſi neceſſario omnes Doctores in hac concluſione conueniant, in aſſignanda tamen ratione diſcrepant. Omiſſis alijs rationibus, quæ adferuntur & confutantur à Panormit. Ioanne Immolen. Anchar. & alijs in capit. 1. de feud. communior & receptior opinio eſt, quod hæc eſt natiua feudorum conditio, vt quoties loco pignoris redierint ad verum & directum dominum fructus non computentur in ſortem. Tunc enim dominium vtile conſolidatur cum directo, & vtrumque ſpectat ad dominum feudi. Qua ratione poteſt percipere fructus pignoris non computãdos eos in ſortem, ita tamen vt feudatarius abſoluatur interim à ſeruitute feudi. Redit enim feudum per impignorationem, ad primam naturam, & deobligatur ab onere feudatarius: Si autem Dominus non remittat ſeruitutem, tenetur fructus computare in ſortem. Quia ad ſeruitium tenetur ratione perceptionis fructuum. Ceſſante igitur cau-



Digitized by Google

ſa ſcilicet perceptione fructuũ, ex eo, quod Dominus eos percipit, debet etiam ceſſare effectus, ſcilicet ſeruitium. Sic tradunt Conrard. quæſtion.d. conclu.3. Gabr.loco citat. Dominic. à Soto lib.6. de iuſt. & iure quæſt. 1. articul.2. Ioannes Medina in Codic. de rebus per vſuram acquiſ. quæſt.2. verſ. An autem dominus poſſit. Angel. in verb. Feudum §. 31. Syluest. ibidem quæſtion.29. Hoſtien. Ioannes Andr. Panormitan. & alij in dict. capit.1. de feud. & in capit. Conqueſtus. infrà. Alia opinio tribuitur Innocentio, quem ſequuntur Adrian. in 4. in quæſtion. de vſur. in verſ. Quia tactum de intereſſe, & Didac. libr.3. variar. Reſolut. capit.1. nume. 4. Quod Dominus rei feudalis poſſit fructus pignoris accipere vltra ſortem non computando eos ad extenuandum: Quia frequenter fructus rei feudalis ſunt eiuſdem æſtimationis, cuius ipſa ſeruitia, quæ ratione feudi à Vaſallo, Domino debentur; à quibus vaſallus liberatur interim dum res apud dominum eſt iure pignoris. Intelliguntur igitur iura & canones prædicti de pignore feudali, quando feudum ita oneratum eſt onere ſeu ſeruitio, vt æquipolleat ſeruitium, quod remittitur fructibus, aut certè parum, vel nihil fructus onus ſupportandum excedant. De huius opinionis veritate multum eſt

eſt dubitandum, vnde etiam ab antiquioribus Iuriſperitis in æquiualenti reprobata eſt, vt patet ex D D. in capite primo, de feud. & in hoc capit. vbi inter alias referunt quod illud capit. intelligatur in feudo conceſſo ruſtico, qui tantum intendebat de labore, quantum valebant fructus, & hanc Cardinalis Zabarella doctrinam tribuit Innocentio, ſed dicunt communiter Doctores, quod hæc ſolutio videtur diuinare. Et ſtante certè opinione Innocentij, Adriani & Couarr. ſi verè naturam & conditiones feudorum conſideremus canones nihil declararent. Videmus enim, quod ſeruitia feudalia communiter ſint longè inferiora ipſis fructibus, qui percipiuntur ratione feudi. Aliâs ſi onera & fructus æquipollerent pauci præſertim generoſi & nobiles caperent & acceptarent. His addi poteſt, quod feuda ſunt beneficia, & non onera. Canones etiã & iura loquuntur abſolutè, & non reſtringunt, nec ius nouum ſtatuunt, ſed antiquum declarant. Neque vrget, quod Didacus dicit contra communem ſententiam, falſum eſſe, quod per dationem pignoris conſolidetur dominium vtile cum directo, cum debitor vtilis dominij ad huc Dominus maneat, & eius nomine fructus à creditore percipiantur ex hoc c.1. & l.1. C. de pigno. action. Huic

enim argumento iam diu reſpondit Conrard.quæſt.d.concluſ.3 dum ſic argumentatur. Si conſolidatur dominium vtile, vel vſufructus cum domino directo tempore, quo durat impignoratio. Igitur interim vaſallus non habet dominium vtile, nec vſumfructum, ſed conſequens videtur inconueniens propter tria. Primò quia tunc non eſſet eius vaſallus. Secundò, quia tunc ſoluto debito non teneretur dominus rem ſibi impignoratam reſtituere vaſallo, quia facta eſſet pleno iure domini. Nullus autem tenetur ex re ſua facere feudum. Tertiò quia tunc ceſſaret ratio pignoris toto tempore impignorationis quod implicat, Conſequētia tenet, quia iam dominus haberet vtrumque dominium rei, & ſic res propria domino. Ratio autem pignoris non conſiſtit in re propria. Reſpondet Conrardus, dicendum ad conſequens illius argumenti, quod vaſallus interim dum durat impignoratio nō habet dominium vtile, vel vſumfructum liberum quoad actum, ſed tantum ligatum & ſuſpenſum pro toto tempore impignorationis & tantum in habitu. Ipſe autem Dominus habet dominium vtile, vel vſumfructum quoad actum, & non niſi pro tempore, quo non eſt ſolutum debitum, & cum obligatione reſtituendi illud vaſallo pro tempore ſolutionis debiti, & per hoc ceſſant tria

incon-

inconuenientia illata in argumento. Nam ad primum dicendum, quod tempore impignorationis adhuc manet vaſallus in habibitu ſuſpenſo ab actu pro tempore. Ad ſecundum. Dominus tenetur ſibi illam rem in feudum reſtituere ſoluto debito, quia non habuit vtrumque dominium niſi ſecundum quid, ſcilicet pro tempore. Ad tertium, bene poteſt ratio pignoris conſiſtere in re etiam propria, quando non eſt perfectè propria ſcilicet vbi habet dominium directum, ſed vtile non habet niſi pro tempore, & quoad actum alio habente eiuſdem rei vtile dominium in habitu. Hæc Conrar. Sũma Baptiſtiniana in verb. Vſura 1. breuibus verbis innuit eandem ſolutionem, quam verbis paululum immutatis amplectitur contra Didacum Coſmus Philiarcus Theologus Florentinus in tractat. de officio Sacerdotis tom. 2. capit. 8. in ſeptimo præcepto de vſura. An hi canones & iura de domino & vaſallo extendantur etiam ad dominum directum accipientem in pignus prædium aut agrum Emphiteuticum, dubium eſt inter Doctores. Hoſtienſis in capit. 1. de feudis putat ſuper hoc Papam conſulendum, quem aliqui alij ſequuntur. Barbatius in dict. capit. primo Conrardus vbi ſupra & alij. Alij vero indiſtinctè putant eandem eſſe rationem, quæ in feudo eſt, ſi enim Em-

phiteotę Domino directo in pignus det bona emphiteotica ratione mutuatæ pecuniæ, quod poſſit percipere fructus non computatis eis in ſortem, modo tempore impignorationis canonem ſiue penſionem remittat, quemadmodum Vaſallo remittitur ſeruitiū. Sic ſentiunt Ioannes Immolen.in diſt.cap.1. de feudis. Ioan. ab Anania in hoc cap. dubitatiuè. Rom.in ſingulari 325. Sylueſt.in verb. Feudum. q.30. Angel.in eod.verb.§.33. & alij alibi: Probant Angelus & Syluest. cum alijs auctoritate Speculatoris in tit. de feudis dicentis, quod feudum, contractus Emphyteuticus, & liuellarius ſunt eiuſdem naturæ. Præterea vbicunque lex feudalis non eſt cōtra iuris naturalis, aut ciuilis rationem habet locum in Emphyteuſi; aliâs non. Bartol.in l. Si mihi & Titio ff. de verbor. obligat. Bald. cap.1. de inueſtit. de re alien.fac. Hæc ſententia ſatis eſt rationabilis, ſi ſequamur communem in feudo pignori dato & ſeruentur ſeruanda de quibus Angel. Syluest. & Nauar. in Manuali confeſſ. cap. 17. numero 218. & alij alibi.

QVÆ-

# QVÆSTIO. II.

*Quid iudicandum de huiuſmodi contractu.*

ALiquis diues mutuat nobili, aut Principi irreuocabiliter ſummam notabilem pecuniæ, vt aliqua poſſeſſio, caſtrum, aut villa cum ſuis iuribus, fructibus & emolumentis ſibi in pignus tradatur; quo pignore vt poſſit vti cum omni vtilitate, donec pecunia ſibi ab impignorante reddatur, nec teneatur fructus computare in ſortem: Vel diues mutuat ſuo vicino pauperi ſummam pecuniæ, qui ei tradit pratum cum multis arboribus fructiferis, vt eo cum omnibus ſuis emolumentis vtatur, donec pecuniam muto datam reſtituat. Quæritur de iuſtitia huius contractus?

Et ſi caſus huius quæſtionis in frequentiſſima praxi ſit, non tamen iſta quæſtio ita ventilata eſt apud Doctores, ſicut aliæ multæ, quæ minus vtilitatis & difficultatis habent. Notandum primò vt caſus rectè formetur, traditio pecuniæ in hoc contractu debet eſſe irreuocabilis, quantum eſt ex parte tradentis, licet pro ſua voluntate accipiens poſſit ſe liberare: Alioquin ſi tradens poſſit pro beneplacito pecuniam ſuam reuocare, indubitata eſſet vſura. Præterea hanc quæſtionem in quodam quodlibeto diſpu-

diſputauit Ioannes Vergenhans Decretorũ Doctor Vniuerſitatis Tubingenſis olim Cancellar. vt refert Conrard. de contractibus quæſt. 33. vbi eiuſdem doctrinam colligit. Secundò aduertendum quod Caietanus 22. quæſt. 78. arti. 2. & Dominicus à Soto l. 6. de iuſtitia & iure quæſt. 1. arti. 2. prope finem exiſtimant Principes & magnates nullo modo poſſe percipere fructus talium vrbium, villarum, aut caſtrorum non computando eos in ſortẽ. Etſi percipiant non cõputando in ſortem ab vſuraria iniquitate excuſari nõ poſſunt. Remedium autem eſſet, vt non reciperent tales poſſeſſiones niſi emptas cum pacto retrouendendi, tunc enim fructus emptoribus obueniunt. Veruntamen hi duo Doctores non ita figurant caſum in terminis, etſi eorum mens ſatis intelligatur. Tertiò præmittendum, hunc contractum differre à contractu emptionis & venditionis cum pacto de retrouendendo etſi non multum in re videantur diſtare. Quia in venditione cum pacto de retrouendendo venditor dominium poſſeſſionis amittit, & in ementem transfert. In hoc autem contractu, de quo nunc loquimur vẽditor manet Dominus rei, & creditor fit poſſeſſor non ſimpliciter, ſed tãquam creditor hypothecæ innitens, vnde non poteſt interuertere, nec vſucapere, ſed quam diu debitum nõ

ſoluitur

ſoluitur, manet in poſſeſſione: ſtatim debito ſoluto poſſeſſio redit ad ſuum Dominum. Quartò multis diſputat Conrard. quo nomine dictus cõtractus ſit vocandus, an mutuationis, an venditionis, vel impignorationis, vel innominatus contractus, & tali diſputatione intricatam materiã huius contractus reddit. Iuniores Iuriſperiti Andreas Alciatus lib. 2. diſpunctionum cap. 3. [redacted] in tractatu commerciorum & vſurarum quæſt. 35. nume. 259. & clariſſimus Germaniæ Iuriſconſultus Andreas Gaill. libr. 2. practicarum obſeruationum, obſeruatione 3. benè appellare videtur vnico nomine hunc contractum antichreſin, & ſtatuunt hanc differentiam inter pignus & antichreſin, quod creditor vtatur antichreſi: pignore vero non vtatur, ſed fructus ex re impignorata percepti cõputandi ſint in ſortem ex leg. 1. & 2. Codi. de pignorat. action. Et Iuriſconſulto id hoc loco obſeruandum, quod prodidit Alciat. in duobus digeſtorum reſponſis nempe ff. de pignorat. action. l. Si pecuniam, & ff. de pignoribus & hypothecis. l. Si is qui bona §. 1. Non Antiphona, ſed antichreſis legendum. In priori quidem lege ſic dicitur. Si pecuniam debitor ſoluerit, poteſt pignoraticia actione vti ad recuperandum antiphonam, nam cum pignus ſit, hoc verbo poterit vti. Sic Marcellus. In poſte-

Digitized by Google

poſteriori autem l. Martian. ſic ait. Et ſi antiphona facta ſit, & in fundum, aut in ędes aliquis inducatur, euſque retinet poſſeſſionẽ pignoris loco, donec illi pecunia ſoluatur: Cum in vſuras fructus percipiat, in his duobus ff. locis Alciat. loc. cit. expungit nomen antiphonæ, & ſubſtituit antichreſin. Antiphona, ex Gloſſ. id eſt pignus quod ſub hoc nomine creditor accepit, vel eſt ſcriptura, quam facit debitor, in qua continetur eum debere tãtum, & dat eam creditori, antiphona id eſt ſuppoſitio, vel obligatio pignoris.

Antichreſis autem auctore Alciato eſt pignus, quod ita datur, vt eius vſum & fructũ pro vſuris ſibi computet creditor, vtpote ſi ei fundus tradatur ea conditione, vt eum pignori habeat, donec 100. ſoluat quos ei tradidit, & interim fructus colligat, nec in ſortem computare teneatur. Poteſt etiam aliquo modo hic contractus impignorationis dici, quemadmodum non raro Germanicè à noſtratibus appellatur. Quintò hoc loco recolendum quod in notab. 8. & 10. Rubric. traditum, in hoc contractu non intercedere mutuum, cum de eius natura ſit quod ſors poſſit reuocari, quod in præſenti locum non habet. Ideo quamuis in vulgari vocetur mutuum pecunia, quæ ſic traditur, de hoc tamẽ non eſt curandum: cum in contractibus diſcernendis non tam verba, quam natura & pacta

pacta attendenda ſint. Sextò. Cum iuſtitia huius contractus ſit menſuranda ſecundum doctrinam Conrard.qu.d.Ioan.Maior.in 4. d.15.q.26. & Iuriſperitorum allegatorum in ordine ad congruam penſionem redituum, & pretium eorundem: in Antichreſi attendendum. An ſecũdum communem æſtimationem deductis neceſſarijs & legitimis expenſis fructus pignoris æquipolleant iuſtæ penſioni correſpõdenti pecunijs datis à creditore debitori: exempli gratia, aliquis nobilis alicui principi indigẽti tradit 6000. aureos, & recipit in antichreſin villam, cũ ſuis iuribus & fructibus donec prædictam ſummam reſtituat. Commoda villæ annuè deductis expenſis currunt ad 300.aureos, tunc pro imperij ordinatione antichreſis cõmenſuratur penſioni, ita vt pro 100. quinque annuè ſoluantur. De annui reditus emptione, & iuſtitia talis contractus ad longum tractabitur infra Deo volente in capit. In ciuitate Septimò & vltimò notandum. Aut conuenitur in hoc contractu vt creditor fruatur antichreſi abſque vlla redditione rationũ, & reſtitutione fructuum, quamuis ſecundùm communem æſtimationem annuatim notabiliter excedant iuſtam penſionem. Aut pactum interceſſit, vt de exceſſu fiat computus, & fructus excedentes, debitori reſtituantur, vel in extenuationem ſortis computentur

tentur. His prænotatis ad reſolutionem pergendum.

*Prima Concluſio.* Quando pecunia datur à nobili aut aliquo diuite alicui principi indigenti; ita vt non poſſit reuocari præ voluntate creditoris, ſed redditio ſit in poteſtate debitoris, & interim traditur pignus fructiferum, creditor poteſt percipere fructus correſpondentes iuſtæ penſioni pro legibus & cõſuetudine patriæ, nec tenetur tales fructus in ſortem computare. Conrard. quæſt. d. conclu. 7. Ioannes Maior vbi ſupra, & Carol. Molin. obſcurè quæſtion. d. Probatur. Si non eſſet licitus talis contractus maximè, quia talis mutuatio eſſet vſuraria, vtpote quia mutuando vellet percipere fructus nõ computando eos in ſortem: ſed hoc non arguit, cum non ſit mutuatio, igitur nec Vſura quæ præſupponit mutuationem, cum in caſu noſtro ſors non poſſit reuocari, quod eſt contra naturam mutui. Deinde talis contractus in virtute videtur emptionis & venditionis redituum cum pacto de retrouendendo, cum ſors alienetur, nec poſſit repeti, & fructus pignoris deductis expenſis ſint loco iuſtæ penſionis; quare etiam moderantur ad rationem moderatæ & taxatæ penſionis pro more & ſtatutis prouinciæ & patriæ.

*Secunda Concluſio.* Si fructus talis pignoris

ris ſecundùm communem æſtimationem annuatim iuſtam penſionem excedant, & exceſſus non reſtituatur debitori: aut computetur in ſortem, vſurarius eſt contractus, & annullandus, Molin. loc. cit. Quia talis exceſſus ſuperat pretium reditus. Igitur præſumitur, quod cauſa mutui accipiatur, & ſic etiam per interpoſitionē antichreſios fraus fit politicis ordinationibus, quod eſt deterius & odioſius, quam ſi ſimpliciter nullo alio velamento fraus inducta fuiſſet; quod maximè veritatē obtinet quando creditor tempore contractus cognoſcit, aut antea ſciuit fructus pignoris excedere iuſtam penſionem.

*Tertia Concluſio.* Si fiat contractus cum pacto, vt fructus pignoris computentur in ſortem: aut debitori reſtituantur, nulla apparet iniuſtitia. Quia neutra pars grauatur, cum ſit emptio in virtute reditus, & æquum ſeruetur pretium, nec aliquid cauſa mutui accipiatur.

*Quarta Concluſio.* Tutius ſecuriuſque pro conſcientia eſſet, ſi fieret in caſu propoſito contractus, vt creditor reciperet poſſeſſiones, caſtrum aut villam, &c. emptas iuſto pretio cum pacto retrouendendi ad beneplacitum debitoris. Hanc concluſionem tenent ſine dubio Caietanus & Sot. & clara eſt. Quia contractus emptionis cum dicto

pacto, de omni iure eſt licitus & approbatus & receptus in repu. Chriſtiana, vt infra probabitur in c. in ciuitate, & tunc poteſt quis fructus poſſeſſionis capere vſque ad tempus reluitionis, nec tenetur computare in ſortẽ, cum è re ſua percipiat.

*Quinta Concluſio.* Ab agricolis iuſtiſſimè prohibuit Iuſtinianus fundos in antichreſin accipere in nouella 32. Ratio eſt. Quia omne lucrum, omniſque opera agricolarum conſiſtit in agricultura: Vnde ſi per antichreſin ruſtici fundis ſuis exuerentur, non poſſent agriculturæ intendere, & ſolum vertere cogerentur. Secus tamen eſt ſecundùm Molinam numer. 261. prope finem, ſi agricola multos habeat fundos, & vnum quo carere poteſt, daret in antichreſin. Quod dictum de agricola extendit d. auctor ob identitatem rationis ad nobilem pauperẽ qui ſumptibus ſuis exiguum auitum prædium coli facit, vnde cũ pauperẽ familia viuit: Et profecto eſſet è ſalute reipub. maximeque conduceret pauperibus ruſticis, ſi hæc conſtitutio ſub pœnis innouaretur: Cum rariſſimè habeatur apud ruſticos in conſtituenda antichreſi ratio iuſtæ penſionis, ſi fundus, aut prædium oppignoratum fructus excedentes producat. Imo quando pauperes egeſtate premuntur, tanta eſt nequitia diuitum auarorum vt cum intelligant, in neceſſitate

pau-

pauperes quaslibet grauiſſimas conditiones ſubire ad congregandum pecuniam qua ſibi ſuiſque conſulant, quò meliores fundos habent eò citius ſibi in antichreſin poſtulant minima data pecunia, ita vt ne quidem aliquando mediæ parti fructuum quos ex pignore percipiunt, pecunia ab eis data reſpondeat, ſi iuſtæ & politicæ penſioni comparetur.

# IDEM ALEXANDER III. CANTVARIEN. ARCHIepiſcopo & eius Suffraganeis.

*Idem in effectu dicit cum præcedenti capit. ſed addit tacitè idem eſſe in laicis, nam in præcedenti capit. tantum fuit facta mentio de clericis.*

## CAPIT. II.

QVONIAM *non ſolum viris Eccleſiaſticis, ſed etiam quibuslibet alijs periculoſum eſt vſurarum lucris intendere: auctoritate præſentium duximus iniungendum, vt eos, qui de poſſeſſionibus, vel arboribus, quas tenere in pignore noſcuntur, ſortem (deductis expenſis) receperunt: ad eadem pignora reſtituenda: ſine vſurarum exactione Eccleſiaſtica diſtrictione compellas.*

Materia huius cap. tractata eſt in cap. præcedenti.

IDEM

# IDEM ALEXANDER III. IN CONCILIO LATERANEN.

*Manifeſti vſurarij ad communionem altaris, & Eccleſiaſticam ſepulturam & oblationem offerendam admitti non poſſunt, & clerici contra hoc facientes puniuntur.*

## CAPIT. III.

QVIA *in omnibus ferè locis ita crimen vſurarum inualuit, vt multi (alijs negotijs prætermiſſis) quaſi licitè vſuras exerceant: & qualiter vtriuſque teſtamenti pagina condemnentur: nequaquam attendant. Ideoq; conſtituimus, quod vſurarij manifeſti, nec ad communionem admittantur altaris: nec Chriſtianam (ſi in hoc peccato deceſſerint) accipiant ſepulturam: ſed nec oblationes eorum quiſquam accipiat. Qui autem acceperit, vel Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ: Et quæ accepit reddere compellatur: Et donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfaciat: ab officij ſui maneat executione ſuſpenſus.*

Vſura licitè non poteſt exerceri, cum ſit contra vtrumque teſtamentum.

Manifeſti vſurarij puniuntur pœna hic inſerta. Quis autem manifeſtus ſit vſura-

rius ad effectum harum pœnarum infra in c. Cum in Diœceſi, ad longum explicabitur.

## QVAESTIO. I.

*An vſura iure naturali ſit prohibita?*

CArolus Molinæus in contractu commerciorum q. 74. à num. 528, impugnat hanc veritatem, idque eo fine, vt probet vſuram aliquam moderatam eſſe licitam, quam ſentẽtiam aliquoties in d. tractatu inſinuat: haud tamen aliquo argumento apparenti ſuam doctrinam probat, ſed Theologorum ſententiam contendit confutare: pro vera doctrina, ſit.

*Prima Concluſio.* Vſura eſt iure naturali prohibita, vel alio modo. Vſura eſt de genere malorum, quæ prohibita, quia mala ſunt, & non ideo mala, quia prohibita. Hæc eſt communis opinio Theologorum & Iuriſperitorum, quam docent. D. Baſilius in homil. in fame & ſiccitate habita. D. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. & 2. S. Antonin. 2. par. tit. 1. cap. 6. §. 1. Alexand. Halen. in 3. part. q. 36. & q. 66. Scot. in 2. d. 15. q. 2. Gabr. ibidem q. 11. art. 1. & alij in eadem d. latiſſimè Conrard. de contractib. q. 22. concl. 2. Sotus de iuſtit. & iure libr. 6. quæſt. 1. art. 1. Ioan. Medina in C. de rebus

per

per vſuram acquiſitis q.2.& alij alibi, quibus Iuriſperiti communiter adhærent. Bald. in conſil.449.incip. Ius naturale lib.3.pulchris ſimilitudinibus id probat. Alberic.in repertorio iuris in verb. Vſura. Ioannes Andr. in Regula peccatum de regul.iuris in 6. Petrus Ancharan. ibidem in regul. Peccati venia. Ambroſ.de Vignate in Rubr. ca. Salubriter num. 34. Didac.libr.3.variar.reſolut.capit.1. num.5.Iulius Clar. libr.5. Sentent.Iuris in §. Vſura. Nauarr.in comment. de vſur. nume. 7.& alij alibi. Probatur Concl.Primo.In pecunia & ſimilibus rebus, quæ vſu conſumuntur, vſus eſt ipſius rei conſumptio. Ergo non poteſt ſeparari à proprietate, nec ab ipſa re. Igitur accipere lucrum aliquod pro vſu ipſius rei, & etiam pro ipſa re eſt iniquũ, cum id quod non eſt, pretio vendatur, & confirmatur. Aut creditor capit lucrum pro ſorte, aut pro vſu ipſius. Si pro ſorte ergo bis capit eius æſtimationem, vel capit iniuſtum ſortis valorem. Si pro vſu rei, is non poteſt ſeorſum à ſorte æſtimari, & ſic bis ipſa ſors venditur, quod iniquum eſt. Ad idem facit Baldus in dict. conſil. dum ait. Vſurarius peccat contra naturam rerum, quia impoſſibile eſt ſecundùm naturam quod ſemel vnum bis ſit vnum, quod Vſurarius nititur facere cumulando & aggregando pluſquam patiãtur termini naturales: Nam

natura non poteſt facere, quod ſemel vnum bis ſit vnum, & ideo omnis vſura contra naturam eſt. Secundo, omnis contractus, in quo læditur iuſtitia, quæ reddit vnicuique quod ſuum, eſt contra ius naturale, talis eſt contractus vſuratius; quia in illo non ſeruatur æqualitas, quæ iuſtitiæ commutatiuæ fundamentum eſt, cum vſurarius minus det, vt plus accipiat hanc rationem innuit S. Thomas. Tertio. Pecunia de ſe non fructificat, nec parit, vnde accipere aliquid pro vſu eius, iniquiſſimum eſt; cum potius capiatur ex induſtria aliena, quam de pecunia quæ non fructificat, & hoc clarius oſtenditur. Contra naturam eſt, quod rei, quæ natura ſua infœcunda eſt; partus tribuatur: Sed pecunia ſecundùm communem opinionem & rei veritatem non eſt nata fœtum producere: Ergò ei tribuere quod pariat, vt vſurarius facit, eſt contra eius naturam, hoc argumentum in virtute ponit Diuus Baſilius in dict. homil. Quarto. Hæc propoſitio eſt iuris naturalis omnium rectè ſentientium iudicio. Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Sed vſurarius non vellet ſibi contra iuſtitiam aliquid ſubtrahi, quod tamen ipſe facit proximo, dum eum vſuris ſupprimit. Quinto. Præceptum naturale & morale eſt. Non furtum facies. Sed hoc præcepto vſura prohibetur vt in Rubri. notab.

tab. 13. oſtenſum eſt: Ergo. Sexto. Philoſophi morales, qui nulla ſacra doctrina fuerunt inſtructi, ſed tantum lumine naturæ ducebantur fœnus tanquam quid illicitum damnarunt: Ergo repugnat legi naturæ. Antecedens probatur, Ariſtoteles 1. politic. capit. 7. in fœnore nummus nummum parit. Itaque maximè præter naturam eſt hic acquirendi modus. & libr. 4. Ethicor. capit. 1. prope finem. Quidam, inquit, in capiendo exuperant vndique & quoduis capientes: quales ſunt ij, qui operationes illiberales exercent: vt lenones omnes: & omnes tales: & fœneratores: & qui dant parua pro magnis, hi namque omnes vnde non oportet, & quantum non oportet accipiunt. Communis autem ipſis omnibus eſſe videtur turpis comparatio lucri. Marcus Cato in principio de re ruſtica. Maiores noſtri, inquit, ſic habuerunt & ita in legibus poſuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Quantò priorem ciuem exiſtimarunt fœneratorem quam furem hinc licet exiſtimare. Cicero libro ſecundo offic. prope finem ex ſententia Catonis ait fœnerari eſſe hominem occidere. Cuius & meminit Plutarchus in ipſius vita. Ad hæc gentilium dicta alludere videtur D. Ambroſius in libr. de Tobia capit. 14. Vſuram, inquit, petere ſuffocare eſt. Hoc quo- *Exod. 22.*

que foris ſerio eſt dictum à quibuſdam corũ prudentibus. Quid eſt, inquit, fœnerare? hominem occidere. Sed vtique non Cato Prior, quam Moyſes, qui legẽ accepit. Multo ille poſterior. Ex his infero cum Dominico Soto d. artic. 1. quod opinio hæc quod vſura non ſit iure naturali prohibita, non modo planè falſa eſt, ſed etiam periculo ſubdit con-cluſionis veritatem, qua aſſeritur, vſuram eſ-ſe peccatum.

*Secunda Concluſio.* Non eſt etiam licitum minimas vſuras exigere. Hęc eſt contra Molinæum in d. tract. de commercijs: Cum enim ſtatuat vſuram non eſſe intrinſecè malam, nec contra legem naturæ, aſſerit per leg. Eos Cod. de vſur. licitas eſſe vſuras moderatas iuxta dict. leg. Eos. Molinæum huius erroris taxat Martin. Nauarr. in commentario de vſur. numer. 11. & vt bene dicit hæc doctrina ab Hæreſi, aut eius ſuſceptione vix excuſari poteſt. Molinæi errorem, quidam ſuperiori tempore ex illis, qui ſe nunc Euangelicos nominant in quibuſdam ſuperioris Germanicæ partibus, ſcriptis renouarunt. Doctrinam Nauarri quod talis opinio non longe abſit ab hæreſi diu antè rectè tenuit Baldus in Auctent. Ad hæc, Cod. de vſur. qui dicit quod tenens vſuram etiam in vno nummo eſſe licitam ſapiat vſuram. Concluſionem noſtram poſitam tenent cõmuni-

muniter Doctores. Diuus Hieronymus in capit.18. Ezechiel. cuius verba referuntur in 14. quæſtion. 3. canon. putant. Alij ait, pro pecunia mutuata ſolent munuſcula accipere diuerſi generis, & non intelligunt vſuram appellari, & ſuperabundantiam, quicquid illud eſt, ſi ab eo, quod dederint, plus acceperint. Molinæus hîc attẽdat, quam rectam ſententiam tulerit, quando in dict. tract. numer. 12. notat Petrum Ancharanum in reg. peccatum & peccati venia de reg. iuris in 6. quod concluſerit vſurarium mentalem fuiſſe quendam Raynerium ciuem Senenſem, qui ditatus fuerat minutis munuſculis ruſticorum, quibus gratis ſuas pecunias mutuabat ſub termino, qui lapſo minuto (pro facultate & commoditate debitoris) accepto munuſculo, & omni alia ceſſante pactione & exactione diem ſolutionis prorogabat. Sanctus Auguſtinus ſuper Pſalm.36. concione 3. cuius verba inſeruntur 14. quæſtion. 3. capit. Si fœneraueris homini, id eſt, ſi mutuo dederis pecuniam tuam; à quo plus, quam dediſti expectes, non pecuniam ſolam; ſed aliquid plus, quam dediſti: ſiue illud triticum ſit, ſiue vinum, ſiue oleum, ſiue quodlibet aliud, ſi plus quam dediſti expectes accipere, fœnerator es in hoc improbandus, non laudandus. Diuus Ambroſius loco citat. de Tobia. Et eſca, ait vſura eſt,

eſt, & veſtis vſura eſt, & quodcunque ſorti accedit, vſura eſt. Quod velis ei nomen imponas vſura eſt, S. Thom. 2.2. quæſt. 78. arti. 2. Turrecr. in d. can. Putant Conrard. quæſt. 21. de contractib. Panormit. in c. Conſuluit. & capit. Nauiganti, & alij alibi communiter. Quare male repudiat Molinęus Canoniſtas, cum etiam ſancti Patres & Theologi communiter teneant: probatur Conc. ratione. Vſura eſt intrinſecè mala ſicut furtum. Nam eodem pręcepto prohibetur vt ſupra in Rubric. nota. 13. probatum eſt. Ergo etiam quælibet minima vſura eſt illicita, ſicut quodlibet minimum furtum eſt iniquum. Et ſic dicere minimam vſuram eſſe licitam nihil aliud eſt quam minima furta iuſtificare. Deinde minimæ vſuræ conuenit definitio vſuræ vt patet intuenti, ſed omis vſura ſic definita illicita eſt ſecundum mentem Theologorum & Iuriſperitorum.

## SECVNDA QVAESTIO.

*An vniuerſaliter in veteri teſtamento, vſura fuerit prohibita?*

VIdetur quod non. Deuter. 23. Non fœneraberis fratri tuo, ſed alieno. Ergo ſaltem ratione alienigenarum fuit licitum Iudæis dare ad vſuram.

*Prima*

*Prima opinio.* S. Thomæ 2.2. quæſt. 78. art. 1. Alexand. Halenſis 3. part. quæſt. 36. memb. 4. Gabr. in 4. d. 15. quæſt. 11. arti. 1. colum. penult. Ioan. Gerſon in tract. de contractibus. Soti de iuſtit. & iur. lib. 6. quæſt. 1. art. 1. Caietani 2.2. quæſt. 78. ar. 1. Ioan. à Turrecremata 14. quæſt. 4. can. vltimo. Ioan. ab Anania cap. 1. de vſur. Hoſtien. in ſumma de Vſur. §. in aliquo. Couarr. libr. 3. variar. reſolut. capit. 1. numer. 6. & aliorum dicentium vſuram fuiſſe permiſſam Iudæis non vt rem licitam cum alienigenis, ſed vt minus malam; ſicut etiam eis fuit permiſſus libellus repudij. Hęc autem permiſſio facta eſt eis duplici de cauſa. Prima, vt facerent minus malum non fœnerando fratribus. Secunda, quia rudes erant & duræ ceruicis, vnde paulatim perducendi erant ad perfectionem: Cui rationi fauet D. Hieronymus in capit. 18. Ezechiel. Et quomodo, inquit dicitur. Fratri tuo non fœnerabis: Alieno autem fœnerabis, ſed vide profectum: In principio legis à fratribus, tantum fœnus tollitur. In Propheta ab omnibus vſura prohibetur dicente Ezechiele. Pecuniam ſuam non dedit ad vſuram. Poterant ergo ſecundum hanc ſententiam impunè Iudæi fœnerari alienis non fratribus quamuis fœnerando peccarent: Quemadmodum etiam ſecundùm legem ciuilem vſura infra certos limites ſecundùm aliquorum

rum doctorum opinionem, vt in q. ſequenti videbitur, permiſſa eſt, ſecundùm leg. Eos C. eod. tit.

*Secunda ſententia*, Aliorum S. Antonini 2. part. titul. 1. cap. 7. §. 2. Ioannis Maior. in 4. d. 15. quæſt. 29. Conrard. de contract. quæſt. 24. Ioan. Medinæ in d. quæſt. 2. Hanc etiam ex Iuriſperitis tenent Hyppolitus Marſil. in l. 1. §. præterea numer. 65. ff. de quæſtionib. & Ludouicus Romanus in ſingul. 265. Vſuras Iudæis fuiſſe permiſſas erga alienigenas non ſimplici tolerantia, ſed propria permiſſione & approbatione: Non tamen poterant omnibus alienigenis ſic fœnerari, ſed tantum eis, cum quibus bellum iuſtè poterant gerere, & ſic impropriè dicebantur fœnerari, & per quandam diſpenſationem, qua Dominus Iudæis concedebat, vt bona, quæ à gentibus poſſidebantur, ſibi acciperent iuxta illud Ambroſij in lib. de Tobia ca. 15. adductũ à Gratiano 14. quæſt. 4. cap. fin. Ab illo exige vſuram, cui merito nocere deſideras, cui iure inferuntur arma, huic legitimè indicantur vſuræ, Quem bello non potes facile vincere, de hoc cito potes centeſima vendicare te. Ab hoc vſuram exige, quem non ſit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui vſuram flagitat, ſine gladio ſe de hoſte vſciſcitur, qui fuerat vſurarius & exactor inimici. Ergo vbi ius belli, ibi etiam ius vſuræ. Hæc

verba

verba D. Ambroſij non patiuntur difficultatem, quamuis referente Alexand. Halenſi. 3. part. quæſtion. 66. aliqui magiſtri dicant, quod non ſit B. Ambroſij; ſed Ambroſij adoperti cuiuſdam hæretici, qui ſub ſpeciè B. Ambroſij multa falſa dixit. Eſt tamen textus B. Ambroſij loco citato, qui ſic intelligendus, quod ab hoſte licitum eſt vſuram exigere, id quod nobis debet, nec aliter habere poſſumus, vt quoties aliquid ratione damni iniuſtè illati debet; vel bona ab hoſte poſſeſſa ſunt ipſius mutuantis & ad eum pertinent. In talibus enim caſibus, quando ſcandalum ceſſat, poteſt aliquis ſua, vſura ab iniuſto poſſeſſore recuperare, modo alia via recuperandi non ſuppetat, vtpote quia debitor potens, & creditor pauper, quod per viã iuſtitiæ non valet habere. Tum enim alienum non exigit ſub vſura, ſed ſuum proprium, quare ceſſat ratio veræ vſuræ. Nunc pro reſolutione.

*Prima Concluſio.* Iudæis nunquam fuit licitum mutuo dare ad vſuram ſuis fratribus. Probatur ex ſacris literis. Deuterom. 23. Non fœnerabis fratri tuo ad vſuram, neque fruges, neque quamlibet aliam rem, ſed alieno. Fratri autem tuo abſq; vſura, id quo indiget, commodabis. Leuit. 25. Ne accipias à fratre tuo vſuras, nec amplius, quam dediſti. Exod. 22. Si pecuniam mutuam dederis

popu-

populo meo pauperi, qui habitat tecum. non vrgebis eum quaſi exactor, neque vſuris opprimes. Per fratres in his ſcripturis intelliguntur illi, qui erant de populo Iudæorum & Iſraëlitarum, & eoſdem ritus habebant. Quia omnes tales ad eodem patre ſcilicet Iacob deſcendebant, qui & Iſraël dictus erat. Vnde Dominus in dict. c. Exod. 22. Si pecuniam mutuo dederis populo meo.

*Secunda Concluſio.* Nunquam fuit licitum Iudæis dare ad vſuram alienis, ſeu hominibus alterius nationis, ſiue gentilibus, Probatur Concl. Iudæi non ſolum obligati fuerunt illo tempore ad obſeruationem librorum legalium Moyſi, ſed etiam aliorum librorum veteris teſtamenti, ſed in alijs libris veteris teſtamenti indiſtinctè & ſine reſtrictione prohibetur vſura Ezechie. 18. Vir iuſtus, qui ad vſuram non accommodauerit vita viuet. Ad vſuram autem dans, & amplius accipiens non viuet, & cap. 22. Vſuram & ſuperabundantiam accepiſti, & auarè proximos tuos calumniabaris: meique oblita es, ait Dominus Deus. Pſal. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto eius. Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit. Rabbi Salomon atteſtante Conrard. in d. quæſtio. 24. concl.

concl.2.in Exo.22.ſic exponit. Per hoc quod dicit, populo meo pauperi, nõ excludit gentilem, ſed datur intelligi, quod prius & in minori neceſſitate debet Iudæus mutuare Iudeo, quam gentili. Ioſephus etiam legiſperitiſſimus libr. 4. antiquitatum Iudaicarũ fol.3. ante finem ponit abſolutè ſine limitatione, his verbis. Nulli verò Hebræorum licebat fœnerari, neque cibum, neque potũ, &c. Ratio etiam oſtendit. Vſura eſt intrinſecè mala & cõtra ius naturæ. Ergo nullo modo licita fuit Iudæis reſpectu gentilium. Si quis obijciat contra. Illud Deuteronom.28. Fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies. Reſpondetur à S. Thoma d. q.78.art.1.ad 2.quem Conrard. Sotus. Medina & alij ſequuntur, quod fœnerari ibidem non accipitur pro dare ad vſuram, ſed pro mutuare iuxta illud Eccleſiaſt.29. Fœnerare proximo tuo tẽpore neceſſitatis illius. Quare ſenſus illius Deuteronom. eſt, quod ſi populus Iudæorum legem Dei ſeruaſſet, tantã benedictionem rerumque abundantiam à Deo accepiſſet, quod gentibus etiam ſufficeret mutuare, nec ipſimet Iudæi indigerent à gentibus mutuum petere.

*Tertia Concluſio.* Noſtris Iudæis non eſt licitum nunc fœnerari Chriſtianis tanquam hominibus alterius ritus & gentilibus, probatur. Iudæi noſtri ſubſunt adhuc legi Moy-

ſis,& Prophetarum,vt ipſimet fatentur. Sed in Prophetis indiſtinctè prohibetur vſura, ergo. Deinde Iudæi noſtri ſubſunt legi naturali: Lege autem naturali vſura eſt prohibita,& Confirmatur: Vſura prohibetur præcepto Decalogi. Non furtum facies. Iudæi autem adhuc profitentur obſeruationem decalogi. Idem patet infrà in cap. poſt miſerabilem,vbi præcipitur principibus & poteſtati vt compellant Iudæos ad remittendum vſuras Chriſtianis. An autem ſit licitum permittere Iudæis vt vſuras exigant à Chriſtianis, examinabitur infra in cap. Quantò amplius.

*Quarta Concluſio.* Deuteronom.23. Vſura fuit permiſſa Iudæis reſpectu alienorum ſiuè hominum alterius ritus non vt res licita, ſed vt minus malum, ad vitandum maius. Vel alijs verbis. Vſura fuit illis permiſſa ſimplici tolerantia ita vt non punirentur, ſicut meretrices permittuntur in publico lupanari viuere ad euitandum adulteria & latrocinia, quod ſatis ex eodem cap. videtur intelligi. Quia ibidem dicitur. Non erit meretrix de filiabus Iſraël, nec ſcortator, quaſi diceret, de gentibus impunè permitto. Probatur Conc. inprimis ex ſecunda. Deinde eandem vſuram in Deuteronom. inhibuit exercere erga fratres & ſuos, quam permiſit reſpectu alienorum & gentilium. Sed prohibuit

buit erga frates veram exercere vſuram, ergo permiſit eandem erga alienos & gentes. Conrard. & Ioannes Medina reſpondent, quod licet fuerit eadem in genere, non tamen fuit eadem in ſpecie. Metaphyſica eſt hæc reſponſio, ſed parum ad rem, abſurdum eſt enim admittere in vnico breuique contextu trium aut quatuor verborum æquiuocationem in ſacra ſcriptura. vbi nulla vrgens ratio cogit. Præterea vt bene annotat Dominicus Sotus in d. articul. 1. Terra gentilium Iudæis donata non erat, niſi vtraque ripa Iordanis, quæ centum ſexaginta miliaribus in longitudine patebat, & ſexaginta in latitudine. Permiſſio autem vſurarum multò latius ſe extendebat, nempe ad quoſcunque gentiles etiam in remotiſſimis prouincijs habitantes, & cum Iudæis commercia habentes. Hanc cõcluſionem etiam tenet communior & receptior ſententia vt patet, ex allegationibus in principio quæſtionis adductis.

## QVÆSTIO. III.

*An ſpeciali lege noui teſtamenti vſura ſit prohibita?*

DIco in titulo quæſtionis, lege ſpeciali, propter Dominicum Sotum loco cita. qui exiſtimat vſuram in nouo teſtamento



Digitized by Google

non eſſe alia lege prohibitam, quam generali præcepto. Non furtum facies. Carolus Molinæus in d. tract. commerciorum num. 11. & 70. eneruat præceptum noui teſtamēti de prohibitione vſurarum, atque ſummos Pontifices præceptum declarantes contemnit more hæreticorum, qui ſummi in Eccleſia Catholica Monarchæ auctoritatem ferre nequeunt.

*Prima Concluſio.* Certiſſimum eſt vſuram eſſe prohibitam in nouo teſtamento. Probatur ex cap. præſenti & ca. Super eo. eod. titul. in quibus locis dicitur, quod vſuram vtriuſque teſtamenti pagina deteſtatur. Eandem concluſionem tenent nō ſolum Theologi omnes, ſed etiam Canoniſtę vt atteſtantur Couarr. loco cit. & Iulius Clarus libr. 5. ſententiarum in §. Vſura, & clarius patebit ex ſequ. concluſione. Hinc infertur, quod hæreticus & ab Eccleſia alienus eſt, quiſque pertinaciter negauerit vſuram non eſſe prohibitam in nouo teſtamento. Quia ſentit contra generalis Concilij determinationem, Pontificum declarationem & communem Doctorum indubitatam ſententiam.

*Secunda Concluſio.* Vſura prohibetur præcepto noui teſtamenti Lucæ 6. Mutuum dā-tes, nihil inde ſperantes. Sic Theologi. Alexand. Halenſis in 3. par. quæſt. 36. membr. 2.

&q.

& q.66.mem.2.& 4.S.Thom.2.2. quæſt.78. art.1.ad 4. S. Antonin.2.part.titul.1. capit.7. §.2.Gabr.in 4.d.15.quæſt. 11.art.1.notabili 3. Richard.ead.d.articu.5.quæſtion.5. Adrian. in 4.in tract.de reſtitutione §.Aggredior caſus, verſ. Octauo dubitatur. Contard. quæſtion.22.conclu.3.Caietan.tom.2.tract.8. de vſura qu.2. Turrecrem. 14.quæſt.4.c.Quod vero qu.1. ſequuntur Iuriſperiti: Canoniſtæ cum tex.in capit. Conſuluit.Laurent.à Rodulphis in repet.eiuſdem c.in 3. par.§. Nunc venio ad ſecundum num.6.Ambro.de Vignate ſuper c.Salubriter num.28.Bald.in Rubric.C.eod.titu.quæſt.1.Salicet.in Auct. Ad hæc. q.6.ibid. Bertachinus in repertorio iuris in verb.Vſura. Alber. etiam in ſuo repertorio in eodem verb. Martin. Nauarr. in d. comment.à numer.7.& alij alibi, & hic ſenſus tenendus vt rectè ait Couar.loco d.Quia ab Eccleſia, quæ Spiritu ſancto duce ſacram ſcripturam interpretatur receptus eſt in ca. Conſuluit. infr. Vbi Vrbanus Tertius ad propoſitum ex Luca allegat. Confirmatur idem Leo X.in bulla de cõfirmatione montis pietatis,dicit, quod Dominus noſter Luca atteſtante, aperto nos præcepto obſtrinxerit,ne ex dato mutuo,quicquam vltra ſortem ſperare debeamus. Quod verò Sotus exiſtimat ſatisfieri canonibus,per hoc,quod vſura prohibetur præcepto Decalogi,longè

eſt à mente Pontificum, cum expeſſe dicant vſuram damnari pagina vtriuſq; teſtamenti. Ad præceptum. Non furtum facies, cum ſit naturale & morale & contineatur in decalogo magis pertinet ad antiquum teſtamentum. Deinde Pontifices ſine dubio intellexerunt prohiberi illo loco, quo Theologi & communis ſententia. Id quod euidentiſſimũ redditur ex declaratione Vrbani Tertij in c. Conſuluit & declaratione Leonis X. vbi ſupra. Quod autem Carolus Molin. in d. tract. num. 70. prope fin. ait. Quod illud Euangelicum. Mutuum dantes, nihil inde ſperantes veteres tempore Iuſtiniani quoq; interpretabantur conſiliũ ad perfectionem vitę pręſtitum donec poſtea Gregorio Nono, & Clemẽti Quinto placuerit illud ad præcepti neceſſitatem trahere, falſum eſt: Qui enim illi veteres ſunt? qui conſilij vnquam dixerint, omnia illa, quæ in Euangeliſtæ verbis continentur. Atq; vt hoc melius intelligatur: duæ ſunt partes huius ſententiæ. Vna quantũ ad mutuandum. Altera quantum ad hoc vt nihil inde ſperetur: Priorem partem S. Thom. Anton. Conrard. alijque antiquiores Theologi bene intellexerunt & docuerunt eſſe cõſilij extra caſum neceſſitatis. Poſteriorem verò omnes intellexerunt eſſe præcepti. Quemadmodum & Pontifices aſſiſtente illis Spiritus ſancti gratia, & grauiſſimorum

Docto-

Doctorum auctoritate rectè declararunt illud Lucæ ad præceptum pertinere. Simile exemplum eſſe poteſt ex illo Pſalmi. Vouete & reddite Domino Deo veſtro, prius verbũ cõſilij eſt: At ſeruare & reddere id quod voto emiſſum eſt, vt omnium rectè ſentientium iudicium eſt, & determinatum in c. Magnæ de voto & voti redempt.

## QVÆSTIO. IV.

*An vſura iure ciuili ſit prohibita?*

PRæſupponitur hîc quod nunc particularibus conſtitutionibus omnium Regum & principum, & Rerumpublic. bene inſtitutarum apud Chriſtianos vſura prohibita ſit, & apud Germanos res clara eſt ex conſtitutionibus Politicis Imperij Maximiliani Primi de Anno Domini 1500. in Comitijs Auguſtanis, & Caroli Quinti de Anno 1548. & alibi: quæſtio hæc quærit. An legibus Iuſtiniani vſura fuerit prohibita, vel approbata. De qua controuerſia diuerſa eſt Doctorum ſententia. Andreas Alciat. in capit. 1. de offic. ordin. numer. 78. referente Iulio Claro libr. 5. Sententiarum iuris in §. Vſura. numer. 4. dicit communem opinionem eſſe, quod de iure ciuili, vſuræ infrà legitimum modum ſint permiſſæ, pro hac

opinione ſunt leges. L. Eos. C. de vſur.& L. Placuit ff.eod.titul.& aliæ leges. Alia ſententia eſt vſuras iure ciuile authent. eſſe prohibitas à Iuſtiniano. Huius ſententiæ fundamentum eſt. Quia Iuſtinianus profeſſus fuit fidem Catholicam, & admiſit approbauitq; quatuor Concilia vniuerſalia,inter quæ fuit etiam Nicænum,quod vſuras prohibuit, & eas ſacræ ſcripturæ aduerſari tradidit d. 47. canon. Quoniam multi : Et ſic ſecundùm hanc ſententiam lege ciuili Authent. implicitè Iuſtinianus vſuras vetuit : Sic tenent Gloſſ. in Authent. Ad hæc eod.titul. Gloſſ. 14.quæſtion.4.cap. Quid dicam, & in capit. præſenti,& hæc opinio communis eſt Gloſſarum Legiſtarum ſecundùm Immolen. in Clemen.1.de vſur.quem refert Anan.in hoc cap.nume. 16. Hanc etiam communem eſſe atteſtantur Alberi.in l. Cunctos populos C. de ſumma Trinit. & fide Catholica num.15. Et Imolen. in l.1.ff.de ſolut. quod hanc opinionem communiter Legiſtæ & Canoniſtæ tenent. Abbas in c.Cum ſit generale de foro competenti nume.8.Iaſon.in d. L.Cunctos populos.num.47.Iulius Clar.& Didac.loco citat.

*Prima Concluſio.* Vſura nulla lege humana Imperatoris poteſt reddi iuſta , & licita, probatur. Vſura eſt contra ius naturale & diuinum vtriuſque teſtamenti.Nulla autem

pote-

poteſtas humana poteſt diſpẽſare in iure naturali & diuino. Deinde Imperator eſt ſeruus Dei, vt quidam Doctores loquuntur. Seruus autem non poteſt tollere legem Domini ſui.

*Secunda Concluſio.* Iuſtinianus prohibuit & reprobauit vſuram vſurarum, conſtat ex C.de vſur. L.fin. & L. Placuit ff. eod .titul.& L.Improbum fœnus C. ex quibus cauſis infamia irrogatur. Vſura autem vſurarum dicitur, quando vſura vſuram parit: vt e.g. elapſo termino debitor vſurarum non eſt ſoluendo, vſuram adijcit ſorti, ita vt illa vſura etiam annuatim aliquid lucri proferat. Vſuram vſurarum Cicero vocat libr. 6. epiſtol. ep. 1.3.& 4. ad Atticum Renouationem veteris, & Græcè anatociſmum lib.5.epiſto.vltim. Etſi vſuræ vſurarum cum rigore iuris ciuilis ſint prohibitæ, tamen non deſunt multi apud Chriſtianos, quibus hoc genus vſurarum in frequenti exercitio eſt: ita vt callidè & pedetentim pauperum ſubſtantiã deuorent. Mutuo enim dant 100. vt aliquam vſuram habeant, & cum ſciant pauperes tardos ad ſolutionem ob inopiam, anno elapſo veniunt non multum vrgendo ſolutionem: ſed tantum admonendo & offerendo gratiam, ex quo ob paupertatem non ſint ſoluendo, quod illud incrementum ſorti velint annumerare, vt ſub eadem

forma tranſeant: Secundo anno eiſdem cuniculis ingrediuntur, cum ſciant pauperes quaslibet ſubire conditiones, vt liberent ſe à præſenti ſolutione. Elapſis ita aliquot annis importunè vrgent totius ſummę cum vſuris vſurarum ſolutionem: Et cum pauperes hoc modo ſunt grauati & quaſi implicati, ita vt ſe expedire nequeant, ſuæ nequitiæ diu conceptæ inſiſtunt, vt ſi pauper aliquem fundum fertilem, vt prædium commodum habeat, aucupentur cautis verbis, & nonnunquam etiam minis inducendo, vt quaſi voluntariè conſentiat: Vel deducẽdo negotium ad cœcum aliquod iudicium, vbi tam mirum in modum prædicant ſuum beneficium, quod pauperi (ſi credere fas eſt) præſtiterunt longo tempore expectando, in neceſſitate adiuuando, & quod maius lucrum è ſua pecunia habere potuiſſent, nec non quod huc illucque ſæpè curſitando ſuum laborem perdiderint, & ſimilibus phaleris verborum ad circumueniendum pauperem ſub colore damni emergentis, aut lucri ceſſantis voraginem vſurarum tegunt. Pauperes autem cum non habeant, vnde ſuam iuſtitiam proſequantur, ſuccumbunt, præſertim quando iudices tales ſunt, vt apud eos cauſa pauperum non ingrediatur. Sed profecto iuſti & timorati iudices in defenſione pauperum pro ſua auctoritate, & officio oculos

culos aperire,& tam improbos exactores ſeuerè punire deberent.

*Tertia Concluſio.* Iuſtinianus iure C. prohibuit omnem vſuram excedentem centeſimam.conſtat ex L. Eos.eod. titul. & communi Doctorum ſententia ibidem. Ad intelligentiam huius Concluſionis & ſequentium annotandum, quod non ſolum in d. L. Eos. Sed etiam in iure Canonico fiat mẽtio vſuræ centeſimæ vt 10.quæſtion.2. cano. Ea enim §.Hoc ius. & in d.47. ex Conc.Nicæno capit.18. canon. Quoniam multi, ſed non omnes conueniunt, quid nomine centeſimæ intelligatur. Quidam antiquiores vt Gloſſ.in d.§.Hoc ius. & L.Eos. Azo in ſumma cod.titu.lib.4. Turrecrem.in dict. capit. Quoniam multi. Conrard.de contractibus. quæſtion. 22. Ioannes Medina & alij exiſtimarunt vſuram centeſimam eſſe, quæ ſorti in anno æquiparatur, vt ſi mutuo dedi Paulo 25. aureos, in fine anni eoſdem reſtituat, & alios 25. pro vſura. Sed hæc interpretatio communiter & meritò à recentioribus reijcitur, cum tam grauis & magna vſura nunquam fuerit permiſſa: Aliter ergo deducant. Romanis & antiquis fœneratoribus in more erat ſingulis menſibus in ipſis calendis accipere & exigere vſuras, vt colligitur ex Leg. Publica. §. Lucius ff. Depoſiti: & Leg. Cum ſtipulati

ſumus

ſumus ff. de verbor. obligat. Hinc calendarium vocabatur liber, in quo calculus vſurarum ſcribebatur L. lecta ff. Si certum petatur. L. Qui filium & L. Nomen ff. de l. 3. Nũc vſura centeſima intelligitur, quæ centum menſibus ſortem æquat, & ſingulis menſibus vnum parit de 100. id eſt duodecim in anno de 100. Centeſima igitur ſi clarè loqui velimus, eſt quolibet menſe centeſima pars ſortis, & ſic in 100. menſibus ſortem æquat, ſiue in octo annis & quatuor menſibus. Hãc interpretationem amplectuntur Budæus li. de aſſe. latè Andr. Alciatus lib. 3. diſpunctionum cap. 1. Andr. Tyraquell. lib. 1. de vtroq; retractu §. 1. in verb. Rentes Gloſſ. 6. numer. 18. Carol. Molinæus in tract. de commerc. & vſur. à num. 48. qui ex Budæo & Alciato mathematicam tabulam antiquarum ligalium vſurarum depingit. Didac. lib. 3. variar. reſolutionum cap. 9. Nauarr. in comment. de vſur. num. 14. Dominic. Sotus libr. 6. quæſt. 1. art. 1. & alij alibi. Semiſſes autem vſuræ, ſunt media pars centeſimæ, quæ 200. menſibus ſortem ęquant, vt quando 100. floreni in anno pariunt 6. Plinius libr. 14. cap. 4. has ciuiles & modicas dicit. Triens eſt tertia pars centeſimæ, vt quando de 100. in anno tantum quatuor ſoluuntur. Beſſes ſunt duę partes centeſimæ, vt quando de 100. in anno 8. numerantur. Horum nominum declaratio

facit

facit ad expoſitionem d.L.Eos.Omnis ergo vſura excedẽs centeſimam à Iuſtiniano prohibita fuit in l.Eos.

*Quarta Concluſio.* Iuſtinianus in d. L. Eos variè pro diuerſo hominum ſtatu moderationem vſurarum fecit. Cẽteſimam permiſit ſolùm in traiectitijs, quando mercatores in ſe periculum ſuſcipiebant. Alijs mercatoribus, qui licitæ negotiationi in terra vacabant beſſem centeſimę.id eſt 8.de 100.in anno, Illuſtribus perſonis & nobilibus trientes, id eſt, quatuor de 100. Vulgaribus autem perſonis dimediam centeſimæ ſiue ſemiſſes,id eſt 6.de 100.in anno. Hæc perſonarum & vſurarum diſtinctio pro memoria continetur quatuor verſibus, quos aliqui Doctores ponunt.

*Diſcant illuſtres ſtipulari poſſe trientes.*
*Et mercatores ſolùm ſibi quærere beſſes*
*Quærere ſemiſſes poſſunt communiter omnes.*
*Intraiectitijs vires centeſima ſumit.*

*QuintaCouclusio.*Iuſtinianus vſuras moderatas iuxta L. Eos. permiſit, & non prohibuit,S.Thom.2.2.qu.78.art.1.ad 3.Caietan. ibid. Gab.in 4.d.15.q.11.art.1.Sotus loco cit. & alij alibi. Quæ concl. intelligenda quod ſimplici tolerantia permiſerit,nõ vt licitam, & iuſtam,ſed vt minus malum ad euitãdum maius. Hæc Conc.patet ex d.l. Eos. Verum tamen eſt quod Conrard.in d.q.22.conc.10. & 11.

& 11. Panorm. in c. Cum ſit. de foro competenti. num. 18. & Couar. lib. 3. c. 1. nu. 6. exiſtimant Iuſtinianum non ſolum ſimplici tolerantia tantum permiſiſſe vſuras, ſed etiam approbaſſe vt licitas; ideoque huiuſmodi leges ciuiles nullius eſſe momenti, ſed improbas, cum ſint cōtra ius naturale & diuinum, quod Imperator nō potuit tollere. Ad fundamentum alterius opinionis, quæ vult implicitè Iuſtinianum prohibuiſſe vſuram, eò quod quatuor Concilia Vniuerſalia receperit & approbauerit. Non enim ſequitur, vt Couar. reſpondet, ex hoc & vſuras ipſum reprobare, quæ per Concilia damnātur, ſiquidem id ex tacita Cæſaris lege deducitur, quæ eiuſdem expreſſis conſtitutionibus non derogat. Præterea licet Iuſtiniani conſtitutio approbet Concilia, non tamen omnia cenſetur prohibere quæ à Concilijs, prohibita ſunt, idque in ſimili dictus auctor oſtendit. Lex diuina Euangelica præcipit obtemperandum eſſe prælatis & Romani Pontificis conſtitutionibus, & tamen non omnia, quæ Romanorum Pontificum decretis prohibentur, lege diuina prohita ſunt, vt conſtat de eſu carnium, qui licet iuſtè lege Pontificia quibuſdam diebus prohibitus ſit, non tamen lege diuina vetitus cenſetur.

ALEX-

# ALEXANDER III.
## PANORMITANO ARCHI-EPISCOPO.

*Non licet inducere quem ad exercendum vſuras etiam pro pio opere.*

### CAPIT. IV.

*SVPER eo vero, &c. Reſpondemus, quod cum vſurarum crimen vtriuſq; teſtamenti pagina deteſtetur: Super hoc diſpẽſationem aliquam poſſe fieri non videmus. Quia cum ſcriptura ſacra prohibeat pro alterius vita mentiri: multò magis prohibendus eſt quis, ne etiam pro redimenda vita captiui, vſurarum crimine inuoluatur.*

Ex hoc ca. colligitur, quod etiam prætextu pietatis malum fieri non debet. Maius etiam malum & peccatum eſt vſura, quã mendacium. Tandem notandum quod quando dicitur quod pro vita captiui redimenda, nõ debeat quis inuolui crimine vſurarum, id intelligendum de dante ad vſuram, & non de recipiente, vt in ſequentibus patebit.

### QVÆSTIO. I.

*An liceat petere & recipere mutuum ſub vſura?*

VIdetur quod non. Inprimis petens & accipiens mutuum ſub vſura dat occaſionem peccandi fœneratori. Si enim

nullus

nullus eſſet, qui reciperet ad vſuram, nullus etiam fœneraretur, vt Canoniſtæ in hoc ca. argumentantur. Dans autem occaſionem damni, damnum dediſſe dicitur cap. Si culpa, de iniurijs. Deinde non ſolum ſunt digni morte facientes, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Rom. 1. Sed ille, qui accipit pecuniam mutuo ſub vſuris conſentire videtur vſurario in peccato, cum præbeat ei occaſionem fœnerandi.

Tractant hanc difficultatem Theologi S. Thom. d. qu. 78. art. 4. Conrard. de contractib. q. 47. Gabr. in 4. d. 14. quæſt. 11. art. 3. Richard. in ead. d. art. 5. q. vltim. Dominic. Sotus in d. q. 1. art. 5. Turrecrem. & Archidiac. 14. q. 4. c. Si quis vſuram. Doctores iuris canonici in hoc cap. vbi ſententias alias enarrando, & parum plenè decidendo tranſeūt. Laurent. à Rodulphis in c. Conſuluit. 1. part. num. 20. Ioan. Imolen. in c. Debitores de iureiur.

Pro clara huius difficultatis deciſione præmittendum in primis ex S. Thom. communiter recepto, quod aliud eſt inducere aliquem ad peccandum, quod nullo modo licet: Aliud vti peccato alterius ad bonum, quod licitum eſt. Quia & Deus vtitur peccatis ad bonum. Ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum, vt dicit Auguſtinus in Enchridio capit. 11. Et ita in ſimili idem

ſanctus

ſanctus ſcribens Publicolæ in epiſtol. 154. & habetur 22. q.1. cano. Mouet te. Reſpondet ad dubium. Vtrum liceat vti iuramento eius, qui per falſos Deos iurat, in quo manifeſtè peccat, eis diuinam reuerentiam exhibens, reſpondit, quòd qui vtitur fide illius, qui per falſos Deos iurat, non ad malum, ſed ad bonum, non peccato illius ſe ſociat, quo pér dæmonia iurauit, ſed pacto eius bono, quo fidem ſeruauit: Si tamen induceret eum ad iurandum per falſos Deos, peccaret. Mallet enim talis, quod per verum Deum iuraret, quod peccatum non eſſet. Secundò cum Caietan. in d. art. S. Thomæ & Soto loc. cita. aduertendum, quod etiam quidam Canoniſtæ obſcurè indicant in hoc capit. quod cum vti peccato alterius, ad bonum ſuum, vel alterius, non ſit peccatum, ideò ſi quis abſque neceſſitate pro vtilitate tamen ſua, vel alterius, vtatur peccato alicuius, à peccato immunis eſt, cum bonum vtile quoddam bonum ſit. Et propterea non oportet petentes mutuum ab vſurario parato, nimis vrgere in conſcientia, quanta, aut quali neceſſitate ducti hoc fecerint, quoniam actum de genere ſuo non malum faciunt: Et ideò niſi ex fine fiat mortalis, aut nullum, aut veniale peccatum erit. Nullum ſi ex neceſſitate, aut pietate. Veniale autem ſi ſine rationabili cauſa.

Tertiò conſiderandum iuxta doctrinam eiuſdem Caietan. & aliorum, quod cum non liceat alium inducere ad peccandum, oportet cautum eſſe in omnibus materijs, vbi agitur de vſu peccati alterius, vt petendo, aliquid licitum petatur v. g. in propoſito petitur mutuum non acceptio vſuræ: poteſt enim aliquis dare mutuum ſine peccato, etiam cum merito. In treuga aut pace cum infidelibus petitur fidelitas pactorum, non diuina iniuria: Et hac via incedendo ſemper petitur id, quod alius poteſt concedere ſine peccato, ſi velit. Ideo petens non directè dat ei efficacem occaſionem peccandi, ſed ipſe à quo petitur ex ſua mala voluntate actui bono deſiderato apponit actum malum diſplicentem ei, qui petit. Mallet enim quiſque mutuum gratis, quam cum fœnore. Conſtituenda ergo cum Caietano hæc regula: ad diſcernendum in talibus caſibus. Si actus petitus poteſt ab eo, à quo petitur, ſine peccato fieri: Quia hæc radix liciti & illiciti, cum de vſu peccati alterius agitur. Poſtremò aut aliquis neceſſitate & cauſa iuſta vrgente motus, accipit mutuum ab vſurario, qui paratus eſt omnibus dare ad vſuram. Aut ſine vlla neceſſitate & rationabili cauſa id facit.

*Prima Concluſio.* Abſolutè loquendo non licet aliquem inducere, vt ſibi aut alteri mu-

tuo

tuo det ad vſuram, probatur. Conſenſum præbere peccato mortali alterius mortale eſt. Rom.1. Non ſolum, qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt faciẽtibus, digni ſunt morte, & cap. Notum 2. qu. 1. Sed peius eſt inducere ad peccandum, quam ſimpliciter conſentire. Ergo. Hanc concluſionem tenent communiter Theologi & Canoniſtæ in hoc cap.

*Secunda Concluſio.* Qui accipit ad vſuram ab eo, qui paratus eſt ſic dare, petendo mutuum ab eo, & cum hoc nolit, accipit mutuũ ſub vſura, ſi neceſſitate aliqua etiam cõmuni ducatur, aut etiam vtilitate, nõ peccat. Quia talis iuſta de cauſa vtitur peccato alterius, nec inducit, ſed petit ab eo, quod licitè & benè facere poteſt, & cum id facere nolit, patitur iniquam conditionem. Iniuriam autem pati non eſt peccatũ ſed facere, vt tradit Ariſtoteles 5. Ethic. c. 11. In hac concluſione etiam conueniunt Doctores.

*Tertia Concluſio.* Non eſt licitum mutuum accipere ab eo, qui etiam paratus eſt dare, ad oſtentationem, voluptatem aut ludos illicitos, aut alios fines inhoneſtos. Quia eſt contra charitatem nõ vitare peccatũ proximi, quando nulla neceſſitas vrget. Et ſi quis in tali caſu mutuum peteret ob finem mortaliter malũ, mortaliter delinqueret, vt cõmunis Doctorum ſententia eſt. Quia offerre

proximò materiam mortaliter delinquendi ſine neceſſitate propter turpem cauſam,grauis culpa eſſet.

*Quarta Concluſio.* Non licet alicui minus malum culpæ in ſe committere, vt maius malum in alio euitetur. Sotus vbi ſupra: & probatur ex hoc capit. Non licet mentiri pro alterius vita, & communiter ibidem DD. text.etiam eſt in 14.d.in ſumma & cap. Quod ait.

*Quinta Concluſio.* Si quis conſtitutus in extrema neceſſitate eſſet, poſſet inducere vſurarium ad mutuandum ſub vſuris,ſi ſine illis mutuare non vellet. Hanc concluſionem tenet Innoc. in hoc c. quem ſequuntur Panorm. Angel.in verb. Vſura 2. §.2. Syluest.in eod.verb.2.q.1. Nauar.in manuali confeſſar. cap.17.num.163. Dominic. Sotus loc.cit. & alij alibi. Ratio eſt,quia hoc non eſt inducere ad peccandum, ſed conſulere minus malum ad euitandum maius, vt in caſu propoſito minus peccatum eſt vſura, quam homicidium, quod vſurarius committeret, niſi ad mutuandũ ſub vſuris induceretur. Quod autem liceat cõſulere minus malum ad euitandum maius,pręſupponunt dicti Doctores tanquam certum, & probatur ex regula illa Topica. E duobus malis minus eligendum,quod etiam verum eſt in malis culpæ, vt patet ex D.Gregorio d.13.cano.Nerui. & ex Au-

ex Auguſt.33.q.2.can. Si quod verius, vbi de cõiuge adulteræ dicitur. Si facturus eſt quod non licet, puta vel vxorem occidere, vel dimittere, faciat adulterium & non homicidium. Eiuſdem ſententiæ eſt D. Chryſoſto. hom. 27. ad populum, vbi cõſulit aſſueto ad iurandum, vt potius per caput ſuum quam Deum iuret. Si quis dicat. Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Ergo non eſt alicui licitum cõſulere vt faciat minus malum ad euitandum maius. Reſpondetur, quod conſulere minus malum ad euitandum maius non eſt facere malum, ſed bonum, ideoq; licitum. Argumentorum ſolutio patet ex præſuppoſitis.

## QVÆSTIO. II.

*An qui ponit pecuniam in depoſitum apud vſurarium, peccet?*

QVæſtio proponitur propter S. Thomã, qui 2.2.q.78.art.4.in 3. argumento, ſic arguit. Non minor videtur neceſſitas quandoque deponendi pecuniam ſuam apud vſurarium, quam mutuum accipiendi ab ipſo. Sed deponere pecuniam apud vſurarium omninò videtur illicitum, ſicut deponere gladium apud furioſum, vel virginem committere luxurioſo. Ergo.

*Prima Concluſio.* Qui deponit pecuniam apud aliquem mercatorem, vel apud nummularium cum facultate ea vtẽdi, ita vt ſingulis menſibus, aut annis ſalua ſorte lucrum aliquod acquirat, vſuram committit. Probatur. Talis contractus magis eſt mutui quam depoſiti, & mutuum ſub colore depoſiti velatur, ergo committitur vſura, ſi aliquid vltra ſortem recipiatur, antecedens conſtat ex l. Si hominẽ §. Quoties ff. depoſiti, cum annotatis ibid. à Gloſſ. & Doctorib. Caro. Molin. de commercijs num. 637. Nauar. in man. confeſſ. r. cap. 17. num. 242.

*Secunda Concluſio.* Si quis deponit pecuniã ſuam apud vſurarium non habentem alias pecunias, vnde vſuram exerceat, peccat. S. Thom. in ſol. argumenti facti in principio. Caie. ibid. qui ſine cauſa hanc materiam tricis inuoluit. Sot. vbi ſupra. Ratio concluſionis. Quia talis præbet propinquam materiã tali vſurario delinquendi, quod eſt contra charitatem & ſic particeps culpæ redditur.

*Tertia Concluſio.* Si quis committat pecuniam ſuam vſurario alias pecunias habenti, vnde vſuras exerceat, vt tutius cuſtodiat, nõ peccat. S. Thom. & Sot. Quia in caſu huius concluſionis non efficacem peccandi occaſionem præbet: Cum vſurarius propria pecunia poſſit vſuram proſequi, & pecuniam depoſitam cuſtodire; & ſic vtitur homine pecca-

peccatore ad bonum ſcilicet in cuſtodiam depoſiti, quod licitum eſt.

## QVAESTIO. III.

*An vſura ſit licita ex teſtatoris voluntate.*

MOuet breuiter Ioan. ab Anania in hoc cap. col. 2. Videtur quod ſic. Ex L. 3. §. fin. ff. de annuis legat. Si cui, dicit lex, certa quantitas legetur, & quoad præſtetur in ſingulos annos, certum aliquid, veluti vſuras, iuſſerit teſtator præſtari, legatum valet. Sed in vſuris hactenus debet valere, quatenus modum probabilem vſurarum non excedat. Hac L. moti quidam Iuriſperiti exiſtimant tale legatum non valere quantum ad vſuras, & eam annuam quantitatem, quæ ſic datur in ſortem principalem legati eſſe cõputandam. Ioan. Anan. hic. Barto. in d. §. fin. Bald. in L. Cum alleges. C. de vſur. oppoſ. 10. Salycet. ibidem col. 2. Iaſon. in l. 1. Cod. de ſumma Trinit. numer. 59. & 60. in prima lectura. Socin. conſ. 56. lib. 3. hanc opinionem communem atteſtatur. Ratio huius opinionis. Cum enim in dicto §. fin. vſura cõſtituatur, ſicuti nec in contractibus eſt licita: Ita nec in teſtamentis. Tale verò legatum valere exiſtimat ex Theologis Ioan. Gerſ. in tract. de contractib. pag. penult. §. Sexta attentio. & aliqui Iuriſperiti. Paulus Caſtren. in dict. leg. 1. de Summa Trinit. colum. penultima

Ludouicus Rom.conſ.510.col.10.Andr.Alciat.ex profeſſo lib.5. Paradoxorum iuris ciuilis.cap.vlt.& alij alibi.

*Prima Concluſio.* In teſtamento & vltima volũtate diſponere vt pecunia mutuo detur ad vſuram, iniquiſſimum eſt: conſtat ex hoc cap.& communi omnium ſententia.

*Secunda Concluſio.* Si quis ſic diſponeret legatum non valeret, ſed eſſet nullum. Sic ſentiunt Doctores communis ſententiæ. Quia in tali caſu teſtator peccaret, cum tentaret alios inducere ad peccandum, & ipſo iure non valeret legatum. Cum legibus & canonibus prohibitum & probroſum ſit. §. fin.Inſtit.de legat.& l.1.C.de his, quæ pœnæ nomine.

*Tertia Concluſio.* Si teſtator adiungeret, vt nomine pœnæ ſui executores, vel alij; quos hęc ccura tangere poteſt, aliquid moderatum ſoluerent in ſingulos annos, ſi ceſſarent à ſolutione legati, non eſſet iniquum legatum, modo talis pœna ſimplex, & ſemel committenda à teſtatore iniungeretur, vt Couar.lib. 3.variar.reſolut.cap.1. propè finem exponit, patet hæc Concl. Quia etiam in contractu mutui poteſt apponi pœna propter moram debitoris.

*Quarta Concluſio.* Si teſtator ita diſponat, vt treditor, cui Legatum eſt factum nõ poſſic petere ſummam capitalem ab eo, qui eã ſoluere

ſoluere debet, ſed det liberam facultatem ea fruendi, quam diu ſibi placuerit, & interim ſoluat annuatim moderatam penſionem, valet legatum, nec committitur vſura. Caro. Molin. de contractib. qu. 73. Couarr. loc. cit. Gerſon vbi ſupra. Quia in tali legato non poteſt dari vlla ratio veri, aut ficti mutui, ergo nec vſura.

*Quinta Concluſio.* Quando legatum ita diſponitur, quod creditor ſiue legatarius poſſit ſortem legatam ſtatim exigere, ſi velit, vſurarium eſt legatum, ſic videtur intelligi cõmunis opinio, ſi addat, quod donec ſors ſoluatur, aliquid certi annuatim detur. Quia talis quantitas in virtute hæredi datur mutuo ſub vſuris, quam diu legatarius exactionem differt, & ſic palliatur vſura, & hic videtur caſus d. l. 3. §. fin. ff. de annuis legatis. Gerſon. putat in d. l. nomine vſurarum intelligi penſionem annuam: ita vt vſura largè accipiatur pro ſuperabundantia & omni incremento, ſed alia expoſitio magis eſt literalis.

*Sexta Concluſio.* Si legatarius ſummam ſibi legatam non poſſit petere niſi poſt certum tempus, atque interim teſtator diſpoſuit ſoluere annuam pẽſionem ſibi, valet legatum, & non committitur vſura. Couarr. loco cit. ſecutus Socin. in l. 2. ff. de his, quæ pœnæ nomine. & Molin. in d. q.

## QVÆSTIO. IV.

*An tutor pecuniam pupilli ſui poßit dare ad vſuram?*

VIdetur quod ſic. Quia ita legibus conſtitutum eſt, vt tutores ſtatim accepta pecunia pupillari, vel ex ea prædia emant, vel eandem pecuniam iuxta vſurarum modum fœnori dent. L. Tutores. 2. C. de adminiſtration. tutor. & L. Quoties ff. eod. tit. Sic itidem tutor, qui pecunias pupilli propria auctoritate in vſus proprios conuertit iubetur vſuras pupillo dare. L. Qui ſine ff. de negoc. geſt. L. Tutor. qui repertorium §. pecunia. ff. de adminiſtrat. tut. L. 1. C. de vſur. pupill. & alibi.

*Prima Concluſio.* Nullo modo licitum eſt pecunias pupillares mutuo dare ad vſuras. probatur, ex hoc capit. Cum enim vſura vtroque teſtamento ſit prohibita, adeò quod ne ſummus Pontifex poſſit in ea diſpenſare, etiam pietatis cauſa, vt liceat eam exercere; multò minus poteſt Imperator lege ciuili eam iuſtificare. Et leges ciuiles, vt rectè Doctores tradunt, concedentes vſuras ſunt reuocatę à canonibus, quicquid parum Chriſtiane in contrarium loquatur Molin. de commercijs quęſt. 76. & alibi, qui vult etiam vſuras pupillares cum earum legibus defendere.

Secunda

*Secunda Concluſio.* Tutor, qui olim ſecundùm leges ciuiles tenebatur pecunias pupillares dare mutuo ſub vſuris, hodie cum vſuræ omni iure ſint prohibitæ, tenetur eas pecunias expẽdere in emptionem prædiorum aut iuſtam negotiationem, vt licitum & iuſtum lucrum ſecundùm loci & prouinciæ laudabilem conſuetudinem, habere valeat. Ioan. Anan. in c. Quia in omnibus eod. titu. Bart. in d. l. Tutor, qui repertorium §. Si poſt depoſitionem Bald. in l. fin. C. de condit. indeb. Ludouic. Roma. in conſ. 28. incip. Viſa facti ſerie, Decius cõſ. 192. col. 1. incip. In caſu propoſito non laborando. Salyc. in Auth. Nouiſſimè C. de adminiſt. tutor. Couar. l. 3. variar. reſolut. c. 2. num. 1. Ang. Syluest. & alij in verb. Tutela.

*Tertia Concluſio.* Quando tutor poteſt exponere pecunias pupillares, vel in emptionẽ prædiorum, aut aliam iuſtam negotiationẽ, vnde licitum lucrum pupillis acquirat, & non facit ex negligentia, aut fraude, tenebitur ad intereſſe pupillo, & iuſtè ad id condemnabitur à iudice d. §. Si poſt depoſitionem, & Doctores allegati tenent. Quod maximè obtinet quando tutor diligens eſt in hiſce lucris acquirendis pro ſe. Quod à fortiori locum habet, quãdo tutor in propriam vtilitatem pecunias pupillares conuertit. An autẽ tutor poſſit tradere pecunias pupillares

ad

ad negationem ita vt ſingulis annis aliquid lucri percipiat ſaluo manente capitali, infra in ca. Nauiganti, vbi de contractu ſocietatis tractabitur, videbitur.

## ALEXANDER III. SALERNITANO ARCHIEPISCOPO.

Vſurarij, qui ſunt ſoluendo coguntur per pœnas Lateranenſis Concilij vſuras reſtituere etiam quas ante Concilium receperunt: & facultatibus non extantibus debent poſſeſſiones emptæ ex pecunia fœnebri vendi, & debentibus recipere, ſatisfieri.

## CAPIT. V.

*Cvm tu manifeſtos vſurarios iuxta decretum noſtrum, quod nuper in Concilio promulgatum eſt: communione altaris & Eccleſiaſtica præceperis ſepultura priuandos, donec readant quod tam prauè receperant: Quidam eorum (ad excuſandas excuſationes in peccatis) impudenter affirmant illas duntaxat vſuras reſtituendas, quæ ſunt poſt interdictum noſtrum receptæ, & inf. Super his.* F. R. T. *quod ſiue ante, ſiue poſt interdictum noſtrum vſuras extorſerint: cogendi ſunt per pœnam, quam ſtatuimus in Concilio: Eas his, à quibus extorſe-*

*torſerunt, vel eorum hæredibus reſtituere: vel (his non ſuperſtitibus) pauperibus erogare: dummodo in facultatibus habeāt: vnde ipſis poßint eas reſtituere: cum iuxta verbum B. Auguſtini. Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Illi autem qui non habent in facultatibus vnde vſuras valeant reſtituere non debent vlla pœna mulctari: Cum eos nota paupertatis euidenter excuſet. Poſſeßiones verò, quæ de vſuris comparatæ ſunt, debent vendi, & ipſarum pretia his, à quibus vſuræ ſunt extortæ, reſtitui: & ſic non ſolùm à pœna, ſed etiā à peccato poßint (quod per vſurarum extorſionem incurrarent) liberari.*

Quoniam in hoc cap. de reſtitutione vſurarum iuxta materiæ ſubiectæ naturam agendum eſt, primo loco, quærendum eſt, an transferatur dominium in vſurarum receptione, quonam hoc fundamento iacto, ſubſequentia facilius intelligentur.

## QVAESTIO. I.

*An per vſurarum receptionem transferatur dominium: Vel Clarius. Vtrum ſolutum pro vſuris tranſeat in dominium vſurarij?*

CElebris hæc quæſtio eſt apud Doctores, in qua non vnanimiter conſentiūt. Vna eſt ſententia affirmans, trāsferri dominium. Hanc tenent Glo. in c. Si quis vſuram 14. qu. 4. Henric. à Gandauo. quodlibeto 4.

q. 27.

q.27.Paludan.in 4.d.15.quæſt.2.art.5.Adria. in 4.in tract.de vſurarum reſtitutione §. Ex his alia oritur quæſtio.S. Antonin.2.part.tit. 1. cap. 8. §. 17. qui tamen ab alijs non citatur pro hac ſententia. Eandem opinionem Gabriel in 4.d.15.quæſt.11.notab.3.Caietan.tomo 2.tract.8.qu.1. & Sotus l.6.q.1.art.4. tribuunt Scoto in 4.d.15.q.2.articul.3. Sed certè id ex eo non colligitur , imò potius contrarium vt benè oſtẽdit Ioſephus Angles in florib. Theologicarum qq. in 4. ſentent. 2. par.in q.de contractu mutui.arti.4. Adrian. Caietan. & quidam alij etiam pro hac parte citant S.Thom.in 4.d.15.q.2.art.4.quæſtiũcula 2.Sed nihil facit ad propoſitum,quoniã ibi ſolum refert quoſdam hoc dicere , dum ait. Sicut in vſura accidit, in qua vt quidam dicunt,dominium transfertur. Hanc ſentẽtiam etiam tenet Aurea Armilla in verb.vſura num.40.qui dicit communiter ſic tenere Doctores præter S.Thom.& Caieta. in quo iudicio multum fallitur vt patebit. S. Anton. dicit quod hæc etiam cõmunior ſit opinio, & tribuit eam etiam S. Thomæ in ſumma, ſed non rectè in hoc ſentit. Adrian.dicit Canoniſtas regulariter etiam hanc ſententiam tenere. Altera ſententia eſt negans,non trãſferri dominium. Huic ſubſcribunt. Alexan. Halen.3.par.q.36.memb.4.art.2. Guilhelm. Altiſſiodoren.3.p.tract.21.q.1.S.Tho. 2. 2.q.

78. art. 3. vbi in fine corporis art. ait. Si quis domum, vel agrum alterius per vſuram extorſiſſet, non ſolum tenetur reſtituere domum, vel agrum, ſed etiam fructus inde perceptos: quia ſunt fructus rerum, quarum alius eſt Dominus, & ideò ei debētur. Ex quibus verbis mēs S. Doctoris aperta eſt. S. Bonauentura in 3. ſentent. d. 37. in 2. parte ſuper literaMagiſtri qui citatur communiter ab alijs in 4. d. 15. vbi nihil ad propoſitum tamen adfert, in libr. quo ego vtor. Gabr. in 4. d. 15. quæſt. 11. art. 1. in fine. Richard. ibid. articul. 5. quęſt. 6. Ioan. Maior. ibid. q. 38. Ang. in verb. Vſura 2. §. 18. Syluęſt. in in eod. verb. 6. quæſt. 1. Franciſcus de Platea in tract. de reſtitutione Vſurarum cap. 8. Caietan. loco alleg. So-Sotus vbi ſupra. Ioann. Medina in C. de reb. per vſuram acquiſ. q. 4. §. in tertio argumento principali. Ioſephus Angles loco d. Adhærent huic ſententiæ etiam Iuriſperiti. Ioã. Andr. Philippus Franc. Dominic. & alij in c. Quanquam de vſur. in 6. dum ſequentes S. Thomam aſſerunt vſurarium teneri ad reſtitutionem fructuum, quos percepit ex domo vel vinea per vſuram acquiſita. Didac. libro 3. variar. reſolutio. capit. 3. numero 6. Iulius Clar. librō quinto receptarum Sentent. §. Vſura & alij alibi. Ex his patet quàm bene acu rem tetigerit AureaArmilla quando docet communiter Doctores tenere

affirma-

affirmantem partem præter S. Thomam & Caietan. cum tamen omnes citati ferè ſint antiquiores Aurea armilla. Deinde video Doctores non conuenire, quæ ſententia communis, aut communior ſit affirmans, vel negans.

*Prima Concluſio.* Problema eſſe poteſt. An vſurarius acquirat dominium rei per vſuram extortæ, nec ne. Hanc concluſionem innuit Conrard. de contractib. q. 69. Quarta ſuppoſitione, & clara eſt ratio. Pro vtraq; parte ſunt graues Doctores, & rationes etiam cum ſint probabiles ſolui poſſunt, vt maximè patet ex his, quæ hinc inde ſubtiliter à Ioanne Medina adferuntur.

*Secunda Concluſio.* Communior ſententia tam Theologorum quam Canoniſtarum eſt, quod non transferatur dominium, Syl-ueſt. in verb. Vſura 6. quæſt. 1. quem ſequũtur Didac. & Iul. Clarus, & Angel. teſtatur communiter etiam Canoniſtæ tenent. Concluſio etiam patet ex allegationibus, vincit hæc ſententia multitudine & grauitate Doctorum.

*Tertia Concluſio.* Communior & negatiua ſententia eſt verior, probatur primo. Contractus vſurarius eſt nullus iure naturali, diuino & Canonico: Quia hæc iura eum improbant, vt ex ſuperioribus conſtat, nec oritur ex tali cõtractu obligatio ciuilis,

cap.

capit. Debitores de iureiur. Gloſſ. Ioan. Imolen. & Panormit. ibidem Angelus & Syluester loco cit. & alij. Ergo per eundem contractum dominium non tranſit. Si dicas, debitor tradit vſurario vſurarium lucrum. Reſpondetur in primis, quod ex nuda traditione dominium non trãsferatur ff. de acquirend. rerum domin. l. Nunquam nuda. Traditio enim transfert dominium, ſed ita ſi venditio, aut iuſta cauſa præceſſerit propter quam traditio ſequeretur. His addi poteſt quod in vſura traditio inuoluntaria eſt. Secundo ſecundùm communem ſententiam, ſi vſurarius per vſurã extorſit rem fructiferam, tenetur eam reſtituere ſimul cum fructibus. Vel ergo ad id tenetur ratione dominij, quod apud mutuatarium manſit, & ſi ſic, habetur intentum: Vel ratione intereſſe, quod mutuatarius ex mora vſurarij patitur, quia priuatur fructibus rei ſolutæ, quibus non priuaretur, ſi res fuiſſet reſtituta. Sed hoc rectè dici non poteſt: tum quia ſi apud mutuatarium dominium rei extortæ non manſit, ſed apud vſurarium, non tenebitur idem niſi ad reddendum aliquid ęquiualens: Sicut qui mutuum accipit non tenetur ad reddendum idem numero, ſed æquiualens, & ita non eſt habenda ratio fructuũ inde poſteà perceptorum: tum ſi ad intereſſe habeatur reſpectus in fructuum reſtitu-

 tione,

tione, ſequeretur quod vbi mutuatarius, ſi rem apud ſe habuiſſet, & nullum inde fructum percepiſſet, quod vſurarius etiam fructus, quos percepit, non teneretur reſtituere: ex quo nullum damnum ex mora vſurarij paſſus eſt. Conſequens eſt falſum. Quia vſurarius tenetur reſtituere fructus perceptos, ſiue mutuatarius percepiſſet, ſiue non: Quia tales fructus non minus ſunt vſurarũ lucrum atque res ipſa fructifera. Hanc rationem Medina latè deducit & eam etiam Caiet. & Sotus ponunt. Hac quæſt. præſuppoſita ſequitur.

## QVAESTIO. II.

*An lucrum vſurarium ſit obnoxium reſtitutioni; & quicquid tali lucro partum eſt?*

PRo intelligentia tituli annotandum eſt in primis, quod quando ratione mutui, quis accipit lucrum pecunia æſtimabile, hoc impendere poteſt in emptionem prædij: vel vſurarius ob vſuras non ſolutas poteſt in ſolutionẽ recipere pignus fructiferum. Quæſtio quærit an non ſolum tale lucrum, ſeu pignus ſit reſtitutioni obnoxium, ſed etiam quicquid lucro vſurarium acquiſitum eſt, vel fructus pignoris. Deinde iterum in memoriam reducendum, quod quædam ſunt res, quarum vſus eſt ipſarum conſumptio, vt frumentũ, vinum, pecunia, &c. Aliæ quæ vſu

vſu non conſumuntur, vt ager, domus, prędium, &c.

*Prima Concluſio.* Siue vſurarius acquirat dominium rei per vſuram extortę ſiue non, tenetur ad reſtitutionem rei per vſuram extortæ. In hac concluſione conueniunt Doctores vtriuſq; ſententię vt bene dicit Conrard. de contract. q. 69. ſuppoſitione 4. Quia bene eſſe poteſt vt quis efficiatur Dominus rei, & tamē teneatur ad reſtitutionem rei, vt mutuatarius efficitur Dominus ſortis ſibi mutuo datæ, & tamen tenetur eam reſtituere. Hęc Conc. probatur ex præcepto reſtitutionis. Quicunque enim tenet alienum, aut proximo damnū contra iuſtitiam intulit, tenetur reſtituere, aut recompēſare damnum.

*Secunda Concluſio.* Quicquid ratione mutui extortum eſt, reſtitutioni obnoxium eſt. Hæc etiam communis eſt opinio, quæ clarius primam explicat, & eam tenent Theologi in 4. d. 15. S. Thom. 2. 2. q. d. Alex. Halen. vbi ſupra. Summiſtæ in verb. vſur. Canoniſt. in c. Cum tu. & c. Michael. infr. & conſtat ex illo Auguſt. in ep. Ad Macedonium. Si res aliena propter quam peccatum eſt, reddi poteſt, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Quod etiam in cap. præſenti allegatur & 14. q. 6. can. Si res aliena, & in reg. Peccatū,

de regul. iuris in 6. vbi Anchar. Franc. & alij tractant de obligatione reſtitutionis vſurarum. Ratio clara eſt. Quia lucrum vſurarium eſt contra iuſtitiam commutatiuam, cum proximo detrahatur quod ſuum eſt. Iuſtitiæ autem commutatiuæ violatio obligat ad reſtitutionem. Hæc concluſ. ita eſt intelligenda, vt locum habeat, etiamſi non petatur tale lucrum, ſiue repetatur. Nec in confeſſione poteſt confeſſarius abſoluere nolentem reſtituere, cum non ſit contritus talis. Neque etiam liberatur ab obligatione reſtitutionis per hoc, quod ei ſatisfactionis pœna iniungitur in confeſſione: Cùm reſtitutione ſatisfiat proximo, qui iniuſtè læſus eſt: & ſatisfactio Deo, qui peccato offenditur, vt rectè annotat. Anchar. in dict. regul. Peccatum, & latius de hoc traditum in Enchiridio Theologiæ paſtoralis. 3. part. capit. 14.

*Tertia Concluſio.* Quando res, quæ vſura extorquentur, non habent vſumfructum à ſe diſtinctum, ſed ipſo vſu conſumuntur, vſurarius & ſi teneatur reſtituere, quicquid accepit iuxta ſuperiorem concluſionem, non tamen tenetur ad reſtitutionem eius, quod vſurario lucro iuſtè acquiſiuit. Dico (iuſtè acquiſiuit) quia ſi pecuniam fœnore acquiſitam, iterum exponeret ad vſuram vt nouum lucrum acquireret, ita teneretur ad

reſti-

reſtitutionem ſecundi lucri,ſicut primi. Hęc Concluſio eſt S. Thomæ 2.2.quæſt.78. arti. 3.Scoti in 3.d.15.quæſt.2.Gabr. ibidem quæſtio.11.art.2.conclu.5.Soti loc.cit. Syluest.in verb.Vſura 6.q.2.& ſequuntur S. Thomam Canoniſtæ Ioannes Andr.Philipp.Franc. & Geminian. in capit. Quanquam de vſur. in 6.Panormit.in capit. Nauiganti infr. Petrus Anchar.in d.reg.peccatum de reg.iuris in 6. num.24.Laurent.à Rodulphis in cap. Conſuluit.2. part. quæſtio.44. & alij alibi. Ratio huius concluſionis eſt. Quia pecunia, & res, quæ vſu conſumuntur non fructificant ex ſua natura,ſed ex induſtria vtentis ſcilicet vſurarij: Quod autem aliquis ſua induſtria acquirit, ſuum eſt. Hinc ſi vſurarius per vſurariam mutuationem extorſit quinquaginta florenos, quibus vtitur in iuſta negotiatione,& lucrifacit 20.in anno, non tenetur reſtituere niſi 50. & non 20. quos negociando acquiſiuit. Contrarium huic concluſioni tenuere Bald.in l.1. C. pro ſocio.quæſtio.10. Decius ff.ſi certum petatur l. Certi condicti §. fina. numer. 3. & alij quorum meminêre Laurent. & Syluest.locis cit. Hi enim tenent quod etiam teneatur vſurarius ad reſtitutionem omnis lucri, quod pecunia vſuraria acquiſiuit, quod minimè verum eſt, nec iure probatur. Vnde Angel.in verb.Vſura 1.§.55. reprobat Baldi opinionem. Contra dictam

concluſionem ſunt aliquæ obiectiones, quæ poſſ nt ignoranti contrarium perſuadere. Prima ex B. Paulo Rom. 11. Si radix ſancta & rami, ergo à contrario. Si radix infecta & rami. ſed pecunia vſura acquiſita, eſt radix infecta, cum ſit obnoxia reſtitutioni. Ergo & rami ſcilicet lucra inde quæſita.

Secunda. Vſurarius non plus habet iuris in id, quod pecunia vſuraria acquiritur, quã in pecuniam, qua acquiritur: Sed eius pecuniæ non eſt Dominus, ſed tenetur ad reſtitutionem, ergo etiam obligatus eſt ad reſtitutionem eius, quod acquiritur, aut comparatur tali pecunia. Tertia ex. capit. præſenti. Si fœnerator fœnebri pecunia poſſeſſionem aliquam emit, vendenda illa eſt, vt de eius pretio vſuræ reſtituantur: ergo æquali ratione debet & lucrum eiuſdem pecuniæ reſtitui. His obiectionibus reſpondetur ex mente Sanct. Thomæ loc. citat. Ad primam, Verba Apoſtoli parum faciunt ad propoſitum. Quia pecunia non habet rationem radicis. Cum virtus radicis redundet in ramos, & effectiuè concurrat. Pecunia autem vſuraria, eſt ſolum materia induſtriæ, & cauſa ſine qua non, nec etiam pecunia aliquid operatur. Sed tantum induſtria negociantis. Ad ſecundam, negatur quod vſurarius non plus iuris habeat in id quod pecunia fœneratitia acquiſiuit, quam in ipſam pecuniam,

niam, cum ratione propriȩ induſtriæ habeat ius in lucrum pecunia fœnebri partum, non autem in ipſam pecuniam. Ad Tertiam. Poſſeſſiones, quæ de vſuris comparatȩ ſunt, non ſunt eorum, quorum ſunt vſuræ, ſed eorum, qui eas emerunt: Sunt tamen obligatæ illis, à quibus vſuræ ſunt acceptæ. Et ideo nõ præcipitur in d.c. quod áſſignẽtur illæ poſſeſſiones his, à quibus fuerunt acceptȩ vſuræ, quia forte plus valent, quam vſuræ, quas dederũt: Sed præcipitur, quod poſſeſſiones vendantur, & earum pretia reſtituantur ſcilicet ſecundum quantitatem vſuræ acceptæ.

*Quarta Concluſio.* Si vſurarius per vſuram acquirat rem fructiferam, vt agrum; fundũ &c. non ſolum tenetur reſtituere eandem rem, ſed etiã fructus, quos interim percepit: Hęc Conc. eſt S. Thom. quem Doctores pro proxima concluſione allegati ſequuntur. Ratio rerum illarũ fructus ſunt, quarum vſurarius nõ eſt Dominus, ſed alius. Res autẽ fructificat Domino. Si quis obijciat. Pecuniæ vſurariæ dominium nõ eſt penes vſurarium, ſed tradentem, iuxta ſupradicta: Cur ergo lucrũ illius pecuniæ debetur vſurario, & non fructus rerum fructum ferentiũ. Reſpondetur, quod diuerſarum rerum diuerſa eſt ratio. Res enim quæ vſu conſumuntur, vt pecunia, vinũ, &c. ſteriles ſunt per ſe, nec aptæ fructum ferre. Qua de cauſa quamuis

alienæ ſint,tamen lucrum, quod eas comitatur, induſtriæ negotiantis debetur. At res ex propria natura fructiferæ, Domino fructificant. Tales enim res habent rationem cauſæ efficientis in ordine ad fructus. Vnde dictum S. Pauli locum habet. Si radix ſancta & rami,& à contrario. Si radix infecta & rami. Quando ergo res fructifera vſura extorta eſt reddit etiam fructum eius vſurarium, & ſic vſurarius rem cum fructu tenetur reſtituere. Atque in hac concluſione communiter Doctores conſentiunt.

*Quinta Concluſio.* Vſurarius etiam tenetur ad reſtitutionem & recompẽſationem damni emergentis ſiue intereſſe,quod patitur is, à quo vſuræ extortæ ſunt, propterea quia vſuras dare debuit. Exempli gratia, Ioannes fuit coactus ſoluere vſuras Bartholdo, & quia Bartholdus importunè vrſit ſolutionẽ vſurarum, debuit vendere viliori pretio, quam iuſtum erat, vineam ſuam. Hæc Concluſio eſt S. Thomæ in d. arti. 3. Sot. Syluest. & aliorum: Ratio. Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe dicitur cap. fin. de iniurijs ff. ad legem Acquil. L. Qui occidit. Et quamuis Archidiaconus 14. quæſtio. 4. cap. Si quis referat, quod quidam ſentiant, quod non teneatur ad intereſſe, tutius tamen putat eſſe, vt concordet cum eo, à quo vſuras extorſit ſuper intereſſe. Idem indicandum de intereſſe

tereſſe lucri ceſſantis, quando in veritate ceſſat ob ſolutionem vſurarum.

## QVÆSTIO. III.

*Vtrum qui emit aliquid ab vſurario vſura extortum, teneatur ad reſtitutionem eius?*

EXempli gratia, aliquis emit pignus à Iudæo, quod probabiliter nouit eum pro vſuris recepiſſe. Vel alius à Iudæo baptizato emit vineam, quam etiam moraliter ſcit mediante vſura acquiſitam, vtpote quia à cœco iudice ad inſtantiam vſurarij pro ſolutione vſurarum fuit adiudicata.

Notandum in primis, quod in hac quæſtione aliter dicendum ſecundùm eos, qui tenent dominium rei transferri in vſura: Aliter ſecundum negantes. Deinde vſurarius aut habet alia bona iuſtè & bono titulo acquiſita: aut ſimpliciter habet tantum ex vſu-ſura acquiſita.

D. Antoninus 2. part. titul. 1. capit. 8. §. 17. dicit ſe nullum Doctorem adhuc legiſſe, qui aſſerat hoc illicitum, & teneri ad reſtitutionem expreſsè ementes huiuſmodi pignora. Quod ſi neceſſarium eſſet non tacuiſſent, ſicut & de alijs caſibus mentionem faciunt. Verum addit, quod quia hæc materia non eſt vſquequaque clara, nemini conſulẽdum

 ſit vt

ſit vt faciat: poſt factum tamen etiam non condemnandus.

*Prima Concluſio.* Quando vſurarius redditur impotens ad reſtitutionem, per hoc quod aliquis ab eo acquirit aliquid titulo lucratiuo gratuito, aut oneroſo vt emptione locatione, &c. non eſt licitum ſic acquirere, ſiue habeat dominium ſiue non. Hæc eſt communis ſententia, & eam tenent. Alexand. Halen. in 4. par. q. 110. memb. 2. Conrard. q. 69. Adrian. in 4. de reſtitu. in materia de vſur. §. Hoc igitur ſuppoſito. Palud. in 4. d. 15. quæſtion. 3. articul. 5. concl. 2. Caietanus tom. 2. tract. 8. de vſur. cap. 4. Angel. Syluest. M. din. & alij. Quia in caſu huius concluſionis conſenſum præberet quis, vt vſurarius peccaret non reſtituendo, quod non licet. Vnde ab auctoribus illud Auguſtini ad propoſitum adfertur. Illud fidentiſſimè dixerim, qui pro homine ad hoc interuenit, ne malè ablata reſtituat, & qui ad ſe confugientem, quantum honeſtè poteſt, ad reddendum non compellit, ſocium eſſe fraudis & criminis. Ergo à fortiori ſocius eſt fraudis & criminis, qui acquirit quocunque modo ab vſurario id, quod alteri debet, & reſtitutioni eſt obnoxium; quando aliâs ſatisfacere nequit.

*Secunda Concluſio.* Non eſt licitum ab vſurario pignora emere maximè fructifera, & ea

& ea, quæ vſu non conſumuntur, amiſſa ob non ſolutionem vſurarum. Et qui emit tenetur ad reſtitutionem. Hæc Concl. habet locum ſecundùm eos, qui tenent in vſura non transferri dominium. Et eam expreſsè tenent Angelus vir miraculis clarus in ſua ſumma in verb. Reſtitutio 1.§.18. Syluestr.in in verb.vſura 8.q.14. Medin.in q.d. Nauarr. in manuali Confeſſ.cap.17.num.265.ex ſententia Scoti in 4.d.15.q. 2. & conſentiunt omnes negantes transferri dominium. Et probatur. Non licet contrectare rem alienā inuito Domino, quia hoc ad furtū ſpectat. At emens huiuſmodi pignora contrectat rē alienam, cum emat rem quam ſcit non eſſe vendentis & ita conſequenter tenetur ad reſtitutionem, ſicut is, qui rem furto ſublatā, aut raptam, à raptore aut fure emit. Is autem qui rem furatam, aut raptam ſcienter emit, tenetur ad reſtitutionem ſecundùm mētem omnium Doctorum tam Theolog. quam vtriuſque iuris peritorum.

*Tertia Concluſio.* Quando aliquis emit huiuſmodi pignora ab vſurario ſiue Iudæo, ſiue Chriſtiano, vt vero Domino reſtituat bene facit & non peccat. Quia vtiliter agit negotium Domini, vnde tenetur ei pretium reſtituere.

*Quarta Concluſio.* Ex dictis elicitur reſolutio quæſtionis quam in hoc c. Canoniſtæ monent,

mouent. An filia poſſit dotem à patre vſurario recipere. Si enim pater habet alia bona iuſtè acquiſita, nec impotens per hoc quod dotem dat, redditur ad ſatisfaciendum alijs, quibus ratione vſurarum obligatus eſt, poteſt recipere: Aliâs non.

## QVÆSTIO. IV.

*An omnia bona vſurarij ſint tacitè obligata ſiue hypothecata pro reſtitutione vſurarum?*

COmmunis opinio antiquorum fuit, vt refert Panorm.in cap.Tua nos, eod.tit. quod omnia bona vſurarij ſint tacitè obligata & hypothecata pro vſurarum reſtitutione eis, à quibus, vſuræ extortæ ſunt. Huius opinionis initium fecit Glo.in d.c. Tua nos per tex.huius ca.Cum tu.& in c.Quanquam de vſura in 6. Huius etiam opinionis videtur fuiſſe D.Thomas 2.2.q.78. art.3. ad 2.in quē commentantur. Caietan. in d.tract.8.q.4.& Sotus lib.6.q.1.ar.4.Modernorum communis opinio eſt negans vt atteſtātur Panorm. Ambroſ.de Vignate in cap. Salubriter num. 231. Nauarr.in manuali confeſſar.cap.17.nu. 263.Couar.lib.3.variar.reſolut.cap. 3. nume. 6. Pro concordia harum opinionum Caiet. annotat. Quod vſurarius triplicia poteſt habere bona, per vſuram extorta. Empta ex pecu-

pecunia vſuraria, & alia legitimè acquiſita munda ab vſuris, qualia ſunt patrimonialia, aut alio modo iuſtè acquiſita ſine omni reſpectu ad vſuras. Deinde adiungit, quod obligatio alicuius rei eſt duplex Realis & perſonalis: Realis, quæ conuenit rei ex iure, quod habetur ſuper re illa particulari. Perſonalis in propoſito eſt, quæ conuenit rei nō ratione ſui, ſed ratione perſonæ cuius eſt. Differunt autem hæ obligationes tripliciter. Primò in radice iam tacta, quia realis oritur ex ipſa re, quæ alteri obnoxia eſt, vt patet in re, furto ablata. Perſonalis redundat in rem ex perſona domini obligati ad ſatisfaciendum puta ad reddendum creditoribus 100. aureos, quos accepit. Secūdò, realis ſemper comitatur rem, ad quemcūque tranſeat, vt patet de re furata, aut rapta. Perſonalis autem non ſemper eſt comes rei, ſed quandoque res liberatur ab illa obligatione, perſeuerante tamen obligatione in domo eius. Cum enim domus verbi gratia, non eſt obligata creditori, in quantum hæc res, ſed in quantum eſt debitoris, ſtatim vt deſinit eſſe debitoris, deſinit eſſe obligata: ceſſat enim obligationis ratio. Ex hoc nunc differunt. Tertiò, quia res obligationem realem habens annexam, nec vendi nec emi, aut quocunque alio modo alienari poteſt, obligata autem ratione perſonæ, alienari liberè poteſt,

teſt, quam diu apud perſonam illam remanet vnde creditori ſatisfieri poſſit. Nunc bona, per vſuram extorta, obligata ſunt illis, à quibus extorta ſunt obligatione reali. Cætera vero ſiue empta ex pecunia fœnebri, ſiue non obligatione perſonali, & non reali, nūc concordat opinionem antiquorum & modernorum, vt illorum ſententia de perſonali, horum vero de reali obligatione intelligatur. Sic Caietanus.

*Prima Concluſio.* Non omnia bona vſurarij hypothecæ titulo tacitè ſunt obligata pro vſurarum reſtitutione, probatur. Quia id nullo iure oſtēditur, nec etiam eſt ratio quæ conuincat. Ergo non eſt dicendum cap. Inter corporalia, de trāslat. Epiſcop. Nec probat præſens tex. quem Glo. cum tenentibus contrariū allegant. Cum ibi tantū declaretur vt bona vſurarij empta ex pecunia vſuraria deficiētibus alijs vſurarij bonis vendātur pro reſtitutione vſurarum, nec fit mentio vlla, quod titulo hypothecæ ſint obligata illis, à quibus extorta ſunt, ſed vendi debent ex quadam æquitate, & benigna interpretatione iuxta L. Si me & Titium ff. Si certum petatur. Vt Panormitanus Couarru. & alij docent.

*Secunda Concluſio.* Bona eadem numero, quæ per vſuram extorta, ſunt illis à quibus extorta obligatione reali obligata. In hac conclu-

concluſione Theologi citati conueniunt & Angel. in verb. Reſtitutio 1. §. 16. & Medin. C. de rebus per vſuram acquiſ. quæſtion. 4. & hęc concluſio maximè obtinet ſecundùm communem opinionem, quæ vſurarium tradit nō acquirere dominium. Tunc enim ſicut res furto & rapina ablata, ſemper manet obligata obligatione reali vero Domino quocunque deueniat: Ita etiam res vſura extorta manet ſuo Domino, & vero poſſeſſori obligata.

*Tertia Concluſio.* Non videtur improbabile, quod bona vſurarij empta ex pecunia fœnebri ſint obligata illis, à quibus vſura extorta eſt. Angel. loc. cit. & Lapus in allegat. 74. & alij alibi & hæc opinio videtur fundari in præſenti cap. Cum tu.

*Quarta Concluſio.* Cætera vſurarij bona non ſunt tacitè obligata illis, à quibus extorta ſunt. Quoniam id nec iure, nec ratione fulcitur.

## QVÆSTIO. V.

*An vſurarius liberetur à reſtitutione, ſi mutuatarius ei remittat?*

DInus in regul. Peccatū in 6. vt referunt Doctor. tradit, quod nō ſufficit remiſſio, niſi pecunia parata ſit reſtitutioni. Eādē opinio.

opinionem videtur ſequi Angelus in conſil.100. incipienti. Præmitto quod de iure communi vſurarius. Quorundam Theologorum etiam fuit opinio, vt teſtantur Laurent. à Rodulphis ſuper cap. Conſuluit part. 2.qu. 2.Federic.de Senis in conſil.18.& 22.Ioan. ab Anan. in hoc cap. S.Antonin.2. par.tit.2.cap.6. quod non ſufficiat quod pecunia ſit parata reſtitutioni, ſed oporteat, quod actualiter offeratur.

*Prima Concluſio.* Remiſſio ſcienter, liberè & ſcienter ſine vi, fraude & dolo facta vſurario ab eo,cui reſtitutio facienda eſt,liberat ab obligatione reſtituendi. Hanc concluſionem tenent S. Antonin. loco cit. Caieta. 2.2.quæſtion. 62.art. 6. Dominic. Sotus lib. 4. de iuſtit.& iure.quæſtio.7. articu.vltim.in in ſolut. argumentorum. Ioan.Medin.in C. de rebus reſtituend.quæſt. 3. Secunda cauſa. Federic. de Senis in d. conſ. Laurent. loco cit.Panormita.in hoc cap.Petrus Anchar.in reg.Peccatum de reg.iuris in 6.&in cap.Statutum de reſcript.in 6.§.Siquidem.Hoſtien. in ſumma de vſur. §. fina. verſicul. Quid ſi fœnerator. Alexand.conſ.8.incip.Circa primum dubium. nume.24.lib.3.Andr.Tyraq. lib.2. de vtroque retractu quæſtion.28. in fine Martin.Nauar. in Man. confeſſar.capit. 17.à numero 75.&alij alibi. Tribus potiſſimum rationibus Federicus, qua latius hanc

mate-

materiam tractat, probat. Prima. In maioribus criminibus ſicut in furto & rapina de voluntate Domini purgatur vitium abſque aliqua reſtitutione, quando Dominus condonat, aut remittit L. Si fur. de vſur. & L. Si certè, de precar. ergo etiam in vſuris ſufficit remiſſio vel condonatio. Secunda ratio. In crimine vſurarum & alijs maioribus ſufficit condignam facere ſatisfactionem capit. 1. de raptor. vt quis ſit liberatus à peccato. Sed ſatisfactum intelligitur, quomodocunque deſiderium creditoris impleatur, etiamſi non ſoluatur L. 1. ff. Qui ſatiſdare cogant. Tertia ratio. quam dictus auctor inſolubilem exiſtimat. Sunt quidam ſpeciales caſus, in quibus obligatis ad reſtitutionem non ſufficit remiſſio vt de cenſibus cap. Exigit lib. 6. Ergo in alijs caſibus ſufficit remiſſio. Si quis obijciat illud Auguſtini relatum in hoc cap. & in reg. Peccatum. Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Reſpondetur quod reſtitutio eſt duplex, Formalis & Virtualis. Virtualis includit condonationem & remiſſionem L. Si rem §. omnis ff. de pignorib. & dict. l. 1. Qui ſatiſd. cog. Gloſſ. in regu. Peccatum in verb. Reſtituatur. Nauarr. in Man. confeſſ. cap. 17. numer. 11. Ex hac concluſione in primis infertur cum Hoſtienſi. Si honeſta perſona vtpote confeſſarius, vel Epiſcopus tractet cum debitore, & dicat ei,

tantum faciam tibi reddi, ſi ex corde aliud remittis, nõ decipias me, qui mediator ſum, nec creditorem, cuius animæ ſalutem quæro. Si debitor reſpondeat, ſe ex toto corde liberare creditorem, liberatus erit. De hac illatione & ſimilibus etiam legendus Nauar. in d.ca.17.à numer.75. Deinde iuxta dictam concluſionem informatio accipi poteſt. An debitor voluntariè & liberè remittat, & non fictè. Si enim debitor eſt pauper, & vſurarius diues & potens, non præſumitur, quòd debitor ipſum vſurarium ex corde liberet, ſed hoc facit, quia vltra recuperare non poteſt. Si vero debitor ſit diues & potens, qui conſueuit mimis & ioculatoribus tantundem de ſuo vel plus frequenter donare, pręſumi poteſt, quod ex corde faciat vt Hoſtien.loc.cit. tradit.

*Secunda Concluſio.* Quando impetrãda eſt remiſſio, non eſt opus vt pecunia parata ſit ad reſtitutionem, nec etiam vt actualiter offeratur. Probatur. Ad liberandum ſe à reſtitutione, & ad ſatisfaciendum conſcientiæ ſufficit vt alienum non teneatur inuito Domino. Sed ſi abſq; omni pecuniæ oblatione creditor liberè debitum condonet ſiue remittat, nõ retinet alienum inuito Domino, ergo liberatus eſt à reſtitutione. Hanc concluſionem tradunt Caietan. Sotus. Nauarr. & alij: Quare vt Caietanus & Sotus bene docent,

cent, cautio illa quam aliqui ſcrupuloſi putant eſſe neceſſariam, vt debitor prius pecuniam in poteſtatem creditoris offerat, nimia eſt. Quia præterquam quod raro accidat debitorem pecuniam habere, præſens aurum & oculos faſcinare, & animum ſubinde mutare ſolet. Præſentia enim rei ſiue obiecti magis mouet ad cupiditatis paſſionem, ex qua fit ille illiberalis, extra quam ſi exiſteret ob abſentiam rerum liberaliter donaret. Facilius enim donamus & remittimus, vt experientia rerum magiſtra docet, quæ non poſſidemus, & longius abſunt, quam ea, quę iam ante conſpectum verſantur, & in proximo poſſidentur.

*Tertia Concluſio.* Quocunque modo perueniatur ad hoc, quod Dominus rei, cui reſtitutio facienda eſt, liberè donet, aut remittat, debitor abſolutus eſt à reſtituendi neceſſitate coram Deo. Hanc concluſionem ponit Caiet. Et probatur. Ex communi ſentẽtia nihil aliud requiritur ad tollendum obligationem reſtitutionis, quam vt libera fiat remiſſio. Quando ergo Dominus liberè fit volẽs & in ſua poteſtate eſt donare & remittere, ceſſat omnis obligatio. Itaq; pro fundamẽto in hoc loco ante oculos habẽdũ, quod ſpontanea liberalitas remittentis eſt immediata & principalis cauſa ipſius acquiſitionis vt rectè obſeruauit Caro. Mol. in tract. com-

merciorum & vſur. numer.8. Ex hac concluſione infertur, quod quis precibus, interceſſione, obſequio, alioue modo licitè poteſt procurare huiuſmodi remiſſionem. Hinc etiam à contrario deducitur, quod ſi quis minis, terroribus, armis, deprauata intentione, alijſque modis qui libertatem voluntatis diminuant; aut tollant, procuret remiſſionem, non eſt tutus in conſcientia, imò neque in foro exteriori ſufficit huiuſmodi remiſſio, quando coniecturis & præſumptionibus hoc apparet, vt Doctores iuris tradunt.

## QVÆSTIO. VI.

*Quando bona vſura acquiſita, pauperibus ſunt danda?*

QVæſtionis ſolutio ex textu huius capitis facilè deſumi poteſt, tamen vt textus clarior fiat, aliquid latius eſt adiungendum.

*Prima Concluſio.* Regulariter reſtitutio in vſura facienda eſt ei, à quo vſura extorta eſt, ex cap. præſenti. Concordant Doctores ibidem, & Summiſtæ in verb. Reſtitutio. Quia res reſtituenda communiter ei, cui debetur. Debetur autem ei, cui ablata eſt.

*Secunda Concluſio.* Mortuo vero Domino, reſti-

reſtitutio facienda eſt eius hæredibus ex textu huius cap. & communi ſententia. Hæredes enim ſuccedunt loco defuncti.

*Tertia Concluſio.* His etiam non extantibus, pauperibus faciēda eſt reſtitutio ex hoc cap. & c. Quanquam in 6. eod.tit.& hæc eſt ſententia omnium Doctorum, vt verè atteſtatur Dominic. Sotus lib. 4. de iuſtit.& iure q.7.art.1. Hoc tamen annotandum nomine pauperum intelligi non ſolum inopes & egenos, ſed etiam Eccleſias, hoſpitalia, monaſteria aliaque opera pia, ex S.Tho. 2.2.q.185. art.7.Gab.in 4.d.15.q.2.art.3.dub.4.propoſ. 2.Adria.in 4.q.12.col.7.de reſtitut.Angel.in verb.Reſtitut.2.§.20.Ioan.Andr. in cap.1.de teſtament.in 6.Nauar.in man. confeſſar. ca. 17.num. 93. & alijs alibi. Quæſtio hic occurrit apud Doctores. Per quem hæc reſtitutio ſit facienda. An per Epiſcopum, aut ſacerdotem, vel per ipſum vſurariũ aut illicite aliena tenentem. Hoſtienſis. Antonius. Cardinalis Zabar. & alij in hoc cap. Federic. de Senis in conſ.33.dicunt quod per Epiſcopum, ſiue Diocœſanum.

*Quarta Concluſio.* Is qui tenetur reſtituere aut ratione vſuræ, aut alterius iniuſtæ rei poſſeſſionis, pauperibus poteſt id per ſe facere ſine Epiſcopo, vel confeſſario. Gab. loco cit.in 4.d.15.Scot.ibid.quæſt. 2. Richard. ibid.art.5.quæſt.4.ad 2.Ange. in verb.Reſti-

tutio 2.§. 14. qui multos canoniſtas allegat. Sylueſt. in verb. Reſtitutio 8.q.5. Nauar. loc. citat. Quia nullo iure cauetur quod Epiſcopus, aut confeſſarius id debeat facere, & non is, qui obligatur reſtituere. Quatuor autem caſus ponit Angel. cui Gabr. Syluest. Nauar. & aliqui alij conſentiunt, in quibus Epiſcopus ſuam auctoritatem poteſt interponere. Primus quando moritur obligatus ad reſtituendum abſque hærede & executore. Secundus, quando is qui reſtituere tenetur, nō vult id facere, & contra illum in iudicio proceditur. Tertius cum ad reſtitutionem obligatus nō rectè diſtribuit. Quartus, cum huiuſmodi res ab eo poſſidentur, qui fuit, aut eſt manifeſtus vſurarius.

*Quinta Concluſio.* Quando obligatus ad reſtitutionem non eſt ſatis diſcretus, optimum eſt, vt vtatur conſilio confeſſarij, aut alterius diſcretæ perſonæ. Hæc Conc. colligitur ex Doctoribus & ratio eſt euidēs. Moralis prudentia dictat, & neceſſitas poſtulat vt qui ſibi non eſt ſufficiens, omnia agat cum conſilio ſecundùm conſilium ſcripturæ, & præſertim, in rebus ad ſalutem animæ ſpectanctibus locum habet.

*Sexta Concluſio.* Quando obligatus ad reſtitutionem eſt pauper, de conſilio Epiſcopi, aut confeſſarij poteſt ſibi totum, aut partem aliquam tanquam alteri pauperi reſeruare.

Nauar.

Nauar.in d.c.17.num.93.Caiet.2.2.q.62.art. 5.Sot.lib.4.q.7.art.1.ad 3.Quia qui ad dandũ aliquid pauperibus tenetur, poteſt ſibi illud accipere tanquam vnus ex eis, ſi verè talis eſt ſaltem de conſilio confeſſarij quantum ad forum conſcientiæ ex Caietano, Petro Ancharan.in conſ.84.incip. Domina Azolina. Ioan.Calderino in conſ.39.incip. An executor, de teſtam. & Bald. in L. Id quod pauperibus q.22.C.de Epiſcop.& Cleric.

## QVÆSTIO. VII.

*Quid iudicandum, quando vſurarius relinquit aliquid pauperibus certis, aut locis pijs loco reſtitutionis ad quam tenetur ratione vſurarũ. An talis diſpoſitio, aut legatum poſſit dici ad pias cauſas? & an ſatisfaciat conſcientiæ?*

VT titulus & natura rei, de qua quæritur melius intelligatur. Caſus in formá proponendus. Eſt aliquis vſurarius nempè Bartholdus, qui in diebus vitæ ſuæ vſurarijs contractibus multa bona congregauit, tandem quando ad finem vitæ declinat opportuna & importuna inſtantia alicuius viri ſpiritualis, in memoriam ei reducitur ſtatus anteactæ vitæ, mouetur aliquo modo, & cum diues ſit multaque congregauerit per vſuras, & alias per fas, nefaſque pudore

afficitur nec vult, nec cogitat ſingulis damnum paſſis reſtituere. Inducitur à viro ſpirituali,aut cōfeſſario vt pro reſtitutione omnium iniuſtè ablatorum per vſuras, & alios iniuſtos contractus aliquam ſummam det, aut leget ſua vltima diſpoſitione alicui operi pio,aut certis hominibus ad cultum diuinũ ordinatis. Quæritur nunc, an ita diſponens ſit liberatus ab onere reſtitutionis,& ſecurus in conſcientia, & an legatum ſit dicendum ad pias cauſas, quãdo verus Dominus mortuus & hæredes nulli ſunt, pro reſtitutione vſurarum, relinquitur, pauperibus. Hæc quæſtio magnam affinitatem habet cum illa. An Eleemoſyna poſſit fieri de rebus furto, rapina, aut vſura ablatis. Præſupponendum hoc loco, quod non eſt licitum vſura acquirere etiam ad faciendum opera pia,aut etiam pro redemptione captiuorum ex cap. Super eo. eod. tit. & communi ſententia.

*Prima Concluſio.* Generalis. Quod obnoxium eſt reſtitutioni,nõ eſt dandum pauperibus,aut applicandum pijs operibus, extantibus damnum paſſis, ſine eorum voluntate. S.Thom. 2. 2.quæſtion.62.articul.5.ad 3.clarius & melius alijs. Caietanus ibidem in reſponſ.ad 3.Sotus loco citat. Nauarr. libr.5. conſil. in conſil.22. de vſuris & ibidem conſil.28. numer. 4. Textus in hoc capit. cum Gloſſ. & Doctoribus communiter.Quia ad

furtum

furtum ſpectat contrectare rem alienam inuito Domino. Ad idem facit illud Apoſtoli. Reddite omnibus debita. Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem. *Rom. 13.*

*Secunda Concluſio.* Eleemoſyna non poteſt fieri de rebus furto, rapina, & vſura acquiſitis, aut alijs, quæ reſtituendæ certis perſonis. Sanct. Auguſtinus in li. de verbis Domini ſermo. 35. S. Thomas 2.2. quæſtion. 32. articul. 7. S. Antonin. 4. part. titul. 5. capit. 18. §. 10. S. Bonauent. in 4. d. 15. articul. 2. quæſt. 1. Richard. ibidem articu. 2. quæſt. 5. Alexan. Halenſ. in 4. part. quæſt. 110. membr. 2. Summiſtæ in verb. Eleemoſyna. & probatur ex ſacris literis Prouerb. 3. Honora Dominum de tua ſubſtantia. Eſaiæ 58. Frange eſurienti Panem tuum. Eccleſiaſt. 35. Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. Idem ſæpius habetur in decretis. 1. quæſtion. 1. cap. Non eſt putanda ex B. Gregorio. Non eſt putanda Eleemoſyna, ſi pauperibus diſpenſetur, quod ex illicitis rebus acquiritur & 14. quæſt. 5. capit. Eleemoſyna ex eodem Gregorio. Eleemoſyna redemptoris noſtri oculis illa placet, quæ non ex illicitis & iniquitate congeritur, ſed quæ de rebus conceſſis & bene acquiſitis impenditur, & ibid. in capit. Nolite, ex Auguſtin. in d. ſermone.

Nolite facere Eleemoſynam de fœnore & vſura. Et concluſio moderanda. Si raptor, aut vſurarius non proponat reſtituere in æquiualenti: aut per hoc impotens redditur ad reſtitutionem vſurarum in æquiualenti, Alexan. Halenſis, & poſt eum Gabriel. in 4. d.16.quæſt.4. explicant.

*Tertia Concluſio.* In caſu extremæ neceſſitatis poſſidens bona iniquè parta, & reſtitutioni obnoxia, poteſt ea dare pauperibus. Concluſio eſt communis. Extrema enim neceſſitas omnia communia facit, & neſcit legem.

*Quarta Concluſio.* Vſurarius, qui eſt obligatus ad reſtitutionem certis perſonis, aut Dominis veris & cognitis, eis exiſtentibus, aut eorum hæredibus ſuperſtitibus non liberatur per hoc à neceſſitate reſtituendi, quod pauperibus aut locis pijs aliquã ſummam diſtribuat, aut applicet in legato, aut vltima voluntate. Quæ Conc. nõ ſolum habet locum in vſurario, ſed etiã alijs qui furto, rapina alijſque iniquis contractibus bona acquiſiuerunt, quæ reſtituẽda ſunt damnum paſſis. Concluſionem tradunt Alexan. d.q.110. membr.2. Turrecrem. eum ſequens in d.c. Nolite. Ioan. ab Anania in hoc cap. ſecutus Bald. in repetit. L.1.C. de ſacroſan. Eccleſ. & alij, & probatur apertè ex ca. Ea tę. de iureiurand. cum annotatis ibidem à Doctoribus

ribus. Soluens vni ſponte, quod alteri eſt debitum, non liberatur, quin teneatur ei ſoluere, cui debet. Ergo qui ſponte ſoluit aut dedit pauperibus, quod vero Dominò aut eius hæred. debetur, non ſatisfacit: præterea validum adhoc probandum eſt argumẽtum à Gabriel. in 4.d.16. quæſt. 4. artic. 2. concluſ. 3. inſinuatum. Reſtituere rem debitam eſt præcepti omnium iudicio. Dare autem Eleemoſynam ſeu applicare alicui operi pio extra caſum neceſſitatis conſilij: Sed propter conſilium non eſt violandum præceptum. Tandem Reſtituere rem alienam proprio Domino ſpectat ad iuſtitiam, quæ reddit vnicuique quod ſuum eſt. Dare autẽ pauperibus aut applicare operi pio ad opus charitatis. Non eſt autem licitum tranſgredi limites iuſtitiæ propter opus charitatis. Qua ratione etiam pro redemptione captiuorum non eſt licitum vſuras exercere. Eandem concluſionem ante omnes alios tradidit S. Auguſt. in ep. 54. ad Macedon. non longè à fine, cum inquit. Qui vero cõtra ius ſocietatis humanæ, furtis, rapinis, calumnijs, oppreſſionibus, inuaſionibus abſtulerit, reddenda potius quam donãda cenſemus Zachęi exẽplo, qui cum Dominũ hoſpitio recepiſſet, in vitã ſanctam mutatus, dimidiũ, inquit, bonorũ meorũ do pauperibus, etſi quem defraudaui reddo quadruplũ. Et circa illud factum

Zachæi

Zachæi obſeruādum cum D.Chryſoſtomo, quod opes Zachæi non ſolum erant iniuſtæ, ſed etiam ex patrimonio congregatæ: alioquin quomodo poterat extorta inique reſtituere in quadruplum. Sciebat enim legem iubentem reſtituere in quadruplum malè ablata. Hæc Chryſoſt.

*Quinta Concluſio.* Vſurarius, vel alius, qui tenet bona reſtitutioni obnoxia, debet omnem diligentiam adhibere, & ſedulam inquiſitionem facere, vt ſciat certa ab incertis diſcernere & ſua, quæ vnicuique debita ſunt reſtituere, & Dominos veros inuenire, vel eius hæredes. Hoc ſi facere neglexerit, & cognitis veris Dominis, pauperibus, quæ ad alios ſpectant, dederit, non ſatisfacit conſcientiæ. Hanc concluſionem tradunt S. Thomas 2.2.q.62.art.5.ad 3. Caieta. accurate ibidem & Nauarr. in d.conſ. 22. de vſur. Hinc talis tenetur libros & regiſtra reuidere, computos perluſtrare, annos ab eo tempore, quo iniuſtos & periculoſos contractus exercuit, recogitare, & diligenter inquirere, cum quibus tales contractus inierit: hoc faciendo facilè veniet in cognitionem certorum Dominorum, quibus obligatur ad reſtitutionem.

*Sexta Concluſio.* Vſurarius, vel alius qui detinet bona aliena obligata reſtitutioni, ſi relinquat in vltima diſpoſitione aliquam ſum-

ſummam pauperibus, quando Dominus mortuus eſt, aut eius hæredes nõ ſuperſunt, pro reſtitutione vſurarum, non eſt legatum aut diſpoſitio ad pias cauſas. Concluſio eſt Baldi, & Ananiæ loc.cit. Quia non præſtat beneficium, qui impẽdit debitum. Tum etiam in tali caſu etſi hoc relinquatur pauperibus non tamen eſt opus charitatis, ſed iuſtitię,& ſic non pietatis ſed neceſſitatis: Quia diſponere pro reſtitutione vſurarum ſic eſt actus iniuſtitiæ, quoniam pauperibus tantum redditur, quod eis debetur ſecundùm mentem omnium.

## QVÆSTIO. VIII.

*An vſuræ in alienis partibus extortæ, ſint eroganda pauperibus patriæ, aut loci, vbi extortæ ſunt, vel habitantibus in patria extorquentis?*

EXempli gratia, vt titulus intelligatur, exercuit aliquis vſuras Antuerpiæ, qui habitat Coloniæ. An reſtitutio quæ pauperibus facienda eſt, ſit applicanda pauperibus Antuerpien. vel Colonienſib. Hoſtien. Antonius Ioan. Andr.& alij in hoc c. exiſtimant huiuſmodi reſtitutionem faciendam inter pauperes loci, vbi datum eſt damnum, ſiue vbi pecuniæ vſura extortæ ſunt: vel vbi habitauit is, cui reſtitutio facienda ęrat. Ratio-

nes

nes pro hac ſententia format Hoſtiēſis, tum quia melius eſt, quod vicini cōmodum inde ſentiant. C. de ſeruit. L. 2. & L. præſes. Tum quia vero ſimilius eſt inter eos, inueniri illū, qui damnum paſſus eſt: vel eius hæredem, quam inter extraneos.

*Prima Concluſio.* Quando quis habet aliqua reſtituenda ratione vſurariæ prauitatis, aut iniuſtæ acceptionis inter pauperes, poteſt pauperibus loci, in quo habitat, diſtribuere. Hanc concluſionem latè tenet Frederic. de Senis conſ. 33. incip. Nunquid ille, qui extorſit vſuras. hunc ſequuntur Ancharan. in hoc cap. Angel. in verb. Reſtitutio 2. §. 13 & alij alibi. Probatur. Primo. Iura, quādo loquuntur de huiuſmodi reſtitutione facienda pauperibus loquuntur indiſtinctè & generaliter de quibuſcunque pauperibus, non reſtringendo ad pauperes certi loci vt patet in hoc c. & c. Sicut dignum, de homicid. cap. Plerique de Immunit. Eccleſ. & 14. quæſt. 5. cap. Non ſanè. Ergo de quibuſcunque pauparibus poteſt intelligi cap. 2. de cōiug. leproſor. & cap. Quia circa, de priuileg. Secundo. Quando iura voluerunt illicitorum reſtitutionem fieri certo loco, id expreſſerunt cap. Ad liberandum de Iudæis. Tertio. Iſta reſtitutio fit vt vſurarius liberetur à peccato, & vt reſtitutio proſit animabus illorum, quibus facienda eſſet reſtitutio.

Sed

Sed vbicũque fiat, dummodo bene fiat, proderit animabus illorum, quibus facienda erat reſtitutio. Concludit Frederic. quod totus mundus non poſſet probare, quod pauperibus loci vbi datum eſt damnum, vel vſuræ extortæ, debeat fieri neceſſario reſtitutio incertorum.

*Secunda Concluſio.* Conſilium eſt, quod nõ obligat ad culpam, dare obnoxiũ reſtitutioni pauperibus loci, vbi vſuræ extortæ ſunt. Vel vbi habitauit, is cui reſtitutio facienda erat. Sic ſentiunt Freder. Archar. Ang. & alij, & ad id tendunt rationes Hoſtienſis.

## QVÆSTIO. IX.

*Quodſi is, cui reſtitutio facienda eſt ratione vſuræ extortæ, abſens ſit à loco, vbi vſurarius habitat cuius expenſis mittendum eſt id, quod reſtitutioni obnoxium eſt?*

TRactant communiter Doctores in hoc ca. cum Gloſſa, quæ dicit, quod ſi is, cui reſtitutio facienda eſt, abſens, quod ſumptibus abſentis: Si autem ſumptus itineris rei ſummam excedant, det pauperibus. Hoſtienſ. Anton. Ananias & alij dicunt, quod cum vſurarius ſit malæ fidei poſſeſſor, ſi alibi ſe transferat extra locum, vbi vſuras extorſit, proprijs ſumptibus teneatur mittere.

Si ve-

Si vero is alias ſe transferat, qui pecuniã mutuo accepit, procedit Gloſſ. Ita diſtinguitur in L.cum res §.1.ff.de edend.

*Prima Concluſio.* Si veniat aliquis fidelis, qui gratis deferat ei, cui debetur obnoxium reſtitutioni, rectè fieri poteſt. Panormita. in hoc cap. Idem cum alijs in c.Significante de pignorib.

*Secunda Concluſio.* Spoliator ſemper proprijs ſumptibus reſtituere debet rẽ in loco, vbi ſpoliauit 3.q.1.ca.Reintegranda, & DD. in hoc cap. cum Glo. Niſi Dominus ſpoliatus ſua bona ſpoliata, fuiſſet ad alium locum deportaturus.

*Tertia Concluſio.* Si vſurarius à loco receſſit, & non creditor proprijs expenſis & non creditoris debitum illi mittendum eſt. Quia culpa vſurarij, qui malæ fidei poſſeſſor eſt, creditori nocere non debet: Noceret autem, ſi in recuperatione rei ſuæ expenſas deberet facere. Deinde ſi hoc non faceret vſurarius, non etiam reſtitueret. Quia reſtituere eſt rem in primum ſtatum exponere, & reddere integrè rem in ſtatu, in quo Dominus conſeruaſſet, ſi apud eum manſiſſet. L. Reſtituere 1.& 2.ff.de verbor.ſignific. Sanct. Thom.2.2.quæſt. 62. art.1. & 5. Caietan.ibidem.

*Quarta Concluſio.* Si creditor receſſit à Loco, & erat rem ablatam ſine expenſis ſecum porta-

portaturus,&alibi diſtracturus,debitor proprijs ſumptibus tenetur creditori mittere. Sylueſt.in verb.vſura 4.q.4.Ioan.Medina in C.de reſtit.q.2.& alij alibi. Quia creditor nō debet expenſarum ſolutione grauari, quando debitor eſt in culpa,&cauſam damni dat. Si autem creditor non erat rem reſtitutioni obnoxiam aliâs deportaturus, debitor non tenetur ſuis expenſis mittere: Quia in hoc caſu nullam cauſam damni dat.

*Quinta Concluſio.* Quando vſurarius, aut alius malæ fidei poſſeſſor ſuis ſumptibus rē debitam tenetur mittere,& expenſæ faciendæ ſuperant pretium rei, tunc reſtitutio facienda hæredibus creditoris, vel eis non exiſtentibus, pauperibus. Scot.in 4.d.15.quæſtion.1.Gabriel.ibidem.q.2.art.3.dub.5. Richard.articu.5.quæſtio.4.ad primum. & alij. Quæ Concluſio intelligenda ſi cōmodè nō poſſit haberi Domini conſenſus, & res non ſit magni momenti vt rectè limitat Ioſeph. Angles in floribus Theologic.qq.in 4. Sentent.par.2.in quæſtio.de reſtitut. 9. difficult. dub.6.

*Sexta Concluſio.* Si res mittenda, ſit magni momenti, qua creditor maximè indiget, tunc etiam ſi expenſæ excedant,debitor ſuis expenſis mittere tenetur. Quia fraus poſſeſſori malæ fidei in damnum proprij Domini fauere non debet. Hanc concluſionem

videtur tradere S.Thom.2.2.quæſt. 62. articul.5. ad 3. Caietanus ibidem. Ioſephus Angles & alij.

# ALEXANDER III.
## GENVENSI ARCHIEPISCOPO.

*Vendens rem plus quam valeat, quia ſolutionem differt, peccat niſi dubium ſit, an tempore ſolutionis, valor rei variatus: Et venditor non erat venditurus tempore, quo vendidit.*

## CAP. VI.

*IN ciuitate tua dicis ſæpe contingere: quod cum quidam piper ſeu Cynamomum ſeu alias merces comparant quæ tunc vltra quinq; libras non valēt: & promittunt ſe illis, à quibus illas merces accipiūt ſex libras ſtatuto termino ſoluturos. Licet autem contractus huiuſmodi ex tali forma non poſſit cenſeri nomine vſurarum: Nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt: niſi dubium ſit merces illas plus minuſue ſolutionis tempore valituras: Et ideo ciues tui ſaluti ſuæ bene conſulerent: ſi à tali contractu ceſſarent: Cum cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari.*

In hoc ca. tractandum cum Doctoribus, in primis de vſura contingente circa Emptionem & venditionem. Deinde de cenſibus, ſiue reditibus.

QVÆ-

by Google

## QVÆSTIO. I.

*An liceat rem carius vendere, quam valeat?*

Videtur, quod ſic. Quia res tanti valet, quanti vendi poteſt ex Gloſſ. in hoc capit. & L. pretia ff. ad leg. Falcid. Vt melius iudicium habeatur de iuſtitia & iniuſtitia emptionis & venditionis, aliqua ſunt præſupponenda, quæ breuius annotaui in Enchridio Theologiæ paſtoralis 3. par. cap. 22.

In primis Emptio, cui venditio ſemper adiungitur, eſt cõtractus, in quo res pro pecunia datur, vel pecunia pro re.

2. Iuſtitia emptionis & venditionis in hoc conſiſtit, vt ſit æqualitas pretij ad rem. Cum enim vt S. Thomas 2.2.q.77. artic. 1. ex Ariſtot. 1. Polytic. cap. 5. & 6. tradit emptionis & venditionis contractus introductus ſit pro communi vtilitate vtriuſque emẽtis & vendentis, vt æqualitas iuſtitiæ ſeruetur non debet eſſe magis in grauamen vnius quam alterius.

3. Ad ſubſtantiam emptionis & venditionis requiruntur perſonæ habiles ad contrahendum cum debitis circumſtantijs: & ſemper duæ perſonæ concurrunt vendens & emens. Quia cum in hoc contractu dominium transferatur, neceſſe eſt vt res à vendente in ementem tranſeat. Deinde pretium, & merx, quæ eſt res ipſa, cuius dominiũ tranſ-

afficitur nec vult, nec cogitat ſingulis damnum paſſis reſtituere. Inducitur à viro ſpirituali, aut cõfeſſario vt pro reſtitutione omnium iniuſtè ablatorum per vſuras, & alios iniuſtos contractus aliquam ſummam det, aut leget ſua vltima diſpoſitione alicui operi pio, aut certis hominibus ad cultum diuinũ ordinatis. Quæritur nunc, an ita diſponens ſit liberatus ab onere reſtitutionis, & ſecurus in conſcientia, & an legatum ſit dicendum ad pias cauſas, quãdo verus Dominus mortuus & hæredes nulli ſunt, pro reſtitutione vſurarum, relinquitur, pauperibus. Hæc quæſtio magnam affinitatem habet cum illa. An Eleemoſyna poſſit fieri de rebus furto, rapina, aut vſura ablatis. Præſupponendum hoc loco, quod non eſt licitum vſura acquirere etiam ad faciendum opera pia, aut etiam pro redemptione captiuorum ex cap. Super eo. eod. tit. & communi ſententia.

*Prima Concluſio.* Generalis. Quod obnoxium eſt reſtitutioni, nõ eſt dandum pauperibus, aut applicandum pijs operibus, extantibus damnum paſſis, ſine eorum voluntate. S. Thom. 2. 2. quæſtion. 62. articul. 5. ad 3. clarius & melius alijs. Caieta nus ibidem in reſponſ. ad 3. Sotus loco citat. Nauarr. libr. 5. conſil. in conſil. 22. de vſuris & ibidem conſil. 28. numer. 4. Textus in hoc capit. cum Gloſſ. & Doctoribus communiter. Quia ad

furtum

furtum ſpectat contrectare rem alienam inuito Domino. Ad idem facit illud Apoſtoli. Reddite omnibus debita. Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem. Rom. 13.

*Secunda Concluſio.* Eleemoſyna non poteſt fieri de rebus furto, rapina, & vſura acquiſitis, aut alijs, quæ reſtituendæ certis perſonis. Sanct. Auguſtinus in li. de verbis Domini ſermo. 35. S. Thomas 2. 2. quæſtion. 32. articul. 7. S. Antonin. 4. part. titul. 5. capit. 18. §. 10. S. Bonauent. in 4. d. 15. articul. 2. quæſt. 1. Richard. ibidem articu. 2. quæſt. 5. Alexan. Halenſ. in 4. part. quæſt. 110. membr. 2. Summiſtæ in verb. Eleemoſyna. & probatur ex ſacris literis Prouerb. 3. Honora Dominum de tua ſubſtantia. Eſaiæ 58. Frange eſurienti Panem tuum. Eccleſiaſt. 35. Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. Idem ſæpius habetur in decretis. 1. quæſtion. 1. cap. Non eſt putanda ex B. Gregorio. Non eſt putanda Eleemoſyna, ſi pauperibus diſpenſetur, quod ex illicitis rebus acquiritur & 14. quæſt. 5. capit. Eleemoſyna ex eodem Gregorio. Eleemoſyna redemptoris noſtri oculis illa placet, quæ non ex illicitis & iniquitate congeritur, ſed quæ de rebus conceſſis & bene acquiſitis impenditur, & ibid. in capit. Nolite, ex Auguſtin. in d. ſermone.

Nolite facere Eleemoſynam de fœnore & vſura. Et concluſio moderanda. Si raptor, aut vſurarius non proponat reſtituere in æquiualenti: aut per hoc impotens redditur ad reſtitutionem vſurarum in æquiualenti, Alexan. Halenſis, & poſt eum Gabriel. in 4. d.16.quæſt.4. explicant.

*Tertia Concluſio.* In caſu extremæ neceſſitatis poſſidens bona iniquè parta, & reſtitutioni obnoxia, poteſt ea dare pauperibus. Concluſio eſt communis. Extrema enim neceſſitas omnia communia facit, & neſcit legem.

*Quarta Concluſio.* Vſurarius, qui eſt obligatus ad reſtitutionem certis perſonis, aut Dominis veris & cognitis, eis exiſtentibus, aut eorum hæredibus ſuperſtitibus non liberatur per hoc à neceſſitate reſtituendi, quod pauperibus aut locis pijs aliquã ſummam diſtribuat, aut applicet in legato, aut vltima voluntate. Quæ Conc. nõ ſolum habet locum in vſurario, ſed etiã alijs qui furto, rapina alijſque iniquis contractibus bona acquiſiuerunt, quæ reſtituẽda ſunt damnum paſſis. Concluſionem tradunt Alexan. d.q.110. membr.2. Turrecrem. eum ſequens in d.c. Nolite. Ioan. ab Anania in hoc cap. ſecutus Bald. in repetit. L.1.C. de ſacroſan. Eccleſ. & alij, & probatur apertè ex ca. Ea tę. de iureiurand. cum annotatis ibidem à Doctoribus

ribus. Soluens vni ſponte, quod alteri eſt debitum, non liberatur, quin teneatur ei ſoluere, cui debet. Ergo qui ſponte ſoluit aut dedit pauperibus, quod vero Domino aut eius hæred. debetur, non ſatisfacit: præterea validum adhoc probandum eſt argumẽtum à Gabriel. in 4.d.16.quæſt.4.artic.2.concluſ. 3.inſinuatum. Reſtituere rem debitam eſt præcepti omnium iudicio. Dare autem Eleemoſynam ſeu applicare alicui operi pio extra caſum neceſſitatis conſilij: Sed propter conſilium non eſt violandum præceptum. Tandem Reſtituere rem alienam proprio Domino ſpectat ad iuſtitiam, quæ reddit vnicuique quod ſuum eſt. Dare autẽ pauperibus aut applicare operi pio ad opus charitatis. Non eſt autem licitum tranſgredi limites iuſtitiæ propter opus charitatis. Qua ratione etiam pro redemptione captiuorum non eſt licitum vſuras exercere. Eandem concluſionem ante omnes alios tradidit S. Auguſt. in ep.54.ad Macedon. non longè à fine, cum inquit. Qui vero cõtra ius ſocietatis humanæ, furtis, rapinis, calumnijs, oppreſſionibus, inuaſionibus abſtulerit, reddenda potius quam donãda cenſemus Zachęi exẽplo, qui cum Dominũ hoſpitio recepiſſet, in vitã ſanctam mutatus, dimidiũ, inquit, bonorũ meorũ do pauperibus, etſi quem defraudaui reddo quadruplum. Et circa illud factum

Zachæi

Zachæi obſeruãdum cum D. Chryſoſtomo, quod opes Zachæi non ſolum erant iniuſtæ, ſed etiam ex patrimonio congregatæ: alioquin quomodo poterat extorta inique reſtituere in quadruplum. Sciebat enim legem iubentem reſtituere in quadruplum malè ablata. Hæc Chryſoſt.

*Quinta Concluſio.* Vſurarius, vel alius, qui tenet bona reſtitutioni obnoxia, debet omnem diligentiam adhibere, & ſedulam inquiſitionem facere, vt ſciat certa ab incertis diſcernere & ſua, quæ vnicuique debita ſunt reſtituere, & Dominos veros inuenire, vel eius hæredes. Hoc ſi facere neglexerit, & cognitis veris Dominis, pauperibus, quæ ad alios ſpectant, dederit, non ſatisfacit conſcientiæ. Hanc concluſionem tradunt S. Thomas 2.2.q.62.art.5.ad 3. Caieta. accurate ibidem & Nauarr. in d. conſ. 22. de vſur. Hinc talis tenetur libros & regiſtra reuidere, computos perluſtrare, annos ab eo tempore, quo iniuſtos & periculoſos contractus exercuit, recogitare, & diligenter inquirere, cum quibus tales contractus inierit: hoc faciendo facilè veniet in cognitionem certorum Dominorum, quibus obligatur ad reſtitutionem.

*Sexta Concluſio.* Vſurarius, vel alius qui detinet bona aliena obligata reſtitutioni, ſi relinquat in vltima diſpoſitione aliquam ſum-

ſummam pauperibus, quando Dominus mortuus eſt, aut eius hæredes nõ ſuperſunt, pro reſtitutione vſurarum, non eſt legatum aut diſpoſitio ad pias cauſas. Concluſio eſt Baldi, & Ananiæ loc.cit. Quia non præſtat beneficium, qui impẽdit debitum. Tum etiam in tali caſu etſi hoc relinquatur pauperibus non tamen eſt opus charitatis, ſed iuſtitię, & ſic non pietatis ſed neceſſitatis: Quia diſponere pro reſtitutione vſurarum ſic eſt actus iniuſtitiæ, quoniam pauperibus tantum redditur, quod eis debetur ſecundùm mentem omnium.

## QVÆSTIO. VIII.

*An vſuræ in alienis partibus extortæ, ſint eroganda pauperibus patriæ, aut loci, vbi extortæ ſunt, vel habitantibus in patria extorquentis?*

EXempli gratia, vt titulus intelligatur, exercuit aliquis vſuras Antuerpiæ, qui habitat Coloniæ. An reſtitutio quæ pauperibus facienda eſt, ſit applicanda pauperibus Antuerpien. vel Colonienſib. Hoſtien. Antonius Ioan. Andr. & alij in hoc c. exiſtimant huiuſmodi reſtitutionem faciendam inter pauperes loci, vbi datum eſt damnum, ſiue vbi pecuniæ vſura extortæ ſunt: vel vbi habitauit is, cui reſtitutio facienda erat. Rationes

nes pro hac ſententia format Hoſtienſis, tum quia melius eſt, quod vicini cõmodum inde ſentiant. C. de ſeruit. L. 2. & L. præſes. Tum quia vero ſimilius eſt inter eos, inueniri illũ, qui damnum paſſus eſt: vel eius hæredem, quam inter extraneos.

*Prima Concluſio.* Quando quis habet aliqua reſtituenda ratione vſurariæ prauitatis, aut iniuſtæ acceptionis inter pauperes, poteſt pauperibus loci, in quo habitat, diſtribuere. Hanc concluſionem latè tenet Frideric. de Senis conſ. 33. incip. Nunquid ille, qui extorſit vſuras. hunc ſequuntur Ancharan. in hoc cap. Angel. in verb. Reſtitutio 2. §. 13 & alij alibi. Probatur. Primo. Iura, quãdo loquuntur de huiuſmodi reſtitutione facienda pauperibus loquuntur indiſtinctè & generaliter de quibuſcunque pauperibus, non reſtringendo ad pauperes certi loci vt patet in hoc c. & c. Sicut dignum, de homicid. cap. Plerique de Immunit. Eccleſ. & 14. quæſt. 5. cap. Non ſanè. Ergo de quibuſcunque pauparibus poteſt intelligi cap. 2. de cõiug. leproſor. & cap. Quia circa, de priuileg. Secundo. Quando iura voluerunt illicitorum reſtitutionem fieri certo loco, id expreſſerunt cap. Ad liberandum de Iudæis. Tertio. Iſta reſtitutio fit vt vſurarius liberetur à peccato, & vt reſtitutio proſit animabus illorum, quibus facienda eſſet reſtitutio.

Sed

Sed vbicũque fiat, dummodo bene fiat, proderit animabus illorum, quibus facienda erat reſtitutio. Concludit Frederic. quod totus mundus non poſſet probare, quod pauperibus loci vbi datum eſt damnum, vel vſuræ extortæ, debeat fieri neceſſario reſtitutio incertorum.

*Secunda Concluſio.* Conſilium eſt, quod nõ obligat ad culpam, dare obnoxiũ reſtitutioni pauperibus loci, vbi vſuræ extortæ ſunt. Vel vbi habitauit, is cui reſtitutio facienda erat. Sic ſentiunt Freder. Archar. Ang. &alij, & ad id tendunt rationes Hoſtienſis.

## QVÆSTIO. IX.

*Quodſi is, cui reſtitutio facienda eſt ratione vſuræ extortæ, abſens ſit à loco, vbi vſurarius habitat cuius expenſis mittendum eſt id, quod reſtitutioni obnoxium eſt?*

TRactant communiter Doctores in hoc ca. cum Gloſſa, quæ dicit, quod ſi is, cui reſtitutio facienda eſt, abſens, quod ſumptibus abſentis: Si autem ſumptus itineris rei ſummam excedant, det pauperibus. Hoſtienſ. Anton. Ananias & alij dicunt, quod cum vſurarius ſit malæ fidei poſſeſſor, ſi alibi ſe transferat extra locum, vbi vſuras extorſit, proprijs ſumptibus teneatur mittere. Si ve-

Si vero is alias ſe transferat, qui pecuniã mutuo accepit, procedit Gloſſ. Ita diſtinguitur in L.cum res §.1.ff.de edend.

*Prima Concluſio.* Si veniat aliquis fidelis, qui gratis deferat ei, cui debetur obnoxium reſtitutioni, rectè fieri poteſt. Panormita.in hoc cap. Idem cum alijs in c.Significante de pignorib.

*Secunda Concluſio.* Spoliator ſemper proprijs ſumptibus reſtituere debet rẽ in loco, vbi ſpoliauit 3.q.1.ca.Reintegranda, & DD. in hoc cap. cum Glo. Niſi Dominus ſpoliatus ſua bona ſpoliata, fuiſſet ad alium locum deportaturus.

*Tertia Concluſio.* Si vſurarius à loco receſſit, & non creditor proprijs expenſis & non creditoris debitum illi mittendum eſt. Quia culpa vſurarij, qui malæ fidei poſſeſſor eſt, creditori nocere non debet: Noceret autem, ſi in recuperatione rei ſuæ expenſas deberet facere. Deinde ſi hoc non faceret vſurarius, non etiam reſtitueret. Quia reſtituere eſt rem in primum ſtatum exponere, & reddere integrè rem in ſtatu, in quo Dominus conſeruaſſet, ſi apud eum manſiſſet. L. Reſtituere 1.& 2.ff.de verbor.ſignific.Sanct. Thom.2.2.quæſt. 62. art.1. & 5.Caietan.ibidem.

*Quarta Concluſio.* Si creditor receſſit à Loco, & erat rem ablatam ſine expenſis ſecum porta-

portaturus,&alibi diſtracturus,debitor proprijs ſumptibus tenetur creditori mittere. Syluest.in verb.vſura 4.q.4.Ioan.Medina in C.de reſtit.q.2.& alij alibi. Quia creditor nō debet expenſarum ſolutione grauari, quando debitor eſt in culpa,&cauſam damni dat. Si autem creditor non erat rem reſtitutioni obnoxiam aliâs deportaturus, debitor non tenetur ſuis expenſis mittere: Quia in hoc caſu nullam cauſam damni dat.

*Quinta Concluſio.* Quando vſurarius, aut alius malæ fidei poſſeſſor ſuis ſumptibus rē debitam tenetur mittere,& expenſæ faciendæ ſuperant pretium rei, tunc reſtitutio facienda hæredibus creditoris, vel eis non exiſtentibus, pauperibus. Scot.in 4.d.15.quæſtion.1.Gabriel.ibidem.q.2.art.3.dub.5. Richard.articu.5.quæſtio.4.ad primum. & alij. Quæ Concluſio intelligenda ſi cōmodè nō poſſit haberi Domini conſenſus, & res non ſit magni momenti vt rectè limitat Ioſeph. Angles in floribus Theologic.qq.in 4. Sentent.par.2.in quæſtio.de reſtitut. 9. difficult. dub.6.

*Sexta Concluſio.* Si res mittenda, ſit magni momenti, qua creditor maximè indiget, tunc etiam ſi expenſæ excedant,debitor ſuis expenſis mittere tenetur. Quia fraus poſſeſſori malæ fidei in damnum proprij Domini fauere non debet. Hanc concluſionem

I vide-

## QVÆSTIO. I.

*An liceat rem carius vendere, quam valeat?*

Videtur, quod ſic. Quia res tanti valet, quanti vendi poteſt ex Gloſſ. in hoc capit. & L. pretia ff. ad leg. Falcid. Vt melius iudicium habeatur de iuſtitia & iniuſtitia emptionis & venditionis, aliqua ſunt præſupponenda, quæ breuius annotaui in Enchridio Theologiæ paſtoralis 3. par. cap. 22.

In primis Emptio, cui venditio ſemper adiungitur, eſt cõtractus, in quo res pro pecunia datur, vel pecunia pro re.

2. Iuſtitia emptionis & venditionis in hoc conſiſtit, vt ſit æqualitas pretij ad rem. Cum enim vt S. Thomas 2.2. q. 77. artic. 1. ex Ariſtot. 1. Polytic. cap. 5. & 6. tradit emptionis & venditionis contractus introductus ſit pro communi vtilitate vtriuſque emẽtis & vendentis, vt æqualitas iuſtitiæ ſeruetur non debet eſſe magis in grauamen vnius quam alterius.

3. Ad ſubſtantiam emptionis & venditionis requiruntur perſonæ habiles ad contrahendum cum debitis circumſtantijs: & ſemper duæ perſonæ concurrunt vendens & emens. Quia cum in hoc contractu dominium transferatur, neceſſe eſt vt res à vendente in ementem tranſeat. Deinde pretium, & merx, quæ eſt res ipſa, cuius dominiũ tranſ-

fertur de vno in alium, de his habetur in L. Nec emptio ff.de contrah.empt.&vendit.& in §.1.& §.pretium.Inſtit.eod.tit.

4. Valor rei eſt duplex.Naturalis & Vſualis. Naturalis qui conſiſtit in natura rei & gradu eſſentiali,&hoc valore animal eſt pretioſius auro & argento. Et hic valor non attenditur in contractu emptionis & venditionis. Vſualis ſiue forenſis, qui ſumitur ex vtilitate,&vſu humano,& ſic res dicitur maioris pretij; quæ magis inſeruit humanæ neceſſitati & vtilitati.Pretium vſuale rei in primis poteſt eſſe duplex. Legitimum & arbitrarium. Legitimum quod lege,conſuetudine, aut conſtitutione eius, qui poteſtatem habet,præſcriptum & taxatum eſt, & hoc in indiuiſibili cõſiſtit,nec licet tranſgredi. Arbitrarium, quod conſiſtit in arbitrio vendẽtis, & hoc pretium non conſiſtit in indiuiſibili,ſed in mediocritate, quæ latitudinem in gradu admittit. Cum iuſtitia commutatiua, quæ eſt virtus non conſiſtat in medio matemathico, ſed morali. Hoc pretium diuiditur in minimum ſiue pium. Medium ſiue moderatum, & maximum ſiue rigidum, ſecundùm Scot.in 4.d.15.q.2.Conrard. de cõtractib. quæſt. 56. conclu.5. Gabr.in 4.d.15. q.10.articu.1.notab.5.Ioan. Medina in C.de reb. reſtituend. quæſt.31. Sot.libr.6.de iuſtit. & iure quæſt.2.articu.3. Amplectuntur eandem

dem diſtinctionem iuriſperiti Anton. Burgen. in c. Cum cauſa. num. 5. de empt. & vendit. qui dicit ſe hoc non inueniſſe apud Canoniſtas, ſed Theologos & Scotum. Carol. Molinæus de commercijs & vſur. q. 14. num. 171. Martin. Nauar. in manuali confeſſarior. cap. 23. nume. 79. & de pœnit. d. 5. cap. Qualitas. num. 45. Didac. libr. 2. variar. reſolut. cap. 3. num. 1. & alij alibi. Ad hoc illuſtrandum ſit exemplum. Iuſtum pretium modij tritici ſit aureus, plus vel minus quadrante, pretium minimum ſiue pium, erit vendere dimidio aureo & quadrante. Moderatum aureo, rigidum ſiue maximum aureo & quadrante.

5. Ad inueniendum iuſtum rei valorem multa congerũt Doctores præſertim Theologi allegati, è quibus ad pleniorem cognitionem aliquæ regulæ ſunt colligendæ.

*Prima Regula.* Iuſtitia pretij rerum non eſt metienda ex natura, ſeu valore naturali conſequenti eſſentialem bonitatem rei, ſed ex rerum vtilitate in ordine ad vſum humanũ. Hanc ponunt Scot. Conrard. Gabr. Couar. loco cit. Ioan. Maior. in 4. diſt. 15. q. 33. & alij. Ratio eſt, quia aliâs vt rectè Maior dicit. Cattus præſtaret toti tritico Siciliæ, vel toti thuri Sabæi: Cum viuens præſtet, non viuenti, & animatum pretioſius ſit inanimato in gradu naturæ.

*Secunda Regula.* Iuſtum pretium cenſendum, quod rebus præſcribitur ab auctoritate publica,& ſuperioribus habentibus poteſtatem. Cum enim pretium ſit medium, difficile eſt illud inuenire propter affectiones varias, & maxime auaritiam, quæ inſatiabilis eſt, nec modum tenere nouit, vnde oportet medium accipere ſecundùm determinationem ſapientum. Sapientes autem iudicantur legislatores, & fungentes poteſtate in repub. Hinc in L. Annonam. ff. de extraord.crimin.mandatur præſidibus prouinciarum, vt diligentiam adhibeant ne annona oneretur, id eſt cariori, quam iuſtum eſt,pretio vendatur. & Vlpian.in L.1.§. cura carnis ff.de offic. præfecti vrbis. Cura ait, carnis omnis vt iuſto pretio præbeatur, ad curam perfecturę pertinet.Conſultum ergo foret ſicuti Sotus infert, tum coemptorum negotiatorũque conſcientijs, tum communi etiam bono, ſi omnia rerum pretia, quatenus fieri poteſt, lege taxarentur. Quando autem iuſtum rerum pretium à lege & repub.taxatum eſt,qui tranſgrediuntur in notabili exceſſu, non ſolum mortaliter peccant, ſed etiam tenentur ad reſtitutionem talis exceſſus in conſcientia, vt præ reliquis doctè tradit Alphonſus Caſtrenſis lib.1.cap. 12.de poteſtate legis pœnalis,quem ſequuntur Ioannes Medina in Cod. de rebus reſtituend.

tuend.q.37.Nauarr.in Man.confeſſ.cap.32. nu.88.& Ioſeph.Angles in florib. Theolog. qq.in 4.2.par.in tract.de empt.&vendit.diffic.2.dub.8.

*Tertia Regula.* Sicuti legis & ſuperioris auctoritate pretium poteſt præſcribi: Ita etiam conſuetudine currenti, quæ legum interpres eſt. Scot. Gabr. Medina locis citat. Iuſtum enim cenſendum eſt rei pretium, quo communiter res ſolet vendi & emi ceſſante fraude & dolo iuxta arbitrium peritorum in eo venditionis genere. Quia vna eademque res plus & minus valere poteſt pro diuerſitate generis venditionis, vt in officina res viliori pretio emitur, quam apud mercatores. Et ea, quæ à militibus in iuſto bello acquiſita ſunt; vilius diſtrahuntur, quia alia eſt natura huius generis venditionis.

*Quarta Regula.* Æquitas pretij alijs ceſſantibus ex communi hominum æſtimatione ſumenda eſt, vt DD. tradunt. Hæc regula probatur ex L.pretia rerum ff. ad leg. Falcidiam, vbi dicitur, quod pretia rerum non ex affectione & vtilitate ſingulorum, ſed communi æſtimatione penſanda ſunt.

*Quinta Regula.* Mercium pretia emptorum copia augentur: penuria vero minuuntur: Sicuti è contra abundantia venditorum minuũtur: varietate vero excreſcunt. Gabr.

in 4.d.15.q.10.art.1.Sotus & alij. Experientia eſt clariſſima regula.

*Sexta Regula.* Vendens non rectè auget pretium rei ſuæ, ex hoc quod ementi multum proſit, modo ipſe vendens damnum non patiatur carendo re ſua. Hanc concluſionem ponit S.Thomas 2.2.quęſt.77.artic. 1.quem ſequuntur Gabriel.Conrard. Sotus & alij: Quia vtilitas quæ alteri accreſcit, non eſt ex vendentis venditione, ſed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri, quod non eſt ſuum, licet poſſet ei vendere damnum quod patitur. Ille tamen, qui ex re alterius accepta multum iuuatur, poteſt propria ſpõte aliquid vendenti ſupererogare: quod pertinet ad eius honeſtatem.

6. Præſuppoſitum in hac materia. Negociatio relata in honeſtos fines vtpote ad publicam vtilitatem, communem neceſſitatem, ac honeſtam decentemque familiæ & domeſticorum ſuſtentationem non ſolum licita, ſed etiam neceſſaria eſt reipublicæ. Cum enim Reſpublica ſit quoddam corpus, in quo multa ſunt membra, quorum ſingula diuerſis funguntur muneribus, conuenit etiam aliquos eſſe qui negocientur: Nulla enim eſt ciuitas, nulla prouincia, quæ ſibi in omnibus rebus ſit ſufficiens. Vnde neceſſaria eſt mutua communicatio diuerſarum ci-

uita-

uitatum & prouinciarum in vitæ neceſſarijs, vt vnius inopia alterius abundantia iuuetur. Non ſunt autem omnes apti ad huiuſmodi munia ſubeunda, ſed aliqui natura ſunt ſagaciores & ad perferendos labores fortiores, quibus hoc ſtudium transferendi merces de loco ad locum placet. Qua de cauſa etiam pro ſua induſtria, ſolicitudine, cura & labore digni ſunt mercede & honeſta remuneratione: Cum nemo ſuis ſtipendijs militet vnquam. Quemadmodum qui agrum *Matth.10.*
colit, de eius fructibus iuſtè viuit: Ita & negociator de ſuis laboribus & lucris rectè viuere poteſt. Quando autem ſancti Patres, quorum teſtimonia habentur apud Gratian. in d.88. damnare videntur negotiationem, faciunt id propter pericula & occaſiones peccatorum, quæ huic exercitio vt plurimum coniunguntur: aut intelliguntur de ea negociatione, quæ tantum lucri cauſa fit, & in lucro tanquam fine quieſcit: talis cum turpis & ſordida ſit merito reprehenditur. Negotiatio ex ſua narura non eſt mala, ſed iniquitas hominum eam malam facit, vt Auguſtinus docet in Pſalm. 70. pro expoſitione verſiculi. (Quoniam literaturam non cognoui, &c. Vbi translatio ſeptuaginta interpretum habet) Quoniam non cognoui negociationem. Si malus, inquit S. Doctor, fuero, nō negociatio mihi facit, ſed iniquitas

mea. Quare negociari eſt actus indifferens, qui bene & male fieri poteſt.

7. Ad diſcernendum iuſtitiam emptionis & venditionis plurimum conuenit in primis animaduertere, an interueniat tacitum mutuum, vel interponatur expectatio temporis, & tunc attendendum, an aliquid accipiatur ob moram vel alium reſpectum palliatũ. Quod ſi fiat, magna eſt ſuſpitio, quod vſura ſubſit. Conſiderandum etiam an alius contractus emptioni & venditioni miſceatur: & tunc ex natura contractuum ſimul concurrentium, ſumendum iudicium de æquitate, vel iniquitate.

Poſtremò omnis iniquitas in contractu emptionis venditioniſque committitur: aut ratione pretij, ſi excedat valorem rei, aut ei non commenſuretur: Aut ratione temporis: ſi ſolutio anticipetur, vel differatur: Aut ex parte rei, quæ venditur, ſi defectum patiatur. In hoc cap. agitur tantum ex propoſito de iuſtitia & iniuſtitia emptionis & venditionis, quæ oritur ex parte pretij & temporis. Pro Reſolutione præſentis quæſtionis ſit.

*Prima Concluſio.* Fraude dolouè vti, vt res pluris vendatur aut minoris, quam valeat peccatum mortale eſt. Hanc concluſionem communiter tenent Doctores, & probatur 1. ad Theſſal. 4. præcipit Apoſtolus, ne quis

in ne-

in negotio fratrem ſuum circumueniat. Quoniam Dominus eſt vindex de his omnibus, & ratio clara eſt. Quicunque enim lædit proximum contra iuſtitiam commutatiuam notabiliter, mortaliter delinquit. At vtens fraude & dolo in commutationibus & contractibus, proximum lędit contra iuſtitiam, cum iniuſtè & inuito Domino velit contrectare & acquirere rem alienam. Ergo.

*Secunda Concluſio.* Negotiatores accipientes in venditione & commutatione rerum pretium moderatum correſpondens induſtriæ periculo & labori non peccant. Sanct. Thom. 2.2.q.77.articu.4. Alexand. Halen. 3. part. q.50. membr. 1. Ioannes Maior in 4.15. quæſt.33. conclu.3. Turrecrem.14.q.4. capit. Canonum & alij communiter. Quia vnuſquiſq; labore honeſto reipu. inſeruiens, poteſt de labore ſuo viuere, & ſuis prouidere. Nemo enim ſuis ſtipendijs militare tenetur. Sed qui merces ex alienis partibus, & remotis locis adferunt, eaſq; conſeruant, vt indigentes tempore neceſſario & oportuno habere queant, vtiliter reipublicæ inſeruiunt: Ergo.

*Tertia Concluſio.* Negotiatio, qua res venditur carius, quam emitur, ordinata ſolum ad cupiditatem lucri eſt illicita. Sic communiter tenent Doctores, & patet ex fi-

ex fine. Cuius finis malus, illud ipſum malum eſt, S. Auguſtinus 13. de Trinit. capit. 3. quem S. Thom. in d. q. art. 1. ad 2. refert & ſequitur, refert ad vitium vili velle emere & care vendere. Et in hoc caſu loquuntur Doctores, quando negociationem reprehen-
*Pſal.* 70. dunt. Chryſoſtom. ſuper Matthæum, cuius verba habentur d. 88. ca. Eijciens Dominus vendentes & emẽtes de templo ſignificauit, quia mercator nunquam poteſt Deo placere, & ideò nullus Chriſtianus debet eſſe mercator: aut ſi voluerit eſſe proijciatur de Ec-
*Matth.* 21. cleſia dicente Propheta. Quia non cognoui negotiationes introiui in potẽtias Domini. & Auguſtinus in eundem Pſalm. ibidem in c. Quoniam non cognoui.

*Quarta Concluſio.* Merces omnino immutatas carius vendere, quam ſint emptæ, eſt illicitum. Chryſoſtom. loco cit. S. Thom. in d. art. 4. ad 1. & 2. Alexand. Halenſ. loc. alleg. Turrecrem. in d. c. Canonum. Conrard. de contractibus q. 64. Angel. in verb. Negociatio. Sylueſt. in verb. Emptio. Gabriel. in 4. d. 15. quæſtion. 10. articul. 3. dub. 2. & alij communiter alibi. Dictum in concluſione (merces omnino immutatas) Quia ſi ſint mutatæ, aut meliores redditæ, carius iuſtè vendũtur, quam ſint emptæ. Mutãtur autem merces duobus modis. Aut intrinſecè: aut extrinſecè. Intrinſecè dupliciter, artificialiter, exem-

exempli gratia, feces vini rediguntur in vinum aduſtum. Et naturaliter, & hoc tripliciter. in ſubſtantia, vt aliquis emit vinum, & mutatur in pretioſiſſimum acetum, in quantitate, vt emit vitulum & nutrit donec in vaccam creſcat, & in qualitate, vt ſi quis emat muſtum, & non vendit, donec omnino purum ſit redditum. Extrinſecè autem merces mutantur ratione loci, temporis, copiæ, vel penuriæ, damni, laborum, & ſimilium reſpectuum. Ratio concluſionis eſt. Quia qui rem omnino immutatam carius vendit, quam emit ſine vlla cauſa & iuſta ratione maius illud pretium accipit. Non enim poteſt accipere pro merce, cum merx ſufficienter ſit ſoluta pretio quo emit: Non pro opere aliquo circa mercem impenſo, cum tunc fuiſſet mutata. Imo etiam qui rem omnino immutatam carius vendit, quam emit, vltimum finem in lucro videtur conſtituere vt tradit. Sanct. Thom. in d. articul. 4. ad 1.

*Quinta Concluſio.* Quando merces non ſunt neceſſariæ ad publicum vſum: aut ad vitam tranſigendam, tunc tantum valent, quanti vendi poſſunt. exempli gratia, ancipitres aut gemmæ pretioſiſſimæ venduntur nobili, vendi poſſunt tanti, quantum haberi poteſt. Hanc concluſionem tradunt Dominicus Sotus & Ioſephus Angles in florib.

Theolog.

Theolog.qq.in 4.in 2.par.in q. de contract. empt. Ratio eſt. Quia certitudo pretij inuenta eſt propter publicam vtilitatem, & quando res quæ publico vſui non eſt neceſſaria certo pretio caret: valebit, quanti vendi poteſt, in caſu huius concluſionis verum eſt. Res tantum valet, quanti vendi poteſt. Quamuis etiam rectè ſic intelligatur. Res tantum valet, quanti vendi poteſt fraude & dolo & ceſſante, infra latitudinem iuſti pretij, pro loco, tempore, & modo communi vendendi præſenti pecunia.

*Sexta Concluſio.* Tempore meſſis aut vindemiæ emere frumenta & vina in copia, ſtudio acquirēdi lucrum & priuatum commodum, vt poſtea tempore commodo, quando eſt annonæ caritas, carius vendat, eſt illicitũ, quando alius finis honeſtus, non accedit. Turpe enim eſt lucrum, quod hinc acquiritur. Hanc concluſionem tenent communiter Theol. & Canoniſtæ. San. Thom. loco cit. S. Anton. 2. par. tit. 1. ca. 23. §. 16. Alex. Halen. 3. part. q. 50. membr. 1. Iſidor. in Pſal. 70. Gabr. loc. cit. Conrard. in q. 65. Ange. & Syl-ueſt. vbi ſupr. Turrecr. in c. Quicunq; 14. q. 4. Canoniſtæ vt Innoc. Hoſtien. Panorm. & alij in c. 1. Ne clerici vel monachi. Ioan. Calder. in capit. fin. de vſur. & alij alibi. Et hæc concluſio multò fortius obtinet in clericis, probatur. conc. ex d. c. Quicunque quod

de-

deſumptum ex Iulio Papa, ſic enim habet. Quicunque tempore meſſis, vel vindemiæ nō neceſſitate, ſed propter cupiditatem cōparat annonam, vel vinū, v.g. duobus nummis comparat modium vnum, & ſeruat vſq; vendatur denarijs quatuor, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus.

*Septima Concluſio.* Si quis emat yconomicè, & pro neceſſaria prouiſione ſuæ domus tempore meſſis frumenta, & vindemiæ vina. Et poſtea ſi quid ſuæ neceſſitati ſuperſit pretio currenti vendat, non peccat, neque turpiter negotiatur. In hac cōcluſione omnes etiam conueniunt. Quiſque enim poteſt & tenetur ſibi & ſuis iuſto modo prouidere. Hoc enim ſpectat ad prouidentiam boni patrisfamilias.

*Octaua Concluſio.* Qui frumenta & annonam tempore copiæ emit ad conſeruandum pro reipub. communi vtilitate, vt tempore imminentis neceſſitatis ſit prouiſum indigentibus, ſi nullo modo intendat lucrum ex huiuſmodi emptione & reuenditione non peccat. Sed laude dignum quid operatur. Patet ex facto Ioſephi, qui tempore copioſæ annonæ emit frumenta, ne extra Ægyptum educta tempore famis futuræ, quā prouidebat, deeſſent incolis. Eadem eſt ratio ſi quis emat, vt liberalius tempore neceſſitatis valeat pauperibus ſubuenire. *Gen. 4.*

Idem

Idem eſt iudicium, quando id fit in gratiam ruſticorum, vtpote quia non poſſunt vendere, ſed otioſi ſunt expectantes emptores. Similiter iudicandum eſt, de tabernarijs & piſtoribus, qui tempore autumni & meſſis emunt vina & frumenta pro neceſſitate aduentantium toto anno, vt minutatim pro reipublicæ commodo & ornamento vendant peregrinis & alijs. Ex hac concluſione infero rectiſſimè facere in quibuſdam vrbibus eos, qui præſident polyticis officiorum adminiſtrationibus, quod tempore copioſæ annonæ prouident : ita vt ingruente caritate ac neceſſitate ſui ordinis, & ciuitatis hominibus pro pretio vendere valeant, quod ab alijs rigido emere deberent. Non tamen laudo quorundam magiſtratuum factum, qui emunt quidem tempore vindemiæ vina, & miſſis frumenta, [& tempore neceſſitatis quando alij venalia non exponunt, ſua depromunt, venduntque in primis pretio rigido, quod antea apud alios non currebat. Hoc enim non eſt officium pij magiſtratus ergo ſuos ſubditos, quos exemplo, pietate, & amoris ſignificatione magis, quam ſeueritate debet dirigere. Hoc enim facto alij auari & diuites ducuntur, vt magis rerum pretium augeant. Dum enim vident magiſtratum augere rerum pretium, geſtiunt & lætantur, ſuamque annonam in-

cludunt

cludunt, donec magiſtratus exemplum prę-cedat, præſertim quando experientia didicerunt, ita conſueuiſſe fieri: & ſic in malo veritatem habet illud dictum. A boue maiore, diſcat arare minor. Fidelis & pij magiſtratus eſt non tam priuatam, quam publicam egenorum & pauperum quærere vtilitatem, & ſic ſemper in venditione annonæ, aliarumque rerum, quæ ſpectant ad humanam neceſſitatem, declinare ad pium pretium. Cum ad magiſtratum & præſides vrbium prouinciarumque ſpectet leges præſcribere & in huiuſmodi negocijs diligentiā adhibere, ne annona oneretur, L. Annonā ff. de extraord. criminib. Si ergo ipſi præfecti & præſides in primis annonam onerent, per quos error aliorum tolletur, & reformabitur. Quare optimè & ſapientiſſimè in quibuſdam ciuitatibus, cautum eſt, vt ad magiſtratum negotiatores non admittantur, ſed qui in faſtigio officiorum degunt, publico ſtipendio & decenti alantur.

*Nona Concluſio.* Damnandi & à republica exterminandi ſunt auariſſimi quidam negociatores, qui frequenter forum percurrunt, omnia coemunt, annonam reſque vitæ & victui neceſſarias ſupprimunt, & priuatos paupereſque anteuertunt, ne pro ſua vtilitate emere poſſint. Deinde quando non ſunt alij talium mercium venditores ipſi

carius pro ſua voluntate vendunt. Qui hoc faciũt in coemptione frumentorum, & aliarum rerum communi vſui humano neceſſarium, nullo modo ſunt tolerandi, ſed è templo eijciendi. Hanc concluſionem docent Alexand. Halenſ. Gabriel. Conrardus Syluest. loco citat. & alij alibi. & probatur ſufficienter ex legibus in quibus damnantur, Dardanarij qui annonam coëmunt, & tam diu ſupprimunt, donec tempore neceſſitatis pretio quam maximo vendere poſſint. Leg. Annonam. d. & Leg. In Dardanarios. ff. de pœnis, & alibi. Dardanarij autem dicti ſunt à Dardano Mago profligatiſſimo, cuius meminit Plinius libro 30. capit. 1. naturalis hiſtoriæ, à quo magicæ artes Dardaniæ auctore Columella vocantur. Dictis annumerare poſſumus illos, quos aptiſſimo vocabulo Syluester in ſumma in verb. Emptio. quæſtion. 6. Lupos nominat, & noſtrates ſæpe eodẽ nomine in ſimili materia iuxta Germanicum ideoma vtuntur. Sunt autem hi, qui volentes ſua vendere frumenta conueniunt, vt non niſi certo pretio vendant, vel emant omnia in foro, vt pretium creſcat, & ſuo modo vendant: aut volentes emere exponunt multa venalia in foro vt pretium vileſcat, & tunc vilius coemere poſſint.

*Decima Concluſio.* Ad obuiandum multis frau-

fraudibus, quibus reſpub. ſæpe in ſuis membris vexatur à diuitibus negotiatoribus & voracibus lupis moleſtia afficitur, in coemptione annonæ, laudabile eſt ordinari à rectoribus ciuitatum & prouinciarum vt in nundinis & foro ante certum tempus, vel non niſi dato ſigno publico, nullus audeat frumenta aut victualia in copia coemere, vt ſic pauperes & priuati in primis ſuæ neceſſitati poſſint conſulere. Hanc concluſionem tradit Conrardus de contractibus quęſtion. 65. correlario vnico. & ſatis clara eſt ex ordinationibus Polyticis rerumpub. bene inſtitutarum. Et ſanè magnum ſignum eſt negligentiæ in Polytico regimine, quando non eſt reſpectus ad pauperum huiuſmodi ſuppreſſiones, & ſubditorum emunctiones.

*Vndecima Concluſio.* Vendere rem carius, quam valeat interueniente fraude, in ſubſtantia, aut qualitate, aut quantitate, ſiue pondere & menſura eſt illicitum & peccatum. S. Thom. in d. quæſt. 77. art. 1. Scot. in 2. d. 15. quæſt. 2. art. 2. Maior. ibid. q. 33. concluſ. 4. Turrecrem. in d. c. Canon. & alij communiter alibi. Talis enim decipit proximum contra iuſtitiam, & cauſam efficacem damni dat. Vnde illud Ambroſ. in libr. officiorum Regula iuſtitiæ manifeſta eſt, quod à vero non declinare virum deceat bonum: nec

damno iniuſto afficere quenquam: nec aliquid dolo anneɛtere rei ſuæ.

## QVÆSTIO. II.

*Vtrum licitum ſit in emptione & venditione contrahentibus ſe mutuo decipere citra medium iuſti pretij?*

QVæſtio hæ celebris eſt tam apud Theologos, quam Iuriſperitos, ideoq́ue cum diligentia tractāda eſt. Videtur autem quod ſit licitum, ex Gloſſ. in hoc cap. & c. Cum dilecti, de empt. & L. In cauſæ. 2. §. Idem Pomponius ff. de minoribus, & in L. Item ſi pretio §. fin. ff. Locati, Naturaliter licet contrahentibus ſe inuicem decipere. Quod autem lex naturæ concedit non poteſt eſſe peccatum d. 1. c. 1. Secundo ex L. 2. C. de reſcindenda vendit. & d. cap. Cum dilecti. & cap. Cum cauſa ibidem: decernitur non licere contrahentibus ſe decipere vltra dimedium iuſti pretij. Ergo à contrario licitum ſe decipere infra dimedium iuſti pretij. Tertio Lex ciuilis d. l. 2. concedit talem deceptionem, ergo licitum eſt. Quia cum lex humana obliget in foro conſcientiæ, poteſt in pœnam imprudentię condemnare illum emptorem illo exceſſu; ſicuti facit in præſcriptione in pœnam negligētiæ. Ante reſolutionem ſunt aliqua præcognoſcenda.

*Primum.*

*Primum.* In hac quæſtione loqui poſſumus, & in foro conſcientiæ, & in foro exteriori, & in hoc foro, vel iure Canonico, vel ciuili.

*Secundum.* Opiniones ſunt in hac quæſtione. Prima eſt cuiuſdam Durandi ordinis minorum in ſua ſumma, cuius meminerunt S. Antonin.2. part.titul.1.cap.16.§.3.colum. 4.& Conrard.de contractibus quæſt. 57.cõcluſ.3. Dictus auctor tradit licere venditori in foro conſcientiæ exigere iuſto maius etiamſi magnus ſit exceſſus, dummodo ſit citra dimedium iuſti pretij & non vltra. Pro hac opinione faciunt argumenta in principio adducta. Huic opinioni conſentiunt. Bald.in Authen.Ad hæc C.de vſur. oppoſit. 21.Andr. Barbat. in capit.1.de empt.& Ioan. Crottus capit. 2. de conſtitut.in 6. qui tradunt nec in hac deceptione eſſe peccatum, nec teneri aliquem ad reſtitutionem eius,in quo alterum læſit citra medium iuſti pretij. Secũda ſẽtẽtia poteſt attribui Ioanni Gerſoni Cancellario Pariſienſi in floribus, qui aſſerit, quod decipiens citra dimedium iuſti pretij, peccat quidem, & etiam mortaliter, ſi exceſſus ſit notabilis, non tamen ad reſtitutionem tenetur. In tractatu autem de contractibus, de huiuſmodi decipiente ſic loquitur. In foro conſcientiæ nulli dubium, quin defraudans teneatur confiteri:

Vtrum autem obligetur reſtituere: non eſt ita clarum, nec concordatum apud omnes præſertim Theologos: Non enim videtur neceſſarium, quod vbi concurrunt mutuæ voluntates ementis & vendentis, vt res ſuas commutent in alterutrum, furtum committatur vel rapina iuxta illud. Scienti & cõſentienti non fit iniuria, neque dolus, præcipuè dum ſciens & volens eſt ſui iuris in ſua re: Quod dicitur propter pupillos & ſui ſimiles: Et dum cenſenſus non eſt lege irritatatus, ſicut in deceptione vltra dimedium iuſti pretij. Hæc ille Doctor. Tertia Sententia eſt communiſſima tam Theologorum quam Iuriſperitorum, decipientem notabiliter etiam citra dimedium iuſti pretij mortaliter peccare, & etiam obligatum eſſe ad reſtitutionem illius exceſſus in foro conſciẽtiæ. Doctores huius ſententiæ infra in concluſionibus adducentur.

*Tertium præcognoſcendum.* Quę ſit ratio habenda, vt cognoſcatur læſio vltra dimedium iuſti pretij non omnes concordant. Quantum ex parte venditoris vnanimis eſt ſenſus omnium, quod tum deceptus vltra dimedium iuſti pretij cenſeatur, quando necdum dimedium recepit iuſti pretij valoris ipſius rei, exemp. gr. ſi agrum valentem æquo pretio 100. vendiderit minori pretio, quam 50. At ſi ex parte emptoris agatur non omnium

eſt

eſt eadem ſententia, quando deceptus dicatur vltra dimedium iuſti pretij. Quidam exiſtimant Emptorem in hoc caſu tunc agere poſſe remedio L.2.C.de reſcind.vend.quando rem emit pretio excedente plus duplo ipſum iuſtum rei valorem, v.g. Si agrum valentem iuſto pretio 40. emerit. 81. vel 82. Hanc expoſitionem amplectuntur. Panormit.in d.c.Cum dilecti: Petrus de Bella Pertica in d. L. 2. Cynus ibidem. Speculator in tit.de empt.& vendit. verſ. Vbi autem ſequi videtur, latiſſimè ſubtiliſſimeque Caro. Molinæus in tract. commerciorum & vſurar.q. 14.à nume.174.per aliquot paginas. Alij volunt tunc emptorem deceptum vltra dimedium iuſti pretij, ſi pro re dederit iuſtũ pretium, & præterea adhuc pluſquam dimediã iuſti pretij partem exempl.gr. Petrus emit agrum iuſto pretio valentem 100. emit 152. aut rem valentem 10.emit 16.aut 17. Hanc ſententiã ex Theologis apprehendunt Scot. in 4.d.15.quæſt.2.Gabr.ibid.quæſt.10. artic. 2.concluſ. 1. Conrard. de contractib. quæſt. 57.ſuppoſitione 2.Sot.libr.6.de iuſtit. & iur. quæſt.3.art. 1. ſequuntur Iuriſperiti. Anton. Burgen. in d.c. Cum dilecti nume.14.Gloſſ. Panorm.& Hoſtien. in cap. Cum cauſam de empt.Fabian.de Monte S.Sabini in tract.de empt.& vend.quæſt. 8. principali. numer.8. Baldus Albertus, Godefrid. & alij in d. L.2,

Azo in ſumma ibidem. Caro. Molin. in conſuetud. Pariſien. §. 22. num. 46. & alij alibi, & hæc ſententia communis eſt & receptior apud forenſia tribunalia, vt atteſtatur Didac. libr. 2. variar. reſolut. capit. 3. numer. 8. Etſi prior opinio vera eſſet, tunc non ſolum vt DD. loquuntur vltra dimedium iuſti pretij eſſet deceptio, ſed vltra quam eſſet totum iuſtum pretium, vt omnibus patet exemplo dato, & huic opinioni fauent verba d. l. 2. in fine, vbi dicitur. Minus pretium eſſe videtur, ſi neque dimidia pars veri pretij ſoluta eſt. Neque vlla L. dicit id quod cõtraria opinio ſentit vt Azo ait, & qua ratione venditor agere poteſt, eadem & emptor.

*Prima Concluſio.* Qui notabiliter decipit proximum in emptione & venditione, etiam citra medium iuſti pretij mortaliter delinquit. Hanc concluſionem communiter tenent Theologi & Iuriſperiti Sanct. Thom. 2. 2. quæſtion. 77. articul. 1. S. Antonin. 2. part. titul. 1. cap. 16. §. 3. Gabriel. in 4. d. 15. q. 10. art. 2. conclu. 2. Ioannes Maior ibidem quæſtio. 32. Conrard. quæſt. d. Adrian. quæſt. 6. artic. 3. Caietanus tom. 1. tract. 31. capit. 12. Sotus loco citat. Alphonſ. Caſtren. libr. 2. de poteſt. legis pœnalis capit. 10. fallentia. 3. Angel. Sylueſt. & alij in verb. Emptio ſequuntur Iuriſperiti. Innocent. Panormitan. Ioann. ab Anan. in hoc capit. Anton. Burgun. in d. ca.

Cum

Cum dilecti. Bartol. Cœpola in tractat. de ſimulatione contractuum, præſumpt. 2. pulchrè & doctè Fortunius Garzia in libr. de vltimo fine iuris Canonici & ciuilis illatione 17. latiſſimè Martin. Nauarr. in repetit. cap. Nouit de iudicijs. notab. 6. à numer. 47. Couar. in d. lib. 2. capit. 4. numer. 11. & probatur Conc. primo ex ſacris literis. Leuit. 19. Non mentiemini, nec decipiet vnuſquiſque proximum ſuum, & 25. Quando vendes quippiam fratri tuo, vel emes ab eo, nõ contriſtes fratrem tuum. 1. ad Theſſal. 4. Ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus. Quæ verba in illum locum interpretans Diuus Anſelmus ait. Supergreſſio eſt, vbi pro minori pretio, illud quod maioris pretij eſt, elicitur. Circumuentio autem, vbi per dolum frater in ipſa venditione, vel emptione decipitur. Hæc Anſelmus & tam ſupergreſſionem, quam circumuentionem peccatum eſſe ex vltimis verbis clarum eſt, cum ſubdit. Quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus. Idem conſtat ex illo principio iuris naturalis relato in principio Decretalium. Ne facito alijs, quod tibi fieri non vis, cuius multò antè meminit Chriſtus in Euangelio. Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite eis. Secundo conuincitur ex ratione

iuſtitiæ commutatiuæ & æquitate naturali. Emptionis & venditionis contractus pro communi vtilitate vendentis & ementis introductus eſt, dum ſcilicet vnus indiget re alterius, & è conuerſo vt Ariſtot. libr. 1. Politic. capit. 5. & 6. atteſtatur. Quod autem pro communi vtilitate inductum eſt, non magis debet eſſe in grauamen vnius quam alterius. Ergo ex natura iuſtitiæ commutatiuæ debet ſeruari æqualitas pretij ad valorem rei, alioquin non ſeruabitur libra iuſtitiæ. Quando autem aliquis læditur etiam citra dimedium iuſti pretij non ſeruatur æqualitas: aliâs non eſſet læſio. Ergo qui vendit rem carius etiam citra dimedium iuſti pretij peccat contra iuſtitiam. Hanc rationem in virtute ponit S. Thomas. Tertio idem confirmari poteſt à definitione iuſtitiæ. Iuſtitia eſt quæ reddit vnicuique quod ſuum eſt. Ergo iniuſtitia eſt quando proximo detrahitur, quod ſuum eſt. Hoc autem contingit quando decipio proximum in emptione, aut venditione etiam citra dimedium iuſti pretij.

*Secunda Concluſio.* Qui ſcienter proximum decipit etiam infra dimedium iuſti pretij in notabili quantitate præter peccatum mortale, quod committit etiam tenetur ad reſtitutionem. S. Thom. Antonin. Scot. Gabrie. alijque Theologi citati. Panormitan. in cap.

Quia

Quia plerique de imminut. Eccleſiar. à numer. 28. Nauarr. Didac. & alij ab eis ad londum allegati, & hæc communiſſima etiam eſt opinio. Vnde mirandum quomodo Gerſon dicat, non eſſe concordatū inter Theologos, an talis ad reſtitutionem teneatur. Ratio etiam euidentiſſima eſt. Omnis iniuſtitia ſiue inæqualitas in emptionis & venditionis contractu reducenda eſt in foro conſcientiæ ad iuſtitiam & æqualitatem: Quia in iuſtitia commutatiua repugnat eſſe iuſtum ſiue æquum cum inæqualitate. Sed vbi eſt deceptio etiam citra dimedietatem iuſti pretij eſt inæqualitas: aliâs non eſſet deceptio. Ergo vt ſit iuſtitia reducenda eſt ad æqualitatem. Sed non poteſt reduci ad æqualitatem niſi per reſtitutionem, cuius proprium officium eſt iniuſtum reducere ad iuſtum.

*Tertia Concluſio.* Qui ex ignorantia bona fide notabiliter proximum decipit, putans ſe iuſtè contrahere, ſi poſtea cognitio iuſto pretio, id in quo etiam læſit citra dimedium iuſti pretij; non reſtituit, mortaliter peccat. S. Antonin. Gabriel. Conrardus Adrianus. Panormitanus locis citat. Maior in 4. d. 15. quæſtion. 32. in reſponſ. argu. contra primam concluſionem, & alij alibi & hæc eſt communis opinio vt Nauarr. & Didacus

atteſtan-

atteſtantur. Eadem ratio quæ præcedentem concluſionem probat, hanc etiam confirmat.

*Quarta Concluſio.* Qui ſcienti iuſtum rei valorem, eam carius, quam valeat vendiderit, vel à ſciente, emerit vilius, peccat & in conſcientia tenetur ad reſtitutionem. Hanc concluſionem tenent Caietan. & Couar. loco citat. & eam probant rationes poſitæ à Conrard. in d. qu. 57. Quia donationis præſumptio hic non ſubeſt vt probat Panorm. in hoc cap. poſt nume. 6. Igitur eſt vſurpatio rei alienæ inuito Domino. Deinde contractus emptionis & venditionis ex ſua natura non eſt gratuitus vt omnibus notiſſimum eſt. Ideo ad id quod eſt per accidens nempè præſumptam donationem non eſt regulariter attendendum, cum in hoc contractu iuſtum pretium quæratur, non autem donum expectetur.

*Quinta Concluſio.* Deceptus notabiliter ex ignorantia etiam citra dimedium iuſti pretij, poteſt in foro Eccleſiaſtico deceptorem ex vera ſcientia conuenire & compellere ad reſtitutionem recompenſationemque eius, in quo læſit vltra verum pretium. Quæ concluſio etiam locum habet in deceptore laico. Hanc concluſionem tenent. Panormit. in hoc capit. numer. 6. Anan. ibidem calum. 4. qui eam etiam tribuit Ioan. Calder. in ca.

Naui-

Nauiganti & Anchar. in regul. Peccatum de reg. iuris in 6. Horum ſententiam ſequuntur. Couar. & longius omnibus probat Nauarr. in d. c. Nouit de iudicijs. notabili 6. à numer. 79. Ratio eſt. Quia iudex Eccleſiaſticus poteſt etiam laicum compellere vt relinquat ſtatum peccati mortalis, & pœniteat, & ex conſequenti reſtituat alienum, quod iniuſtè detinet, & id maximè per viam denunciationis. Quia quando à iure ciuili non eſt proditum remedium, per quod inæqualitas ad æquitatem in foro ciuili poſſit reduci. tunc ſine exceptione coram iudice Eccleſiaſtico poteſt etiam conueniri laicus via ſaltem denunciationis vt tradunt Innocent. Hoſtien. Ioan. Andreas. Panorm. cum alijs in cap. Nouit de iudicijs. Felin. in capit. Quæ in Eccleſiarum, de conſtitut. numer. 8. ſecutus Bartol. in Extrauag. Ad reprimendam, verb. Denunciationem colum. 1. & hæc eſt communis opinio atteſtante Nauarro in d. not. 6. numer. 82. At quando quis læſus in emptione & venditione citra dimedium iuſti pretij etiam cum notabili detrimento, nõ eſt remedium reſarciendi damnum de iure ciuili. Nunc videndum quantum de lege ciuili permittatur.

*Sexta Concluſio.* De lege ciuili toleratur contractus emptionis & venditionis, nec reſcinditur, quando deceptio non eſt vltra

dime-

dimedium iuſti pretij. L.2. C.de reſcin. vendit. Permittit autem lex ciuilis id ne præbeatur fomentum litibus, litigioſi enim facile ſumerent occaſionem impugnandi contractum emptionis & venditionis iam completam: Si contractus propter minimum defectum vel exceſſum reſcinderetur.

*Septima Concluſio.* Si deceptio in vno nũmo ſuperet dimedietatem iuſti pretij læſus poteſt vti beneficio d.L.2.& agere ad reſcindendum contractum, vel ſupplendum pretium.Panormitan.in c. Cum cauſa de empt. Felin.in cap.Cum cauſam colum.1.de teſtib. Ancharan.in cap. Canonum ſtatuta.colum. fin.de conſtitut.Bald.in d.L.2.quæſt.2.Salycet.& Angel.ibidem.Alexand.in conſil.107. colum.3.vol. 4. Cæpula de ſimulatis contractib. numero 29. & alij alibi. Aliqui tamen voluerunt, quod in hoc ſtandum ſit iudicis arbitrio. Concluſio tamen poſita communior & receptior eſt. Quia cum hæc lex omnibus bonis ſit odioſa non debet extendi, ſed reſtringi, maximè cum in foro animæ læſo ſit iniuſta. Quare literæ L. quæ etiam plures probatos habet pro ſe, auctores, inhærendum eſt.

*Octaua Concluſio.* Vt depoſitio d.L. 2. habeat locum in læſione vltra dimedium iuſti pretij, habendus eſt reſpectus ad tempus celebrati contractus, vel anterius, vel poſte-

rius per aliquot dies, vel menſes. Ex L. Si voluntate C. de reſcind. vendit. Bald. in d. L. 2. colum. penult. verſicul. Ex eis apparet. Salycet. ibidem colum. 8. verſ. Quæro decimo nono, & alij multi quos allegat. Anton. Gabrielius Roman. lib. 3. communium conclu. in tit. de empt. & vendit. conclu. 1. nume. 47. Hinc quando ſunt eligendi arbitratores, tales ſunt adhibendi, qui cognouerunt conditionem & ſtatum rei, tempore contractus: Quia pretia rerum mutantur pro varietate temporum. Ante 40. annos emptus eſt ager 50. aureis, qui nunc fortaſſe 90. vix emeretur. Aduertendum etiam an onus quoddam rei annexum ſit, tunc enim minus res valet omnium iudicio. Felin. & Panormit. in cap. Cum Ioannes de fide inſtrument. Decius in conſ. 648. Tyraquel. in præfat. de contractu conuentionali nume. 21. qui multas LL. & auctoritates ad eius rei probationem more ſuo adducit. Dubium hic eſſe poteſt. An ſi quis alius à priori emptore emiſſet, beneficium d. L. 2. aduerſus talem emptorem locum habeat.

*Nona Concluſio.* Actio ex d. L. 2. competit aduerſus tertium rei venditæ poſſeſſorem, etiam ignorantem prioris contractus læſionem, qui tamen rem habuit vel titulo lucratiuo, vel iniuſto, eod. vitio læſionis vltra dimedium laborante. Hanc concluſionem

ponit

ponit Didac.d.libr.2. capit.3.num. 10. & antea eandem tradiderunt. Bald. & Salycet. in dict.leg.2. à quibus alij non diſſentiunt teſte Andr. Tyraquello in Leg. Si vnquam C. de reuocand.donat.in verbo. Reuertatur. numer.271. Conclu. tamen ita intelligenda, vt habeat locum, quando primus emptor non eſt ſoluendo, nec poteſt à venditore conueniri, tunc ex æquitate in ſubſidium conuenitur ſecundus emptor vt Doctores tradũt. Sunt autem aliqui Doctores, qui videntur tenere contra hanc concluſionem, quos citat Antonius Gabrielius lib.3.communium concluſ. de empt. & vendit. concluſ. 1. nume.118. Sed hi Doctores intelligendi, quando primus emptor eſt ſoluendo, & ſecundus emptor acquiſiuit titulo oneroſo, & iuſto pretio, nec ſciuit tempore emptionis rem venditam fuiſſe cum læſione vltra dimediam.

*Decima Concluſio.* Quando venditor eſt deceptus vltra dimediam iuſti pretij, eſt in electione emptoris, vel ſupplere iuſtum pretiũ: vel rem reſtituere venditori. Panorm. in ca. Cum dilecti de empt.& vendit.& Immolen. ibidem in c. Cum cauſa, atteſtãtur hanc eſſe communem ſententiam. Bartol. & alij in d.L.2.

*Vndecima Concluſio.* Intra triginta annos de iure communi poteſt deduci in iudicium

actio

actio competens ratione d. L. 2. contra deceptorem. Vel aliter præſcriptione triginta annorum tollitur remedium dictæ L.2. Panormitan.in cap. Cum cauſa de empt. num. 10. Didac.lib.2.ca.3.prope finem, & alij quos allegat Gabrielius d.concluſ.1. Solent circa hanc materiam DD.quærere,cum negociatores ſæpe ſint callidi,& audiuerint à peritis de remedio d. L. 2. quod vt eis non præiudicet,curant in inſtrumento venditis apponi clauſulam (Et dictus venditor ; quod plus eſt dicto Emptori donauit & dedit) An hæc cautela præiudicet. Quia hæc materia hunc commentarium non attingit , remitto lectorem ad Doctores præſertim Nicolaum Boërium deciſ. 142. Iacobum Menochium libr.2.de arbitrar. Iud.quæſtio. caſ. 144. vbi doctè & latè diſſerit, de clauſula ( & quod pluris eſt, dedit & donauit) Anton.Gabriel. loco citat.à numero 52. Alia eſt cautela, qua vtuntur periti emptores ad euaſionem d. L. 2.curant vt venditor inſtrumento renunciet beneficio d. L. 2. Hanc cautelam doctè more ſuo examinat Couarr.in d.lib.2. capit. 4. ſtatim à principio. Nunc ad argumenta , quæ in principio oppoſita ſunt & probare videntur licitum eſſe contrahentibus ſic decipere infrà latitudinem dimedij pretij.

Ad primum. Gloſſ. & L.L. quando dicunt

cunt naturale eſt, vel naturaliter licet contrahentibus ſe decipere. Id intelligendum non quod ſit de iure naturæ,ſed quia ſecundùm naturam corruptam, natum eſt contingere, & ſæpe ſolet accidere ob cupiditatem quaſi naturalem ſe inuicem decipere. Ioannes Medina,in Cod. de reb. reſtituend. quæſtion.32. verſ. Nec obſtant. Hoſtienſ. in ſumma de contrahentibus. Empt. §. Qualiter reſcindatur colum.2.& Fortunius Garzia de vltimo fine. illat. 17. illud naturaliter exponunt pro bona fide in hunc ſenſum. Tunc licitam eſſe deceptionem, quando non ex propoſito, ſed reipſa venditor credens mercem tanti eſſe,quantum petijt, decipit ementem. Quando autem iura & Gloſſa dicunt licere, id intelligendum de licentia & permiſſione toleratiua, & non approbatiua, ita quod ſic contrahẽtes non puniãtur in foro ciuili, licet in foro conſcientiæ pœnitentiam agere, & reſtituere exceſſum teneantur. Et quia ex hac ſolutione patere poteſt ſolutio aliorum, notandum ex Sanct. Thom.2.2.q.77.articu.1.ad primum, quem communiter alij Theolog.ſequuntur,quod Lex humana populo datur,in quo ſunt multi à virtute deficientes, nõ autem ſolum virtuoſis. Et ideo lex humana non potuit prohibere quicquid eſt cõtra virtutem, ſed ſufficit vt prohibeat ea, quæ deſtruunt homi-

num

num conuictum,&perturbant quietem reipub. Alia vero habeat quaſi licita, non quia ea approbet, ſed quia non punit. Multa enim mala tollerant iura ciuilia, quæ tamen illicita ſunt, vt Lupanaria, Homicidium propriȩ vxoris in adulterio deprehenſæ,&c. quæ tamen lege Dei & in conſcientia ſunt prohibita. Non ergo ſequitur vt bene ait. Couarr.d.cap.4. numer.11. Iure ciuile hic actus non punitur, nec reſcinditur. Igitur is eſt licitus & ſine peccato. Si quis obijciat. Qui peccat legis auctoritate, non peccat. 23. q.4.can. Qui peccat. Ex Auguſtino contra Petilianum. Reſpondetur illud intelligendum de lege præceptoria non permiſſoria, alioquin ſequeretur quod meretrices, meretricando non peccarent, & vir occidendo propriam vxorem in actu adulterij inuentam, male non ageret: Aliud eſt enim permittere, aliud præcipere. Quod enim permittimus, nolentes præcipimus: Quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non poſſumus. can. Hac ratione 31.q.1. Deinde D.Aug. illud in d.cano. Qui peccat, intellexit de lege diuina nõ humana. Si quis vero amplius inſtet, vt in tertio argumento tactũ eſt, quod lex humana poſſit in tali emptione facere, ſicut in præſcriptione, & priuare venditorem dominio talis exceſſus, & transferre in emptorẽ. Reſpondet Sot. quod

iuſtè non potuit, quia non ſubeſt cauſa tanta ſicut in præſcriptione, vbi ad obuiandum litibus in negligentiam eorum, qui diu rem ſuam deſeruerunt, negligentes ſuo dominio priuat. In contractu autem emptionis propter rerum varietatem omnes non norunt rerum pretia. Qua de cauſa qui bona fide vendunt, aut emunt, nō eſt quod priuentur exceſſu, in quo defraudantur. Decipiens autem ex ſua iniquitate non debet reportare commodum, quare à lege, quando eſt talis exceſſus nimius, punitur reſcindendo cōtractum aut cogendo ad exceſſus reſtitutionem. Deinde vt Nauar. docet in d. not.6. à num.69. non eſt eadem ratio præſcriptionis & læſionis in emptione & venditione etiam citrà dimedium iuſti pretij. Cum pręſcriptio ſit quidam modus acquirendi non ſolum toleratus & impunitus, ſed etiam approbatus & factus actus virtutis à lege Canonica & ciuili; Sed emptionis læſio etiam citra dimediam iuſti pretij nulla lege approbatur, ſed ſolum relinquitur impunita, vt præſcriptio cum mala fide à lege ciuili.

* * *

QVÆ-

## QVÆSTIO. III.

*An liceat rem carius credito ſiue ob dilatam ſolutionem vendere: quam numerata pecunia de præſenti?*

NOtanda diſtinctio pretij, quod aliud eſt infimum ſiue pium: aliud medium, ſiue moderatum, & aliud ſupremum ſiue rigidum.

*Prima Concluſio.* Poteſt aliquis merces carius vendere pecunia credita ſiue ob dilatam ſolutionem, quã numerata pecunia de præſenti ſtãdo infrà latitudinem iuſti pretij, exemp.g. menſura frumenti venditur præſenti pecunia pretio rigido duobus aureis, pio aureo & dimedio & vno quadrante, moderato paulo plus. Vendo Natiuitatis Ioannis expectaturus ſolutionem vſque ad Natiuitatis Chriſti feſta duobus aureis, vendidiſſem pro numerata pecunia pretio pio, aut moderato. Hanc concluſionem tenent Gabriel. d. 15. in 4. q. 11. articu. 3. dub. 9. Sylueſt. in verb. Vſura 2. q. 1. Conrard. de contractib. q. 59. concl. 1. Caiet. 2. 2. q. 77. art. 1. Sotus libr. 6. de iuſtit. & iure q. 4. art. 1. conclu. vnica Ioan. Medina in C. de reb. reſtituen. qu. 38. Nauar. in Man. confeſſ. c. 7. num. 228. & hæc Conc. obtinet ſecũdùm omnes Theologos, vt etiã

atteſtatur Decius in conſ.111. incip. Diuino implorato præſidio & pro tenui facultate mea, &c. Non longe à fine. Ratio concluſionis eſt. Cum enim pretium rigidum non excedat latitudinem iuſti pretij nulla committitur iniuſtitia: & dilatio ſolutionis ob pericula & alia motiua poteſt vendentem mouere vt pretium augeat in iuſta latitudine.

*Secunda Concluſio.* Simpliciter loquendo vendens rem carius notabiliter iuſto pretio rigido ſiue maximo ob dilatam ſolutionem vſuram committit. S. Thom. 2.2. quęſtio. 78. art. 2. ad vltimum. Scot. in 4. d. 15. quęſtion. 2. art. 2. Gabr. Conrard. Sot. Syluest. loco citat. Canoniſtæ in præſenti cap. Nauarr. in commentario de vſur. numer. 26. & hæc eſt communiſſima ſententia Doctorum. Hinc Panorm. in cap. Ad noſtram de Emptione, nu. 3. tradit, quod qui dilata ſolutione carius vēdunt, quam numerata pecunia (intellige vltra latitudinē iuſti pretij) Si hoc eorum exercitium ſit manifeſtum apud homines, ſunt manifeſti vſurarij, & cadunt in pœnas capit. Quanquam de vſur. in 6. Et eorum teſtamēta ſunt nulla, ſi non ſeruent ea quæ habentur in d. c. Quanquam. Idem tradit Panorm. in conſ. 22. incip. Quanquam conſultatio lib. 2. Panormit. ſequuntur. Anton. Burgun. in d. c. Ad noſtram nu. 7. Decius conſ. d. Iaſ.

in L.

in L. Eius qui in prouincia num.1. ff. de reb. cred.ſi certum petatur. Angel.in verb. Vſura 2.§.20.Sylu.eod.verb. 9.q.2.Nauar. in Man. confeſſ. ca.17.num.280.Couar.lib. 3. variar. reſolut.c.3.num.9.&alij alibi,nec eſt qui diſſentiat.Ratio concluſionis. Quia rem vendere pluris, quam valet, non licet, nec plus valet,quam pretium eſt de præſenti currens, pretium autem rei comitatur eius exiſtentiam,vt res tanti ęſtimetur,quanti eſt,quando exiſtit, & hominibus eſt vſui. Perinde enim eſt rem 10.florenis valentē credito vendere 12.ac ſi 10.ſtatim numerari emptori mutuo darentur ſub vſura duorum.Illa enim ęquipollent & nihil refert, quid de æquipollentibus fiat. Dictum in concluſione. (ſimpliciter loquendo) Quia ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis licet rem ob dilatam ſolutionem carius vendere. Tum tamen ſeruandæ conditiones lucri ceſſantis & damnī emergentis, de quibus infra. An hæc Concl. locum tantum habeat in rebus conſiſtentibus in menſura, pondere & numero,in quibus vſura conſiſtit: An etiam in immobilibus vt domo, poſſeſſione,&c. differunt Doctor.Bald.in Rubr. C. de vſur. q.9.quem ſequitur Anchar.in quadā diſputatione incip. Modernis temporibus, putat tantū habere locum in rebus conſiſtentibus in numero, pondere & menſura, in quibus

atteſtantur. Eadem ratio quæ præcedentem concluſionem probat, hanc etiam confirmat.

*Quarta Concluſio.* Qui ſcienti iuſtum rei valorem, eam carius, quam valeat vendiderit, vel à ſciente, emerit vilius, peccat & in conſcientia tenetur ad reſtitutionem. Hanc concluſionem tenent Caietan. & Couar. loco citat. & eam probant rationes poſitæ à Conrard. in d. qu. 57. Quia donationis præſumptio hic non ſubeſt vt probat Panorm. in hoc cap. poſt nume. 6. Igitur eſt vſurpatio rei alienæ inuito Domino. Deinde contractus emptionis & venditionis ex ſua natura non eſt gratuitus vt omnibus notiſſimum eſt. Ideo ad id quod eſt per accidens nempè præſumptam donationem non eſt regulariter attendendum, cum in hoc contractu iuſtum pretium quæratur, non autem donum expectetur.

*Quinta Concluſio.* Deceptus notabiliter ex ignorantia etiam citra dimedium iuſti pretij, poteſt in foro Eccleſiaſtico deceptorem ex vera ſcientia conuenire & compellere ad reſtitutionem recompenſationemque eius, in quo læſit vltra verum pretium. Quæ concluſio etiam locum habet in deceptore laico. Hanc concluſionem tenent. Panormit. in hoc capit. numer. 6. Anan. ibidem calum. 4. qui eam etiam tribuit Ioan. Calder. in ca.

Naui-

uiganti & Anchar. in regul. Peccatum de
g. iuris in 6. Horum ſententiam ſequun-
r. Couar. & longius omnibus probat Na-
arr. in d. c. Nouit de iudicijs. notabili 6. à
umer. 79. Ratio eſt. Quia iudex Eccleſia-
icus poteſt etiam laicum compellere vt re-
nquat ſtatum peccati mortalis, & pœni-
eat, & ex conſequenti reſtituat alienum,
uod iniuſtè detinet, & id maximè per viam
lenunciationis. Quia quando à iure ciuili
non eſt proditum remedium, per quod inæ-
qualitas ad æquitatem in foro ciuili poſſit
reduci. tunc ſine exceptione coram iudice
Eccleſiaſtico poteſt etiam conueniri laicus
via ſaltem denunciationis vt tradunt Inno-
cent. Hoſtien. Ioan. Andreas. Panorm. cum
alijs in cap. Nouit de iudicijs. Felin. in capit.
Quæ in Eccleſiarum, de conſtitut. numer. 8.
ſecutus Bartol. in Extrauag. Ad reprimen-
dam, verb. Denunciationem colum. 1. & hæc
eſt communis opinio atteſtante Nauarro in
d. not. 6. numer. 82. At quando quis læſus in
emptione & venditione citra dimedium iu-
ſti pretij etiam cum notabili detrimento, nō
eſt remedium reſarciendi damnum de iure
ciuili. Nunc videndum quantum de lege ci-
uili permittatur.

*Sexta Concluſio.* De lege ciuili toleratur
contractus emptionis & venditionis, nec
reſcinditur, quando deceptio non eſt vltra
dime-

dimedium iuſti pretij. L.2. C.de reſcin. vendit. Permittit autem lex ciuilis id ne præbeatur fomentum litibus, litigioſi enim facile ſumerent occaſionem impugnandi contractum emptionis & venditionis iam completam: Si contractus propter minimum defectum vel exceſſum reſcinderetur.

*Septima Concluſio.* Si deceptio in vno nũmo ſuperet dimedietatem iuſti pretij læſus poteſt vti beneficio d.L.2.& agere ad reſcindendum contractum, vel ſupplendum pretium. Panormitan.in c. Cum cauſa de empt. Felin.in cap. Cum cauſam colum.1.de teſtib. Ancharan.in cap. Canonum ſtatuta.colum. fin.de conſtitut. Bald.in d.L.2.quæſt.2. Salycet.& Angel.ibidem. Alexand.in conſil.107. colum.3.vol. 4. Cæpula de ſimulatis contractib. numero 29. & alij alibi. Aliqui tamen voluerunt, quod in hoc ſtandum ſit iudicis arbitrio. Concluſio tamen poſita communior & receptior eſt. Quia cum hæc lex omnibus bonis ſit odioſa non debet extendi, ſed reſtringi, maximè cum in foro animæ læſo ſit iniuſta. Quare literæ L. quæ etiam plures probatos habet pro ſe, auctores, inhærendum eſt.

*Octaua Concluſio.* Vt depoſitio d.L. 2. habeat locum in læſione vltra dimedium iuſti pretij, habendus eſt reſpectus ad tempus celebrati contractus, vel anterius, vel poſte-

rius

s per aliquot dies, vel menſes. Ex L. Si vo-
ıtate C. de reſcind. vendit. Bald. in d. L. 2.
lum. penult. verſicul. Ex eis apparet. Saly-
t. ibidem colum. 8. verſ. Quæro decimo
ɔno, & alij multi quos allegat. Anton. Ga-
ɾielius Roman. lib. 3. communium conclu.
ı tit. de empt. & vendit. conclu. 1. nume. 47.
Iinc quando ſunt eligendi arbitratores,
ıles ſunt adhibendi, qui cognouerunt con-
ıitionem & ſtatum rei, tempore contractus:
Quia pretia rerum mutantur pro varietate
temporum. Ante 40. annos emptus eſt ager
50. aureis, qui nunc fortaſſe 90. vix emere-
tur. Aduertendum etiam an onus quoddam
rei annexum ſit, tunc enim minus res valet
omnium iudicio. Felin. & Panormit. in cap.
Cum Ioannes de fide inſtrument. Decius in
conſ. 648. Tyraquel. in præfat. de contra-
ctu conuentionali nume. 21. qui multas LL.
& auctoritates ad eius rei probationem mo-
re ſuo adducit. Dubium hic eſſe poteſt. An
ſi quis alius à priori emptore emiſſet, benefi-
cium d. L. 2. aduerſus talem emptorem lo-
cum habeat.

*Nona Concluſio.* Actio ex d. L. 2. competit aduerſus tertium rei venditæ poſſeſſorem, etiam ignorantem prioris contractus læſionem, qui tamen rem habuit vel titulo lucratiuo, vel iniuſto, eod. vitio læſionis vltra dimedium laborante. Hanc concluſionem

ponit

ponit Didac.d.lib.2. capit.3.num. 10. & antea eandem tradiderunt. Bald. & Salycet. in dict.leg.2. à quibus alij non diſſentiunt teſte Andr. Tyraquello in Leg. Si vnquam C. de reuocand.donat.in verbo. Reuertatur. numer.271. Conclu. tamen ita intelligenda, vt habeat locum, quando primus emptor non eſt ſoluendo, nec poteſt à venditore conueniri, tunc ex æquitate in ſubſidium conuenitur ſecundus emptor vt Doctores tradũt. Sunt autem aliqui Doctores, qui videntur tenere contra hanc concluſionem, quos citat Antonius Gabrielius lib.3.communium concluſ. de empt. & vendit. concluſ. 1. nume.118.Sed hi Doctores intelligendi,quando primus emptor eſt ſoluendo, & ſecundus emptor acquiſiuit titulo oneroſo, & iuſto pretio, nec ſciuit tempore emptionis rem venditam fuiſſe cum læſione vltra dimediam.

*Decima Concluſio.* Quando venditor eſt deceptus vltra dimediam iuſti pretij, eſt in electione emptoris,vel ſupplere iuſtum pretiũ: vel rem reſtituere venditori. Panorm. in ca. Cum dilecti de empt.& vendit.& Immolen. ibidem in c. Cum cauſa, atteſtãtur hanc eſſe communem ſententiam. Bartol. & alij in d.L.2.

*Vndecima Concluſio.* Intra triginta annos de iure communi poteſt deduci in iudicium

actio

:io competens ratione d. L. 2. contra de-
ptorem. Vel aliter præſcriptione triginta
norum tollitur remedium dictæ L.2. Pa-
ormitan.in cap. Cum cauſa de empt. num.
. Didac.lib.2.ca.3.prope finem, & alij quos
legat Gabrielius d.concluſ.1. Solent circa
anc materiam DD.quærere,cum negocia-
ores ſæpe ſint callidi,& audiuerint à peritis
e remedio d. L. 2. quod vt eis non præiudi-
et,curant in inſtrumento venditis apponi
lauſulam (Et dictus venditor, quod plus
ſt dicto Emptori donauit & dedit) An hæc
cautela præiudicet. Quia hæc materia hunc
commentarium non attingit, remitto le-
ctorem ad Doctores præſertim Nicolaum
Boërium deciſ. 142. Iacobum Menochium
libr.2.de arbitrar. Iud.quæſtio. caſ. 144. vbi
doctè & latè differit, de clauſula (& quod
pluris eſt, dedit & donauit) Anton.Gabriel.
loco citat.à numero 52. Alia eſt cautela, qua
vtuntur periti emptores ad euaſionem d. L.
2.curant vt venditor inſtrumento renun-
ciet beneficio d. L. 2. Hanc cautelam doctè
more ſuo examinat Couarr.in d.lib.2. capit.
4. ſtatim à principio. Nunc ad argumen-
ta; quæ in principio oppoſita ſunt & pro-
bare videntur licitum eſſe contrahenti-
bus ſic decipere infrà latitudinem dimedij
pretij.

Ad primum. Gloſſ. & L L. quando di-

 cunt

cunt naturale eſt, vel naturaliter licet contrahentibus ſe decipere. Id intelligendum non quod ſit de iure naturæ, ſed quia ſecundùm naturam corruptam, natum eſt contingere, & ſæpe ſolet accidere ob cupiditatem quaſi naturalem ſe inuicem decipere. Ioannes Medina, in Cod. de reb. reſtituend. quæſtion. 32. verſ. Nec obſtant. Hoſtienſ. in ſumma de contrahentibus. Empt. §. Qualiter reſcindatur colum. 2. & Fortunius Garzia de vltimo fine. illat. 17. illud naturaliter exponunt pro bona fide in hunc ſenſum. Tunc licitam eſſe deceptionem, quando non ex propoſito, ſed reipſa venditor credens mercem tanti eſſe, quantum petijt, decipit ementem. Quando autem iura & Gloſſa dicunt licere, id intelligendum de licentia & permiſſione toleratiua, & non approbatiua, ita quod ſic contrahẽtes non puniãtur in foro ciuili, licet in foro conſcientiæ pœnitentiam agere, & reſtituere exceſſum teneantur. Et quia ex hac ſolutione patere poteſt ſolutio aliorum, notandum ex Sanct. Thom. 2. 2. q. 77. articu. 1. ad primum, quem communiter alij Theolog. ſequuntur, quod Lex humana populo datur, in quo ſunt multi à virtute deficientes, nõ autem ſolum virtuoſis. Et ideo lex humana non potuit prohibere quicquid eſt cõtra virtutem, ſed ſufficit vt prohibeat ea, quæ deſtruunt homi-

num

um conuictum,&perturbant quietem rei-
ub. Alia vero habeat quaſi licita, non quia
a approbet, ſed quia non punit. Multa e-
iim mala tollerant iura ciuilia, quæ tamen
llicita ſunt, vt Lupanaria, Homicidium
propriæ vxoris in adulterio deprehenſæ,&c.
quæ tamen lege Dei & in conſcientia ſunt
prohibita. Non ergo ſequitur vt bene ait.
Couarr.d.cap.4. numer.11. Iure ciuile hic a-
ctus non punitur, nec reſcinditur. Igitur is
eſt licitus & ſine peccato. Si quis obijciat.
Qui peccat legis auctoritate,non peccat. 23.
q.4.can. Qui peccat. Ex Auguſtino contra
Petilianum. Reſpondetur illud intelligen-
dum de lege præceptoria non permiſſoria,
alioquin ſequeretur quod meretrices,mere-
tricando non peccarent, & vir occidendo
propriam vxorem in actu adulterij inuen-
tam, male non ageret: Aliud eſt enim per-
mittere, aliud præcipere. Quod enim per-
mittimus, nolentes præcipimus: Quia ma-
las hominum voluntates ad plenum prohi-
bere non poſſumus. can. Hac ratione 31.q.1.
Deinde D.Aug.illud in d.cano. Qui peccat,
intellexit de lege diuina nõ humana. Si quis
vero amplius inſtet, vt in tertio argumento
tactũ eſt,quod lex humana poſſit in tali em-
ptione facere, ſicut in præſcriptione, & pri-
uare venditorem dominio talis exceſſus, &
transferre in emptorẽ.Reſpondet Sot.quod
L 2 iuſtè

iuſtè non potuit, quia non ſubeſt cauſa tanta ſicut in præſcriptione, vbi ad obuiandum litibus in negligentiam eorum, qui diu rem ſuam deſeruerunt, negligentes ſuo dominio priuat. In contractu autem emptionis propter rerum varietatem omnes non norunt rerum pretia. Qua de cauſa qui bona fide vendunt, aut emunt, nō eſt quod priuentur exceſſu, in quo defraudantur. Decipiens autem ex ſua iniquitate non debet reportare commodum, quare à lege, quando eſt talis exceſſus nimius, punitur reſcindendo cōtractum aut cogendo ad exceſſus reſtitutionem. Deinde vt Nauar. docet in d. not.6. à num.69. non eſt eadem ratio præſcriptionis & læſionis in emptione & venditione etiam citrà dimedium iuſti pretij. Cum pręſcriptio ſit quidam modus acquirendi non ſolum toleratus & impunitus, ſed etiam approbatus & factus actus virtutis à lege Canonica & ciuili; Sed emptionis læſio etiam citra dimediam iuſti pretij nulla lege approbatur, ſed ſolum relinquitur impunita, vt præſcriptio cum mala fide à lege ciuili.

* * *

QVÆ-

## QVÆSTIO. III.

*n liceat rem carius credito ſiue ob dilatam ſolutionem vendere: quam numerata pecunia de præſenti?*

NOtanda diſtinctio pretij, quod aliud eſt infimum ſiue pium: aliud medium, ſiue moderatum, & aliud ſupremum ſiue rigidum.

*Prima Concluſio.* Poteſt aliquis merces carius vendere pecunia credita ſiue ob dilatam ſolutionem,quā numerata pecunia de præſenti ſtādo infrà latitudinem iuſti pretij, exemp.g.menſura frumenti venditur præſenti pecunia pretio rigido duobus aureis, pio aureo & dimedio & vno quadrante, moderato paulo plus. Vendo Natiuitatis Ioannis expectaturus ſolutionem vſque ad Natiuitatis Chriſti feſta duobus aureis, vendidiſſem pro numerata pecunia pretio pio, aut moderato. Hanc concluſionem tenent Gabriel.d.15.in 4.q.11.articu.3.dub.9.Syluest.in verb.Vſura 2.q.1.Conrard.de contractib. q. 59.concl.1.Caiet.2.2.q.77.art.1.Sotus libr.6. de iuſtit.& iure q.4.art.1.conclu.vnica Ioan. Medina in C.de reb. reſtituen.qu.38.Nauar. in Man.confeſſ. c.7. num. 228.& hæc Conc. obtinet ſecūdùm omnes Theologos, vt etiā

n L. Eius qui in prouincia num.1. ff. de reb. cred. ſi certum petatur. Angel. in verb. Vſura 1. §.20. Sylu. eod. verb. 9. q. 2. Nauar. in Man. confeſſ. ca.17. num.280. Couar. lib. 3. variar. reſolut. c.3. num.9. & alij alibi, nec eſt qui diſſentiat. Ratio concluſionis. Quia rem vendere pluris, quam valet, non licet, nec plus valet, quam pretium eſt de præſenti currens, pretium autem rei comitatur eius exiſtentiam, vt res tanti ęſtimetur, quanti eſt, quando exiſtit, & hominibus eſt vſui. Perinde enim eſt rem 10. florenis valentē credito vendere 12. ac ſi 10. ſtatim numerari emptori mutuo darentur ſub vſura duorum. Illa enim ęquipollent & nihil refert, quid de æquipollentibus fiat. Dictum in concluſione. (ſimpliciter loquendo) Quia ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis licet rem ob dilatam ſolutionem carius vendere. Tum tamen ſeruandæ conditiones lucri ceſſantis & damni emergentis, de quibus infra. An hæc Concl. locum tantum habeat in rebus conſiſtentibus in menſura, pondere & numero, in quibus vſura conſiſtit: An etiam in immobilibus vt domo, poſſeſſione, &c. differunt Doctor. Bald. in Rubr. C. de vſur. q.9. quem ſequitur Anchar. in quadā diſputatione incip. Modernis temporibus, putat tantū habere locum in rebus conſiſtentibus in numero, pondere & menſura, in quibus

mutuum formaliter conſiſtit. Alij exiſtimant etiam habere locum in immobilibus mercibus. Salycet. in Auctent. Ad hæc C. de vſur. q. 9. Ioan. ab Anania in hoc c. col. 2. Petrus Ancharan. ibid. num. 1. Laurent. à Rodulphis ſuper cap. Conſuluit 2. par. in princip. num. 10. verſ. opponitur quarto. Antonius autẽ Burgen. in c. Ad noſtram de empt. & vendit. contendit defendere Baldum. Vtraque opinio vera eſſe poteſt ſi rectè intelligatur, magis enim apparet ex forma contractus vſurarius in rebus conſiſtentibus in numero, menſura & pondere.

*Tertia Concluſio.* Qui rem vendit maioris iuſto pretio rigido ob dilatam ſolutionem tenetur in conſcientia ad reſtitutionem illius exceſſus. Probatur. Ille exceſſus eſt vſurarius ſecundùm communem ſententiam. Ergo eſt ei debitus, à quo eſt extortus. Deinde talis tenet alienum, ergo reſtituere debet. Imo Decius in conſ. d. vult, quod talis etiam in foro contentioſo, quando conſtat rem maioris eſſe venditam ob dilatam ſolutionem, poſſit cogi ad reſtitutionem. Ad hoc allegat Abbatem in hoc capit. not. 2. & Ioannes Andr. in capit. Conſuluit, & Concluſio ex d. cap. Conſuluit & dictis apertè concluditur. Vſurarius poteſt compelli ad reſtitutionem vſurarum, & reſtituere tenetur ex d. cap. Conſuluit & ca. Quia in omnibus.

bus. Sed qui vendit rem carius iuſto pretio rigido ob dilatam ſolutionem eſt vſurarius ſecundùm mentem omnium. Ergo. Hinc inferuntur aliqua.

Primum, quoniam hic contractus vſque ad iuſti pretij quantitatem dicendus eſt venditionis, ratione vero exceſſus mutui præſumendus, redigenda eſt res ad qualitatem ſublato exceſſu. Abb. hic num.2. Anan ibidem in principio Salycet.in d.rubr.q.9. Didac.lib.2.variar. reſolut. cap.3.num.7.prope finem.

Secundum. In perpetuo damnationis ſtatu ſunt, qui vt plurimum ob dilatam ſolutionem pauperibus frumenta carius iuſto pretio vendunt ad terminum, exempl. grat. Pentecoſtes aut Natiuitatis Ioannis vendũt, quando vt plurimum pauperes frumenta non habent, vt ſoluat termino Martini, aut Natiuitatis Chriſti. Et tunc ſi maldrum vt noſtrates nominant, Pentecoſtes aut Ioannis prompta pecunia pretio iuſto rigido vẽdatur quatuor florenis ad terminum dictum venduut pro quinque: aut ſi annonæ caritas ſit & maldrum præſenti ſolutione æſtimetur 10.florenis maximo pretio, ad terminum vendũt 12.aut 13.aut etiam 14. Magna ſanè eſt hæc iniquitas, nec Iudæi maiores exercent vſuras, nec etiam tales tantæque de iure ciuili vnquam fuerunt permiſſæ.

Maxima enim in legibus permiſſa fuit centeſima, quando 100. ſingulis menſibus, idque in traiectitia pecunia pariebant in menſe vnum, & in anno duodecim: Sed in vſura venditionis ad terminum aliquando in anno 100. pariunt 40. aut 50. exempli gratia, venditur maldrum frumenti Natiuitatis Ioannis iuſto pretio rigido præſenti pecunia quatuor florenis, venditur ad terminum, Natiuitatis Chriſti 5. Sic quatuor in medio anno pariunt vnum. 8. duos, generant. 16. 4. 24.6. 48.12. 96.24. 100.25. in medio anno germinant, quæ eſt duplex centeſima & aliquid plus, quia à feſto Natiuitatis Ioannis, ad Natiuitatis Chriſti communiter medius computatur annus. Et ſi hoc modo per totum annum calculemus, 100. in anno producerent 50. quæ eſt intolerabilis vſura. Et hoc malum profecto hiſce temporibus latius regnat, crudelius ſæuit in pauperes, occultius eorum ſanguinem ſugit, & in extremam miſeriam miſeros redigit, & efficacius animas multorum diuitum & potentum æternis cruciatibus vt Nauarri verbis in capit. Nouit de iudic. notab. 6. numero 102. vtar, obligat. Tales enim cum hoc eorum exercitium ſit clarum apud omnes, nec ſit tergiuerſatio in facto, cum ſint vſurarij & manifeſti, niſi animum mutauerint, & il-

lud

lud iniuſtum lucrum, quod multos diuites & potentes vltra ſuum ſtatum breui tempore efficit, reſtituerint eis, à quibus extorſerint, licet ob potentiam & diuitias, quas homines huius ſeculi mandatis Dei & canonum obſeruationi ſæpe timore & formidine aut carnali affectione moti proponunt, ſepulturam communem, quæ eis maximè ſecundùm canonum decreta debetur, cum cæteris fidelibus ſortiantur quãtum ad corpus: Anima tamen diuiti Epuloni in inferno, & Mammonæ, cui fidelem operam in vita præſtiterunt, coniungentur. Quia ſecundùm immobilem Dei iuſtitiam potẽtes potenter tormenta patientur, ſi ſua potentia in oppreſſione pauperum & egenorum abutũtur. Et cum multis in locis apud Chriſtianos vſura in venditione ad terminũ maximè in frumentorum genere ſit frequentiſſima, cum pauperes pane magis quam vlla alia re indigeãt, & raro pecunias in promptu habeant in termino, quando iam meſſis appropinquat, ſæpius miratus fui, quod in quibuſdam prouincijs, & regionibus vt audiui, quando habentur conuentus prouinciales, conſilia proponantur de expellendis paucis Iudæis, qui ſparſim inter Chriſtianos habitant, & negotiationem aliaque exercitia habent, nec vſuras exercent, aut certe mino-

minores quam multi Chriſtiani. Nec tamen vnquam cognouerim tractatum, vt media inueniantur ad liberandum rempubl. à baptizatis Iudæis, qui maiores vſuras exercent præſertim vendendo carius iuſto pretio ob dilatam ſolutionem Baptizatos Iudæos intelligo cum Sanct. Bernardo in Epiſtol. 322. ad Epiſcopum, Clerum & populum Spirenſem Chriſtianos fœneratores, ſi tamē Chriſtianos, & non magis baptizatos Iudæos cōuenit appellari. Iudæi enim in hoc deteſtabili exercitio maiorem adhuc religionem & conſcientiam habent Chriſtianis fœneratoribus: Literæ enim, veteris ſcripturæ adhærent, & non volunt fratribus ſuis, id eſt, ſui ritus hominibus fœnerari aut eos vſura opprimere, maximumque ſcelus id ducunt: Sed Chriſtiani fœneratores auaritia excecati, ita obliuiſcuntur legis, & Euangelij, vt etiam in ſuos fratres, & conſortes in religione & fide ſæuiant, eos exhauriendo vſque ad nuda oſſa vſuris, pro quibus Chriſtus ſanguinem fudit. Quare non tam habenda eſſet patientia cum Baptizatis Iudæis, quam cum alijs, qui necdum Saluatorem, qui rè & verbo docuit extinguere ſitim auaritiæ aqua ſalutari, ex qua qui biberit, non ſitiet in æternum, cognouerunt. Quoniam ſæpe in ſuperioribus mētio habita eſt de pretio pio, moderato & rigido, quiſpiam dubitare poterit,

terit, quod nam horum vnumquodque ſit. Reſpondetur id ex communi hominum iudicio definiendum eſſe. Pium enim dicere poſſumus, quo vendunt homines pij, qui pecunias ex auaritia non cogitant colligere, ſed ſepoſito affectu, Chriſtianę Charitati, & rei æquitati conuenire exiſtimant, vt res eo modo vendatur. Moderatum, quod paulò altius aſcendit, quam pium, quo vẽdunt homines diſcreti attendentes quidem æquitatem & communem vtilitatem interim etiam paulò ardentius rei ſuæ inhærentes, non tamen ad ſummum pretiũ, quod haberi poſſit, aſpirãtes. Rigidum pretium, id nominare licet, quo vendunt multum auari, & lucro inhiantes pro tempore, loco, genere negotiationis, & mercium natura.

*Quarta Concluſio.* Dubium ſi ſit, an res tempore ſolutionis, ſit plus, vel minus valitura, nec venditor erat ante tempus ſolutionis venditurus, poteſt carius iuſto pretio ob dilationem ſolutionis vendere. Concl. conſtat ex hoc capit. iuncto capit. Nauiganti. & eam tenent Guilhelmus Atiſiodorenſis in 3. part. quem citat & ſequitur Adrianus in 4. in quæſt. de Vſura §. occurrunt circa prius. verſ. Ad primum dico. Richardus in 4. d. 15. articul. 5. quæſtion. 5. Sylueſt. in verb. Vſura 2. §. 2. Ioannes Medina in Cod. de reb. reſtitut. quæſtion. 38. cauſa 5. Sot. libr. 6.

quæſt.

quæſtion.4.articul.2. Hoſtien. in ſumma de Vſur.§.Aliquando. verſ. Quid ergo. Panormitan.in hoc capit. Couarr.libr.2.variar.reſolut.cap.3.numer.6.Nauarr.lib.5. conſiliorum in titul.de vſur.conſ.25.numer.7.& alibi, & hæc eſt communis opinio vt aſſerit Couarr. Et debent ambæ conditiones concurrere ad iuſtificandum caſum huius concluſionis, nempè quod ſit dubium, an res tempore ſolutionis ſit plus vel minus valitura, & quod venditor erat eam ſeruaturus vſque ad tempus reſolutionis. Caietanus 2. 2. quæſtion. 78. articul. 2. ad 7. putat priorem conditionem abſque poſteriori ſufficere, ſed cum communi ſentiendum eſt ex dict. capit.

*Quinta Concluſio.* Qui vendit frumentum, aut ſimile quid indeterminato pretio, & ob dilatam ſolutionem in aliud tempus vendit maximo pretio, quo valebit toto tempore vſque ad terminum ſolutionis, iniquiſſimè agit, vſuram committit, & ad reſtitutionem exceſſus tenetur. Quia proximum contra iuſtitiam damno afficit. Hanc cõcluſionem tradunt Hoſtien.in d.§.An aliquando. Laurent. à Rodulphis in capit.Conſuluit.2. par. quæſt.29.& ſequ.Scot. in 4.d.15.q. 2. articul. 2.Gabriel.ibidem.q.11.art.1.in lit.H.Syluest. in verb.Vſura 2.qu.5.Couarr. loco cit.& alij alibi.

*Sexta*

*Sexta Concluſio.* Qui non eſt ſeruaturus merces ſuas in tempus ſolutionis, & vendit pecunia credita ad terminum pretio indeterminato tempore ſolutionis currenti, quo tempore dubium eſt, ſintnè plus, vel minus valituræ, quam tempore contractus, non peccat. Quia cum res dubia ſit, poteſt commodum eſſe vendentis, & ementis vt DD. docent. Si autem moralis præſumptio ſit, quod in termino ſolutionis, pluris valebunt, illicitus erit contractus ex parte vendentis, qui in tuto conſtituitur cum alterius damno. Ex dictis concluſionibus infertur, quod peſſimè & iniuſtiſſimè agant illi pauperum oppreſſores, qui frumentum vendunt expectata ſolutione ad terminum nullo determinato pretio: aduentante autem termino conueniunt inter ſe, & pretium intolerabile determinant, & varijs modis extorquent. Dubium, quid ſi aliquis in menſe Septembri vendit frumentum dilata ſolutione vſque ad Ianuarium, & dubium eſt tempore contractus, an plus vel minus valebit in Ianuario & tunc accidit quod in Ianuario pretiũ multum varietur, in principio menſis, exempli gratia, venditur menſura quinque nummis, in medio 7. in fine vero menſis 10. quo pretio venditor debet eſſe contentus.

*Septima Concluſio.* In caſu huius dubij venditor debet eſſe contentus pretio medio ſiue moderato, quo valebit illo menſe, & ſic non poteſt iuſtè ſummum quo valebit in menſe capere, nec tenetur accipere minimum, quo valebit aliquo die illius menſis, ſed debet eſſe contentus medio. Hanc concluſionem tradit Nauarr. in Man. confeſſ. cap.17.nume.239.& allegat Alexand.in Leg. Quod te. ff. Si certum petatur, qui in libro quo ego vtor,id non dicit.Idem repetit Nauarr.lib.5.conſil.de vſur.conſ.vltimo, rationem non reddit, poteſt tamen efficax ratio ſumi ex iuſtitia contractus emptionis & venditionis, quæ deſiderat, vt æqualis ſit conditio vendentis & ementis, nec vnus plus alio grauetur. Quare ſi venditor in dicto caſu poſſit eligere ſummum pretium, quo valebit aliquo die talis menſis plus grauaretur emptor: Si autem teneretur eligere minimum peior eſſet ſua conditio quam ementis. Quando autem eligitur medium, quo valet tali menſe, par eſt vtriuſque ratio, nec magis declinatur ad dextram quam ad ſiniſtram.

*Octaua Concluſio.* Ratione damni emergentis, aut lucri ceſſantis licitum eſt merces carius vendere iuſto pretio ob dilatam ſolutionem. Ex hoc enim, quod venditor damna patitur, quia ſolutio differtur: aut

certum

certum lucrum ceſſat, poteſt carius vendere ad terminum. Conrard. q. 69. concl. 3. Caiet. 2.2. q. 72. art. 2. Panorm. & Ioan. ab Anania in c. Nauigāti, & alij alibi. Quæ concluſio tamē habet locū, vt rectè Couarr. obſeruat, quando mercator ſtatim numerata pecunia poteſt merces vēdere: Quia ſi aliâs, merces non poſſit vendere pecunia ſoluta, ſed eas retinere deberet, niſi pecunia credita diſtraheret, nullum damnum pateretur, nec lucrum ceſſaret. Vnde ſub hoc titulo non poſſet ratione dilatæ ſolutionis aliquid plus iuſto pretio accipere. Ex dicta concluſione euidenter colligitur, quod mercatores aliquando, cum magnis Dominis magnam mercium pretioſarum copiam vendunt, à quibus ſciunt ſe non breui tempore, & non niſi damno & moleſtia graui pretium habituros, poſſunt eis carius iuſto pretio ob tardam ſolutionem vendere habito reſpectu ad damnum emergens, aut lucrum ceſſans, modo in rei veritate damnum emergat, aut lucrum ceſſet.

## QVÆSTIO. IV.

*An liceat rem minoris emere ob anticipatam ſolutionem?*

Exempli gratia. Tempore meſſis ruſticus pro collectione fructuum alijſque rebus neceſſarijs indiget pecunia, quam ex

venditione fructuum vult acquirere, accedit negociatorem, offert venditionem frumentorum, frumenta, conſideratis circunſtantijs temporum & rerum dictante etiam morali prouidentia plus valebunt Martini, quando venditor tradet, quàm Iacobi, quãdo contractus fit, & frumenta adhuc in agro ſunt. Negociator, quia pecuniam citius exponit, viliori pretio comparat, quam ſi de præſenti frumenta traderentur. Huiuſmodi negociatio plerunque ſolet habere locum in pauperibus ruſticis & agricolis; hi enim vilius ſolent ſemper vendere, quando pecunia indigent, vt ſolutio anticipetur, & carius emere tempore neceſſitatis ob dilatam ſolutionem.

*Prima Concluſio.* Ob anticipatam ſolutionem licet rem vilius emere, quam ſi de præſenti traderetur, modo illud minus pretium conſiſtat intra latitudinem iuſti pretij. Conrard. q. 60. conclu. 1. Nauarr. in Man. confeſſar. cap. 17. nume. 206. & in comment. de vſur. numer. 4. & alibi. In hac concluſione non poteſt eſſe dubium. Quia infra latitudinem iuſti pretij nulla committitur iniuſtitia, & quiſque moderator eſt ſuæ rei ſalua iuſtitia. & ratio etiam id ſuadet. Merx enim, quæ de præſenti traditur vtilior eſt mercatori, quam ea, quæ poſt longum tempus offeretur.

*Secunda*

*Secunda Concluſio*. Vilius iuſto pretio infimo ſiue pro ratione anticipatæ ſolutionis emere, vſura eſt. S. Thomas 2.2. quæſtio. 78. art.2.ad 7. S. Antoninus 2. parte titul. 1. cap. 8.§.1.& 4. Conrard.q.d. Sotus lib.6.quæſt.4. artic.1.& 2. Gabr.in d.quæſt.11. Panormitan. in capit. Nauigant. infra. Nauarr. loco cit. & hæc eſt communis opinio Theologorum & Canoniſtarum teſte eodem auctore. Ex hac concluſione infertur quod mortaliter delinquunt, & tenentur ad ſupplendum defectum in conſcientia, qui triticum ante meſſem: aut vinum ante vindemiam vilius iuſto pretio pio emunt ob anticipationem ſolutionis. Ex eadem doctrina fundamentum ſumit iuſtiſſima conſtitutio Caroli Quinti olim Imperatoris Auguſtiſſimi in conſtitutionibus Imperij Politicis de Anno Domini 1548. in commitijs Auguſtanis in cap. 19. de venditione frumentorum& fructuum in agris, vbi tales emptores qui viliori pretio anticipata ſolutione ſtudent emere frumenta, vocat frumentarios prædones, & auaros homines, qui ſub ſpecie emptionis imponunt. Qua de cauſa prohibet tam impium negociationis genus.

*Tertia Concluſio*. Licitum eſt merces anticipata ſolutione viliori pretio emere, quam ſi de præſenti traderentur, quando probabile & morale dubium eſt,

mutuum formaliter conſiſtit. Alij exiſtimant etiam habere locum in immobilibus mercibus. Salycet. in Auctent. Ad hæc C. de vſur. q. 9. Ioan. ab Anania in hoc c. col. 2. Petrus Ancharan. ibid. num. 1. Laurent. à Rodulphis ſuper cap. Conſuluit 2. par. in princip. num. 10. verſ. opponitur quarto. Antonius autē Burgen. in c. Ad noſtram de empt. & vendit. contendit defendere Baldum. Vtraque opinio vera eſſe poteſt ſi rectè intelligatur, magis enim apparet ex forma contractus vſurarius in rebus conſiſtentibus in numero, menſura & pondere.

*Tertia Concluſio.* Qui rem vendit maioris iuſto pretio rigido ob dilatam ſolutionem tenetur in conſcientia ad reſtitutionem illius exceſſus. Probatur. Ille exceſſus eſt vſurarius ſecundùm communem ſententiam. Ergo eſt ei debitus, à quo eſt extortus. Deinde talis tenet alienum, ergo reſtituere debet. Imo Decius in conſ. d. vult, quod talis etiam in foro contentioſo, quando conſtat rem maioris eſſe venditam ob dilatam ſolutionem, poſſit cogi ad reſtitutionem. Ad hoc allegat Abbatem in hoc capit. not. 2. & Ioannes Andr. in capit. Conſuluit, & Concluſio ex d. cap. Conſuluit & dictis apertè concluditur. Vſurarius poteſt compelli ad reſtitutionem vſurarum, & reſtituere tenetur ex d. cap. Conſuluit & ca. Quia in omnibus.

bus. Sed qui vendit rem carius iuſto pretio rigido ob dilatam ſolutionem eſt vſurarius ſecundùm mentem omnium. Ergo. Hinc inferuntur aliqua.

Primum, quoniam hic contractus vſque ad iuſti pretij quantitatem dicendus eſt venditionis, ratione vero exceſſus mutui præſumendus, redigenda eſt res ad qualitatem ſublato exceſſu. Abb. hic num.2. Anan ibidem in principio Salyceт.in d.rubr.q.9. Didac.lib.2.variar. reſolut. cap.3.num.7.prope finem.

Secundum. In perpetuo damnationis ſtatu ſunt, qui vt plurimum ob dilatam ſolutionem pauperibus frumenta carius iuſto pretio vendunt ad terminum, exempl. grat. Pentecoſtes aut Natiuitatis Ioannis vendũt, quando vt plurimum pauperes frumenta non habent, vt ſoluat termino Martini, aut Natiuitatis Chriſti. Et tunc ſi maldrum vt noſtrates nominant, Pentecoſtes aut Ioannis prompta pecunia pretio iuſto rigido vẽdatur quatuor florenis ad terminum dictum venduut pro quinque: aut ſi annonæ caritas ſit & maldrum præſenti ſolutione æſtimetur 10.florenis maximo pretio, ad terminum vendũt 12.aut 13.aut etiam 14.Magna ſanè eſt hæc iniquitas, nec Iudæi maiores exercent vſuras, nec etiam tales tantæque de iure ciuili vnquam fuerunt permiſſæ.

Maxima enim in legibus permiſſa fuit centeſima, quando 100. ſingulis menſibus, idque in traiectitia pecunia pariebant in menſe vnum, & in anno duodecim: Sed in vſura venditionis ad terminum aliquando in anno 100. pariunt 40. aut 50. exempli gratia, venditur maldrum frumenti Natiuitatis Ioannis iuſto pretio rigido præſenti pecunia quatuor florenis, venditur ad terminum, Natiuitatis Chriſti 5. Sic quatuor in medio anno pariunt vnum. 8. duos, generant. 16. 4. 24. 6. 48. 12. 96. 24. 100. 25. in medio anno germinant, quæ eſt duplex centeſima & aliquid plus, quia à feſto Natiuitatis Ioannis, ad Natiuitatis Chriſti communiter medius computatur annus. Et ſi hoc modo per totum annum calculemus, 100. in anno producerent 50. quæ eſt intolerabilis vſura. Et hoc malum profecto hiſce temporibus latius regnat, crudelius ſæuit in pauperes, occultius eorum ſanguinem ſugit, & in extremam miſeriam miſeros redigit, & efficacius animas multorum diuitum & potentum æternis cruciatibus vt Nauarri verbis in capit. Nouit de iudic. notab. 6. numero 102. vtar, obligat. Tales enim cum hoc eorum exercitium ſit clarum apud omnes, nec ſit tergiuerſatio in facto, cum ſint vſurarij & manifeſti, niſi animum mutauerint, & il-

lud

lud iniuſtum lucrum, quod multos diuites & potentes vltra ſuum ſtatum breui tempore efficit, reſtituerint eis, à quibus extorſerint, licet ob potentiam & diuitias, quas homines huius ſeculi mandatis Dei & canonum obſeruationi ſæpe timore & formidine aut carnali affectione moti proponunt, ſepulturam communem, quæ eis maximè ſecundùm canonum decreta debetur, cum cæteris fidelibus ſortiantur quãtum ad corpus: Anima tamen diuiti Epuloni in inferno, & Mammonæ, cui fidelem operam in vita præſtiterunt, coniungentur. Quia ſecundùm immobilem Dei iuſtitiam potẽtes potenter tormenta patientur, ſi ſua potentia in oppreſſione pauperum & egenorum abutũtur. Et cum multis in locis apud Chriſtianos vſura in venditione ad terminũ maximè in frumentorum genere ſit frequentiſſima, cum pauperes pane magis quam vlla alia re indigeât, & raro pecunias in promptu habeant in termino, quando iam meſſis appropinquat, ſæpius miratus fui, quod in quibuſdam prouincijs, & regionibus vt audiui, quando habentur conuentus prouinciales, conſilia proponantur de expellendis paucis Iudæis, qui ſparſim inter Chriſtianos habitant, & negotiationem aliaque exercitia habent, nec vſuras exercent, aut certe mino-

minores quam multi Chriſtiani. Nec tamen vnquam cognouerim tractatum, vt media inueniantur ad liberandum rempubl. à baptizatis Iudæis, qui maiores vſuras exercent præſertim vendendo carius iuſto pretio ob dilatam ſolutionem Baptizatos Iudæos intelligo cum Sanct. Bernardo in Epiſtol. 322. ad Epiſcopum, Clerum & populum Spirenſem Chriſtianos fœneratores, ſi tamẽ Chriſtianos, & non magis baptizatos Iudæos cõuenit appellari. Iudæi enim in hoc deteſtabili exercitio maiorem adhuc religionem & conſcientiam habent Chriſtianis fœneratoribus: Literæ enim, veteris ſcripturæ adhærent, & non volunt fratribus ſuis, id eſt, ſui ritus hominibus fœnerari aut eos vſura opprimere, maximumque ſcelus id ducunt: Sed Chriſtiani fœneratores auaritia excecati, ita obliuiſcuntur legis, & Euangelij, vt etiam in ſuos fratres, & conſortes in religione & fide ſæuiant, eos exhauriendo vſque ad nuda oſſa vſuris, pro quibus Chriſtus ſanguinem fudit. Quare non tam habenda eſſet patientia cum Baptizatis Iudæis, quam cum alijs, qui necdum Saluatorem, qui re & verbo docuit extinguere ſitim auaritiæ aqua ſalutari, ex qua qui biberit, non ſitiet in æternum, cognouerunt. Quoniam ſæpe in ſuperioribus mẽtio habita eſt de pretio pio, moderato & rigido, quiſpiam dubitare poterit,

terit, quod nam horum vnumquodque ſit. Reſpondetur id ex communi hominum iudicio definiendum eſſe. Pium enim dicere poſſumus, quo vendunt homines pij, qui pecunias ex auaritia non cogitant colligere, ſed ſepoſito affectu, Chriſtianę Charitati, & rei æquitati conuenire exiſtimant, vt res eo modo vendatur. Moderatum, quod paulò altius aſcendit, quam pium, quo vẽdunt homines diſcreti attendentes quidem æquitatem & communem vtilitatem interim etiam paulò ardentius rei ſuæ inhærentes, non tamen ad ſummum pretiũ, quod haberi poſſit, aſpirãtes. Rigidum pretium, id nominare licet, quo vendunt multum auari, & lucro inhiantes pro tempore, loco, genere negotiationis, & mercium natura.

*Quarta Concluſio.* Dubium ſi ſit, an res tempore ſolutionis, ſit plus, vel minus valitura, nec venditor erat ante tempus ſolutionis venditurus, poteſt carius iuſto pretio ob dilationem ſolutionis vendere. Concl. conſtat ex hoc capit. iuncto capit. Nauiganti. & eam tenent Guilhelmus Atiſiodorenſis in 3. part. quem citat & ſequitur Adrianus in 4. in quæſt. de Vſura §. occurrunt circa prius. verſ. Ad primum dico. Richardus in 4. d. 15. articul. 5. quæſtion. 5. Syluest. in verb. Vſura 2. §. 2. Ioannes Medina in Cod. de reb. reſtitut. quæſtion. 38. cauſa 5. Sot. libr. 6.

quæſt.

quæſtion.4.articul.2. Hoſtien. in ſumma de Vſur.§.Aliquando. verſ. Quid ergo. Panormitan.in hoc capit. Couarr.libr.2.variar.reſolut.cap.3.numer.6.Nauarr.lib.5. conſiliorum in titul.de vſur.conſ.25.numer.7.& alibi, & hæc eſt communis opinio vt aſſerit Couarr. Et debent ambæ conditiones concurrere ad iuſtificandum caſum huius concluſionis, nempè quod ſit dubium, an res tempore ſolutionis ſit plus vel minus valitura, & quod venditor erat eam ſeruaturus vſque ad tempus reſolutionis. Caietanus 2. 2. quæſtion. 78. articul. 2. ad 7. putat priorem conditionem abſque poſteriori ſufficere, ſed cum communi ſentiendum eſt ex dict. capit.

*Quinta Concluſio.* Qui vendit frumentum, aut ſimile quid indeterminato pretio, & ob dilatam ſolutionem in aliud tempus vendit maximo pretio, quo valebit toto tempore vſque ad terminum ſolutionis, iniquiſſimè agit, vſuram committit, & ad reſtitutionem exceſſus tenetur. Quia proximum contra iuſtitiam damno afficit. Hanc cõcluſionem tradunt Hoſtien.in d.§.An aliquando. Laurent. à Rodulphis in capit.Conſuluit.2. par. quæſt.29.& ſequ.Scot. in 4.d.15.q. 2. articul. 2.Gabriel.ibidem.q.11.art.1.in lit.H.Syluest. in verb.Vſura 2.qu.5.Couarr. loco cit.& alij alibi.

*Sexta*

*Sexta Concluſio.* Qui non eſt ſeruaturus merces ſuas in tempus ſolutionis, & vendit pecunia credita ad terminum pretio indeterminato tempore ſolutionis currenti, quo tempore dubium eſt, ſintnè plus, vel minus valituræ, quam tempore contractus, non peccat. Quia cum res dubia ſit, poteſt commodum eſſe vendentis, & ementis vt DD. docent. Si autem moralis præſumptio ſit, quod in termino ſolutionis, pluris valebunt, illicitus erit contractus ex parte vendentis, qui in tuto conſtituitur cum alterius damno. Ex dictis concluſionibus infertur, quod peſſimè & iniuſtiſſimè agant illi pauperum oppreſſores, qui frumentum vendunt expectata ſolutione ad terminum nullo determinato pretio: aduentante autem termino conueniunt inter ſe, & pretium intolerabile determinant, & varijs modis extorquent. Dubium, quid ſi aliquis in menſe Septembri vendit frumentum dilata ſolutione vſque ad Ianuarium, & dubium eſt tempore contractus, an plus vel minus valebit in Ianuario & tunc accidit quod in Ianuario pretiũ multum varietur, in principio menſis, exempli gratia, venditur menſura quinque nummis, in medio 7. in fine vero menſis 10. quo pretio venditor debet eſſe contentus.

*Septima*

*Septima Concluſio.* In caſu huius dubij venditor debet eſſe contentus pretio medio ſiue moderato, quo valebit illo menſe, & ſic non poteſt iuſtè ſummum quo valebit in menſe capere, nec tenetur accipere minimum, quo valebit aliquo die illius menſis, ſed debet eſſe contentus medio. Hanc concluſionem tradit Nauarr. in Man. confeſſ. cap.17.nume.239.& allegat Alexand.in Leg. Quod te. ff. Si certum petatur, qui in libro quo ego vtor,id non dicit.Idem repetit Nauarr.lib.5.conſil.de vſur.conſ.vltimo, rationem non reddit, poteſt tamen efficax ratio ſumi ex iuſtitia contractus emptionis & venditionis, quæ deſiderat, vt æqualis ſit conditio vendentis & ementis, nec vnus plus alio grauetur. Quare ſi venditor in dicto caſu poſſit eligere ſummum pretium, quo valebit aliquo die talis menſis plus grauaretur emptor: Si autem teneretur eligere minimum peior eſſet ſua conditio quam ementis. Quando autem eligitur medium, quo valet tali menſe, par eſt vtriuſque ratio, nec magis declinatur ad dextram quam ad ſiniſtram.

*Octaua Concluſio.* Ratione damni emergentis, aut lucri ceſſantis licitum eſt merces carius vendere iuſto pretio ob dilatam ſolutionem. Ex hoc enim, quod venditor damna patitur, quia ſolutio differtur: aut certum

certum lucrum ceſſat, poteſt carius vendere ad terminum. Conrard. q. 69. concl. 3. Caiet. 2.2. q. 72. art. 2. Panorm. & Ioan. ab Anania in c. Nauigāti, & alij alibi. Quæ concluſio tamē habet locū, vt rectè Couarr. obſeruat, quando mercator ſtatim numerata pecunia poteſt merces vēdere: Quia ſi aliâs, merces non poſſit vendere pecunia ſoluta, ſed eas retinere deberet, niſi pecunia credita diſtraheret, nullum damnum pateretur, nec lucrum ceſſaret. Vnde ſub hoc titulo non poſſet ratione dilatæ ſolutionis aliquid plus iuſto pretio accipere. Ex dicta concluſione euidenter colligitur, quod mercatores aliquando, cum magnis Dominis magnam mercium pretioſarum copiam vendunt, à quibus ſciunt ſe non breui tempore, & non niſi damno & moleſtia graui pretium habituros, poſſunt eis carius iuſto pretio ob tardam ſolutionem vendere habito reſpectu ad damnum emergens, aut lucrum ceſſans, modo in rei veritate damnum emergat, aut lucrum ceſſet.

## QVÆSTIO. IV.

*An liceat rem minoris emere ob anticipatam ſolutionem?*

EXempli gratia. Tempore meſſis ruſticus pro collectione fructuum alijſque rebus neceſſarijs indiget pecunia, quam ex

*Secunda Concluſio.* Vilius iuſto pretio infimo ſiue pro ratione anticipatæ ſolutionis emere, vſura eſt. S. Thomas 2.2. quæſtio. 78. art. 2. ad 7. S. Antoninus 2. parte titul. 1. cap. 8. §. 1. & 4. Conrard. q. d. Sotus lib. 6. quæſt. 4. artic. 1. & 2. Gabr. in d. quæſt. 11. Panormitan. in capit. Nauigant. infra. Nauarr. loco cit. & hæc eſt communis opinio Theologorum & Canoniſtarum teſte eodem auctore. Ex hac concluſione infertur quod mortaliter delinquunt, & tenentur ad ſupplendum defectum in conſcientia, qui triticum ante meſſem: aut vinum ante vindemiam vilius iuſto pretio pio emunt ob anticipationem ſolutionis. Ex eadem doctrina fundamentum ſumit iuſtiſſima conſtitutio Caroli Quinti olim Imperatoris Auguſtiſſimi in conſtitutionibus Imperij Politicis de Anno Domini 1548. in commitijs Auguſtanis in cap. 19. de venditione frumentorum & fructuum in agris, vbi tales emptores qui viliori pretio anticipata ſolutione ſtudent emere frumenta, vocat frumentarios prædones, & auaros homines, qui ſub ſpecie emptionis imponunt. Qua de cauſa prohibet tam impium negociationis genus.

*Tertia Concluſio.* Licitum eſt merces anticipata ſolutione viliori pretio emere, quam ſi de præſenti traderentur, quando probabile & morale dubium eſt,

quod quando tradentur, plus minuſuè valituræ ſint. Conc. probatur ex cap. Nauiganti. Ratio redditur à Sot. Quia cum res propter vſum emantur, id quod nunc non venit in emptionis vſum, non debet æſtimari præſenti pretio, ſed illo, quo valiturum eſt, dum traditur.

*Quarta Concluſio.* Ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis poteſt emptor viliori pretio anticipata ſolutione merces emere. Quia ſicut venditor ratione lucri ceſſantis & damni emergentis poteſt credita pecunia carius vendere, quam numerata: Ita emptor etiam vilius ob eoſdem reſpectus anticipata ſolutione & nõ tradita merce, emere poteſt. Licitum eſt enim vnicuiqne ſe indemnem ſeruare abſque alterius iniuria. Sic qui ſuas pecuias ſtatim in alijs mercibus, vnde honeſtum lucrum habuiſſet, conſumpturus erat, & rogatus à venditore vt emẽdo ſubueniat, poteſt vilius emere, ſi verè lucrum ceſſet, vtpote quia aliam pecuniam, præter eam quã venditori tradit, non habet. Dubium hic eſſe poteſt, quod Doctores in varijs locis mouent. An liceat debitum ſoluendum poſt certum tempus nunc præſenti pecunia vilius emere, quam debitum ſit. Exempli gratia, vt dubium intelligatur. Petrus habet debitum 100. aureorum, quod non niſi in fine anni tenetur ſoluere Ioanni vicino ſuo. Io-

annes

annes de præſenti indiget pecunia, accedit Nicolaum, aut eundem Petrum, conuenit, vt ſibi in præſenti pro ſumma, quæ currit, in fine anni numer. 95. & ſic Nicolaus, aut Petrus lucratur ob ſolutionem anticipatam 5. An ſit vſurarius talis caſus, nunc quæritur in dubio. Variè ſentire prima facie in hoc caſu Doctores videntur. Quidam enim affirmāt. Alij negant. Sed facile ſecundùm dicenda poſſunt conciliari. In primis pro clariori reſolutione diſtinguendum. Huiuſmodi debitum expectandum, aut eſt omino certum vtpote apud fidelem hominem, qui fideliter ſine dubio in termino ſoluet: Aut eſt incertum, ita quod abſque labore, moleſtia, & aliquali periculo in termino non habebitur, nunc ſit.

*Quinta Concluſio.* Qui emit debitum certum, & nulli periculo expoſitum, quod abſque labore & expenſis habebitur, nō poteſt illud minoris emere ſolum ob anticipatam ſolutionem, quam illud debitum ſit: aliâs committit vſuram. Hanc puto eſſe communem opinionem, & eam tenent S. Antoninus 2. par. titul. 1. c. 8. §. 3. & 4. Angel. in verb. Vſura 1. §. 63. & 64. Sylueſt. in eod. verb. 2. q. 14. Gabr. in 4. d. 15. quæſt. 11. art. 3. dub. 4. Caietanus in ſumma. verb. Vſura. Aurea Armilla ibid. §. 13. Nauarr. in Man. confeſſar. capit. 17. num. 203. Domin. Sotus libr. 6. quæſt.

4. articul. 1. Ioannes Medina latè in Cod. de rebus reſtituend. quæſtion. vltim. propè finem. & alij alibi. Ratio, quia ſub titulo emptionis mutuum tegitur, & vſura palliatur. In effectu ſic emens dat mutuo 95. vt in fine anni recipiat 100. quod ſpectat ad vſuram.

*Sexta Concluſio.* Qui emit debitum non Liquidum, & periculo & oneri ſubiectum, poteſt illud minoris emere anticipata ſolutione, quam ſit in ſe. In hac concluſione, video etiam Doctores conuenire. Sic iuxta has concluſiones Doctores qui videntur diſcordes ad concordiam reducuntur. Negantes intelliguntur ſecundùm quintã concluſionem. Affirmantes iuxta ſextam, vt etiam Nauarrus loco citato numero 231. indicat. Hinc annoto cum Soto, quod quando militi ſtipendium regium debetur, quod timet, aut ſe non totum, aut non ſine moleſtia & expenſis recepturum, poteſt alius illud minoris, quam ſit emere ceſſantibus fraude & dolo. Vnde etiam memini, quod aliqui milites ſuperiori tempore emerint à ſocijs militibus viliſſimo pretio ſcedulam recognitionis notabilis debiti & ſtipendij, qui deinde nihil acciperunt. Alia tamen eſt ratio ſecundùm eundem auctorem, ſi quis Regi à theſauris ſit, & quod ſoluere debet, minoris redimat; tunc enim vis & fraus

ſub-

ſubeſſent. Sæpe tamen cum maximo peccato, vtpote quia merces operariorum defraudatur, hoc turbulentiſſimo tempore contingit, quod commiſſarij quos vocant, aut ſuperiores rebus bellicis intendentes, ſimili fraude decipiant. Aut enim tam diu ſtipendia differunt, donec milites inedia & fame exhauſti caſtra deſerant; aut moriantur, vt ſic ſuæ burſæ conſulant: Aut donec de ſolutione deſperent, ita vt iniquiſſimam quãque compoſitionem ſubeant minimaque pecunia contenti recedant, vbi aliquot annorum ſtipendium conſequi debebant. Aut quandoque quando refugiunt minimum ſtipendium acceptare, nihil dant, ſed minis alijſque dolis expediunt. Hæ & aliæ viæ iniquiſſimæ ſunt, & peccata in Spiritum ſanctum. Digni enim ſunt milites, quando vitam fortunaſque ſuas pro Regno & Republica exponunt, ſuis ſtipendijs. Et quia tam paruus reſpectus hoc tempore ad id negocium habetur. Potentatum & eorum qui bella gerunt theſauri exhauriuntur. Diſpenſatorum & commiſſariorum ſacci implentur, milites ſuis ſtipendijs priuantur: & diſciplina militaris iacet : Hinc ſequuntur concuſſiones & oppreſſiones pauperum & innocentum, latrocinia, depopulationes, prædæ, & ſimiles vexationes, ita

vt potius diſſidię quam pax ex bello naſcantur nec vllum vix fœlicem ſucceſſum bellica negotia ſortiuntur. Ab his nō longè abſunt illi militum commiſſarij, qui quando milites ſui ducis in aliena terra magnam pecunię ſummam conſumpſerunt, quam ſupremus belli Dominus reſtituēdam ſubditis alterius dominij ſecundùm debitum iuſtitię mandadauit & determinauit, Ipſi quærunt cuniculos, ac ſolutionem tanto tempore protrahunt, quamuis eam in promptu habeant, donec miſeri ſubditi deſperent de damnorum recompenſatione, tum cautè ſe inſinuant iſti negotiatores atque ſpem aliquam faciunt, modo moderatam in aliquam conſentire velint compoſitionem, vt tertiam aut quartam ſummæ partem remittant, aut ſibi aliquam ſummam donare velint. Egregiæ hæ ſunt fraudes, & maxima peccata. Sic enim breui contra omnem iuſtitiam & præter communem curſum in hoc mundo quidam diuitijs exaltantur, qui tamen in fine vitæ niſi talia ſpolia & furta miſeris, à quibus extorſerunt reſtituant, quod raro contingit, ſoluent in inferno vſque ad nouiſſimum quadrantem.

* * *

QVÆ-

## QVAESTIO. V.

*An mutuans tempore caritatis annonæ, frumētum æſtimatum pretio, quo tum venditur, cum pacto, quod tempore ſolutionis reddatur frumentum in valore, quo valebit, ſit vſurarius?*

TRactant Ioan. Calderin. & aliqui alij in hoc cap. Panorm. in c. Nauiganti. Turrecrem. & Archidiac. in 14. q. 4. c. Si quis clericus. & ex Theologis Conrard. de contractib. q. 38. Ioan. Medina in C. de reb. reſtituend. q. vlt. Sotus lib. 6. q. 1. art. 2.

Quoniam aliqui confusè hanc quæſtionem tractant, clarè reſoluere placet.

*Prima Concluſio.* Ad iuſtificandum hunc contractū, debet abeſſe ſiniſtra intentio vſuram, aut aliam iniuſtitiam tegendi. Quia praua intentio inficit opus.

*Secunda Concluſio.* Communis. Quando tempore traditionis frumenti probabiliter creditur, quod tempore ſolutionis non plus valebit, & poteſt plus & minus valere non eſt etiam vſura: ex hoc capit. & capit. Nauiganti.

*Tertia Concluſio.* Si abſtrahamus ab his concluſionibus, conſiderandum eſt; an talis contractus ſit mutui, vel venditionis: Quia alia natura mutui, alia vēditionis eſt, vt omnibus clarum eſt.

*Quarta Concluſio.* Quando talis contractus eſt mutuum purum, nõ eſt reddendum niſi tantum, quantum acceptum, in quocunque pretio fuerit frumentum, quando mutuo acceptum eſt. Quia in mutuo redditur æquale, ſi plus vi mutui petitur, committitur vſura, ex definitione vſuræ & communi ſententia; nec habetur in hoc contractu reſpectus ad pretium, ſed vt res eadem in ſpecie, quãtitate, & valore intrinſeco reddatur. Hinc ſi mutuo dedi alicui frumentum, quando modius vendebatur floreno, ſi tempore reſtitutionis ematur duobus, poſſum meum modium recipere citra notam iniuſtitiæ.

*Quinta Concluſio.* Si mutuans mutuo dat frumentum eo pacto & intentione, vt tempore reſtitutionis reſtituatur ſibi notabiliter melius & pretioſius in bonitate intrinſeca, committit vſuram, exempli gratia, dat mutuo frumentum leuiſſimum, aut corruptum, vt tempore meſſis bonum & plenum reſtituatur, aut mutuat vetus vt nouum, quod multo melius erit, reſtituatur. Hanc concluſionem tradunt Summiſtæ in verb. Vſura. Nauarr. in Man. confeſſariorum capit. 17. nume. 224. Sot. & Medin. loco citat. & communiter alij alibi. Dixi in concluſione (notabiliter & cum pacto aut intentione) Quia vix contingere poteſt, vt quando aliquis

quis mutuo dat,& ſibi reſtitutio fit, non aliqua in rebus hinc inde inæqualitas accidat. In moralibus moralis iuſtitia eſt obſeruanda. Quando enim frumentum, vinum, oleum & ſimilia mutuo dantur, non reſtituuntur trutina, nec probantur Lydio lapide vt aurum.

*Sexta Concluſio.* Quando mutuo datum eſt frumentum, & nō poteſt reddi in eadem ſpecie,ſed valore,æſtimandus eſt valor ſecūdùm tempus, quando ex pacto ſolutio facienda.L.Vinum.ff.de reb. credit. ſi certum pet.& communis ibidem,

*Septima Concluſio.* Si venditur vera, aut interpretatiua venditione frumentum pretio pro tempore venditionis currenti, tunc emptor tempore ſolutionis tenetur ſoluere pretium in valore: aut frumento, aut alia re æquiualenti, ita vt contentum reddat venditorem. Conſtat concluſio. Ex natura emptionis & venditionis, & hæc eſt communis opinio DD. in principio quæſt. allegatorum. Quia in huiuſmodi caſu, aut explicitè,aut in effectu eſt vendere frumentum, & dilationem ſolutionis concedere ad terminum præſcriptum. Vnde parum refert, modo venditor contentus reddatur ſiue in pecunia, ſiue in frumento, aut alio æquiualenti. Hinc elicitur, quod aliquando pro vno modio frumenti

vendito

vendito iuſtè tempore ſolutionis quis duos poſſit recipere. Alia tamen eſt ratio, quando mutuum intercedit, tunc enim reſtituendo tantum, quantum mutuo acceptum eſt, ſatisfit.

## QVÆSTIO. VI.

*Vtrum vendens domum aut agrum, aut aliam rē, quæ vſu non conſumitur, alicui qui non poteſt ſtatim ſoluere, ſed tantum partem: aut omnino nihil, poßit ſine peccato vſuræ pro parte pretij non ſoluti vſuras capere?*

VT melius quæſtio intelligatur. Caſus proponendus eſt. Petrus habet domum in ciuitate, qua nō indiget & ita vendit eam Ioanni qui nō habet promptam pecuniam, vt totum pretium perſoluat, qua de cauſa conueniunt vt Ioannes ſoluat ei vſuram pro parte pretij nō perſoluti ex.g. de 100. annuè 5. aut 6. donec totam ſoluendo compleat ſummam, quæritur an talis contractus ſit licitus. Videtur quod ſic, ex L. Curabit de action. empt. & vend. vbi ſic definitur. Curabit præſes prouinciæ compellere emptorē, qui nactus poſſeſſionem fructus, percepit partem pretij, quam penes ſe habet cum vſuris reſtituere, quas & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis fauor, licet nulla

nulla mora interceſſerit, generauit. Ex hac L. duo colliguntur. Primum quod emptor, qui partem pretij ſoluit, pro rata pretij ſoluti fructus ſuos facit. Bart. in L. fiſtulas. §. fundum ff. de contrah. empt. & in L. Iulian. §. offerri ff. de actio. emp. Bald. in L. Si traditio q. 11. C. de actio. emp. Salyc. in d. L. Curabit. Alex. in conſ. 173. incip. Viſis & accuratè ponderatis. vol. 2. Dec. conſil. 543. col. fin. Philip. Corneus conſ. 150. incip. Viſo tenore. vol. 4. Panorm. conſ. 69. incip. Caſus in his terminis, & alij alibi quos ad longũ allegant Andr. Tyraquell. libr. 2. de vtroque retractu §. Fin. nu. 70. & Anton. Gabriel li. 3. commun. cõcluſionum, in tit. de empt. & vend. conclu. 3. Secundum ex L. Curabit. Emptor, qui partẽ pretij ſoluit, ſi integros fructus percepit, tenetur ad vſuras pretij non perſoluti, pro quo dicto multos adducit Gabriel. Hæc faciunt difficultatem, quod emptor pro pretio non perſoluto teneatur ad vſuras legales. In contrarium eſt, quod accipere vſuras eſt contra ius naturale, diuinum & humanum, vt ſupra probatum.

Ante reſolutionem præſupponendũ pro vero intellectu d. L. Curabit, quod ſecũdùm Doctores, Vſuræ ſunt in triplici differentia. Quædam Lucratoriæ, Quædam Recompenſatoriæ, & alię Punitoriæ. Ioã. ab Anania in c. Cõqueſtus col. fin. Petrus Ancharan. in reg.

Pecca-

Peccati venia colu. 8. de reg. iuris in 6. Bald. Salycet. & alij in L. 2. C. de Vſur. Lucratoriæ ſunt, quæ exercentur propter officium mutui, & ratione eiuſdem percipiuntur. Recompenſatoriæ, quæ reſpiciunt intereſſe damni emergentis, aut lucri ceſſantis, aut etiam iuſtam & legitimam cauſam. Punitoriæ, quę in pœnam, negligentis debitoris apponuntur.

*Prima Concluſio.* Dicta L. Curabit, vt vera & iuſta ſit, non eſt intelligenda de vſura lucratoria. Probatur hæc concluſio argumento facto in contrarium. Talis enim vſura eſt omni lege prohibita.

*Secunda Concluſio.* Secundum d. L. venditor iuſtè etiam poterit recipere vſuras recompenſatorias pro rata & quãtitate, quam habito pretio ſtatim lucrari potuiſſet, & pro damno, ſi quod incurrit ob dilatam pretij conuenti ſolutionem. In hac concluſione commuuiter DD. conueniunt ſicut etiam in præcedenti.

*Tertia Concluſio.* Dicta L. Curabit, non ſolum locum habet vt vſuræ dentur ratione intereſſe, ſed etiam ex æquitate iuſtitiæ cõmutatiuæ & iure naturali. Hanc concluſionem tradunt Alexand. in conſil. d. [redacted] in tract. de vſur. num. 5. & Couar. lib. 3. variar. reſolut. cap. 4. num. 2. & probatur. Iuſtitia commutatiua conſiſtit in æqualitate

litate Auctore Ariſtotele 5. Ethico. capit. 5. Ergo quando venditor emptori tradidit fundum, pro quo non ſoluit pretium, aut non totum, quãdo percipit ex eo vtilitatem debet facere æqualitatem. Quia cum vnus contrahentium implet, debet alter etiam viciſſim adimplere: aut implenti ſoluere lucrum implementi recepti, vt pulchrè ad explicationem d.L. Curabit, explicat Alexand. conſ.147.incip. Perſpectis inſtrumentis. colum. 1. volum. 5. alioquin manet æqualitas inter contrahentes, quæ repugnat iuſtitiæ commutatiuæ. Cum ergo emptor iuxta L. d. fructus rei emptæ nec dum ſoluto pretio percipiat, iuſtitia poſtulat, vt pretij nec dum perſoluti vſuras pro quantitate fructuum ſoluat venditori, qui rem ei liberam tradidit, cum eam pretio non perſoluto minimè tradere teneretur. L. ex empto. ff. de action. empt. Deinde naturalis æquitatis eſt, vt nemo locupletetur cum iactura alterius. Ergo emptor non debet locupletari cum iactura venditoris, locupletaretur autem cum eius iactura, ſi ipſe fructus rei traditæ perciperet, & nihil æquiualens præſtaret. Atque hanc naturalem æquitatem LL. tradunt. dicta Leg. Curabit & L. Iulianus. §. ex vendito ff. de actionibus emptionum. Nam cum re emptor fruatur, inquit, Lex æquiſſimum eſt, eum vſuras pretij dependere

dere.& in L. Vſuras Cod.de vſur. Vſuras ait, emptori cui poſſeſſio rei tradita eſt, ſi pretium venditori non obtulerit æquitatis ratione præſtare cogitur. Hæ enim omnes leges fundantur in iuſtitia commutatiua & naturali æquitate. His accedit, quod ſicut omni iure vſura lucratoria improbata: ita recompenſatoria approbata eſt. Quare d.L. ſic intellecta etiam obtinet de iure Canonico, etiam ſi nulla mora regularis interueniat.

*Quarta Concluſio.* Emptor qui partem pretij ſoluit, ſi integros fructus percipiat, tenetur ad vſuras pretij non perſoluti vſque ad quantitatem fructuum rei emptæ. ex d. Le. Curabit. Gloſſ. in d.Leg.Iulianus.§.Ex vendito. Sanct. Antonin.2. par.titul.1.capit.7.§. 19.Bald. in L. 1. C.de ſum. Trinit.colum.4. Bartol.in L.de diuiſione ff.ſolut.matrimon. Salycet.in Leg. Sed etſi reipublicæ §. 1. ff.de vſur. Couarru.& Gabrielius locis citat.cum alijs.

*Quinta Concluſio.* Quando poſt traditionem rei, emptor nullos poteſt ex re empta fructus percipere ante terminum ad ſoluendum conceſſum, nec venditor etiamſi interim poſſediſſet, vllos habuiſſet, emptor non tenetur ad vſuras pretij non perſoluti. Hæc concluſio eſt contra Bald. in L. 2. C.de vſur. quem ſequuntur Paulus in d.Leg.Cu-

rabit.

rabit. Anchar.in reg.Peccati venia.de regul. iuris in 6. Ananias in cap. Conqueſtus col.1. Franciſcus Purpuratus in L. 1. C. de ſumma Trinit.alij alibi.

Præſentem autem concluſionem aſſerũt & approbant tãquam veriorem de iure Canonico Salycet.in d.Leg.2. de vſur. Philipp. Corneus in conſ. 59. colum. penult. volum. 3. Alexand.in d.L.de diuiſione colum.1.Couarru. & alij ab eo alligati. Ratio euidens elicitur ex dictis. Ratio L. Curabit, fundatur in intereſſe, & æquitate iuſtitiæ commutatiuæ. Ergo quando venditor de re, quam tradidit emptori nullum potuit interim habere fructum, nullum patitur intereſſe, nec etiam æquum eſt, vt ab emptore habeat, quod ipſemet habere non potuit. Si ergo aliquid perciperet, id fieret ratione temporis, & dilationis conceſſæ, quod ſapit vſuram, & non ratione intereſſe quod nullum eſt, nec etiam ratione naturalis æquitatis, cum emptor non ditetur in vllo cum iactura venditoris.

*Sexta Concluſio.* Quando venditor rem venditam tradidit emptori data ei dilatione ad ſoluendum, & habita pretij fide, eo tempore, quo durat dilationis tempus, emptor non tenetur iuxta dict.Leg.Curabit, ad vſuras pretij non perſoluti. Gloſſ. in cap. Conqueſtus de vſur. Decius conſil. 119. colum.

N penult.

penult. Anton. Rubeus in conſil. 88. Couarru. vbi ſupra & alij ab eo adducti. Quia venditor traditioni & dilationi pretij conſenſit, nec vlla in hoc caſu mora allegari poteſt ante terminum ad ſoluendum deſtinatum, & ſic venditor liberè, & proprio motu interpretatiuè renunciauit beneficio dict.L.

*Septima Concluſio.* Venditor, quando rem venditam tradit, nulla data ad ſoluendum pretium dilatione, poteſt paciſci cum emptore, qui ſtatim non eſt ſoluendo, vt donec pretium non ſoluerit, reddat venditori certam quantitatem, veriſimiliter & moraliter correſpondentem pretio non perſoluto, & eius intereſſe. Couarru. loco citat. numero 6. verſ. Octauo infertur, & probatur ex d. L. Curabit. Si enim emptor tenetur ad vſuras pretij non perſoluti pro rata, poteſt etiam ad liberandum ſe à moleſtia conuenire de portione, quæ veriſimiliter expectatur pro arbitrio prudentis & timorati viri. Plurima ad praxim pertinentia pro interpretatione d.L. Curabit adferunt Carolus Molinæus in tract. de commerc. & vſur. à numer. 559. quæſt. 74. Couarr. & Anton. Gabrielius locis allegatis.

*Octaua Concluſio.* Emptor qui partem pretij ſoluit re nondum ſibi tradita, poteſt petere totam rem cum parte fructuum ex ea perce-

perceptorum pro rata pretij ſoluti à die ſolutionis factæ: probat text. ad hoc à DD. allegatus in L. vlt. de fundo dotali Bartol. in d. L. Iulianus § offerri Bald. in L. Si traditio. quæſtio. 11. C. de action. empt. Alexand. conſil. 121. libr. 4. Decius conſ. 110. numer. 2. Panormitan. conſ. 66. libr. 1. & hæc eſt communis omnium opinio, teſte [redacted] in tract. de commerc. & vſur. quæſtion. 74. num. 557.

*Dubium hic eſſe poteſt, quod nõ raro locum habet in praxi. An huiuſmodi venditio facta cum pacto: vt emptor pro parte pretij non ſoluti, ſoluat cẽſum aut annuam penſionem, donec perfectam ſolutionem dat, ſit vſuraria.* Vt caſus rectius capiatur ſic formetur. Quidam ciuis habet domum in ciuitate, ex qua plus damni quam commodi ſentit, cum frequenti indigeat ob vetuſtatem reparatione, vendit domũ conductori, inhabitanti eam pro pretio iuſto ad arbitrium bonorũ, pro 300. aureis, emptor in promptu non habet pecunias, vt de præſenti plenè ſoluat, conuenit vt numeratis tãtum 100. de 200. reſtãtib. ſoluat annuã penſionẽ, donec ſoluat: Cũ aliâs venditor etiam voluiſſet pecunias in emptionẽ redituũ exponere, & etiã venditores reperiſſet. His accedit, quod talis ex elocatione domus annuè fortaſſe quinque aureos habere potuit. At quãdo domũ iuſto pretio vẽdit 300. expoſitis

N 2 pecu-

pecunijs pro pẽſione, poteſt habere pro ſtatuto patrię ſingulis annis quindecim de 300. Quæritur ergo quid iuris?

Pro parte affirmante, quod talis contractus ſit vſurarius facit in primis, quod de æquipollentibus idem eſt iudicium L. fin. ff. mandati, & quod æquipollere videntur hæc duo. Emere domum 300. ſoluere 100. & retinere 200. & ſoluere annuè 10. donec ſoluam 200. & accipere mutuo ab aliquo. 200. & ſoluere 10. donec reddã. At conſtat poſterius eſſe vſurariũ, ergo & prius. Deinde accipere aliquid pro dilatione ſolutionis vel termini debiti eſt vſurarium c. Conſuluit & ca. In ciuitate. At in præſenti caſu venditor accipit aliquid vltra ſortem ab emptore, eo quod det ei dilationem conſtituendi annuũ cenſum pro parte pretij non ſoluti, ergo vſuram admittit. His argumentis motus Nauar. lib. 3. conſiliorum. in tit. de empt. & vendit. conſ. 11. exiſtimat talem contractum vſurarium eſſe. In contrarium eſt d. L. Curabit modo ſupradicto explicata, pro reſolutione ſit.

*Nona Concluſio.* Qui vendit fundum, aut domum alteri, qui non eſt ſoluendo, ita vt totum pretium ſoluat, & pro reliqua parte quam ſoluere non poteſt, conſtituit cenſum iuſtum cum pacto redemptionis pro opportunitate, iuſtè percipere poteſt talem cẽ-
ſum,

ſum, ſiue penſionem. Hanc concluſionem tradunt Angel. in ſumma. Verb. Emptio. §. 5. Fabian. de monte S. Seuerini in tractat. de empt. & vendit. in quæſt. 7. principali. num. 14. clarius omnibus Couarr. lib. 3. variar. reſolut. cap. 4. num. 6. & cap. 7. numer. 6. non longe à fine. probatur Conclu. Aſſumendo Maiorem argumenti facti à Nauarr. De æquipollentibus idem eſt iudicium, ſed hæc duo æquipollent, ſi vendo conciui domum, quam inhabitat & pro parte pretij, quam de præſenti ſoluere non poteſt, conuenio cum ipſo, vt quam diu non ſoluit, penſionem congruam quæ pecunię reſtanti correſpondẽtem ſoluat. Et ſi haberem pecuniam præſentem & emerem ab eo penſionem. Et cõfirmatur. Si venditor exempli gratia, 100. aureos accepiſſet ab emptore in pretium domus, ſtatim eiſdem ab eodem emptore poſſet annuum cenſum emere. Sed idem eſt ſi relinquantur eidem, vt penſionem ſoluat. Notandum pro meliori inſtructione, quod in caſu huius concluſionis duo contractus concurrunt. Primus emptionis & venditionis ipſius domus pro iuſto pretio. Secundus emptionis & venditionis cenſus cum pacto vt venditor eiuſdem poſſit ſe liberare pro ſua commoditate, quando ſoluerit ſuam ſummam. Et hoc obſeruandum, quod venditor domus in caſu huius concluſionis non

poteſt cogere emptorem ad redemptionē & ſolutionem ſummæ capitalis. Quia ſi hoc in ſua eſſet poteſtate, contractus eſſet vſurarius, cum mutuum tegeretur ſub colore emptionis & venditionis. Semper etiam corrupta mens & dolus abeſſe debent in hiſce cōtractibus. Ex dictis ruunt motiua Nauarr. non eſt idem iudicium de mutuo & hoc cōtractu, quia hic emptio reditus intercedit, emptio autem reditus, & mutui datio non æquipollent, nec quod hic acipitur fit ratione dilatæ ſolutionis, ſed alio reſpectu ſcilicet emptionis, aut etiā intereſſe. Hinc deducitur quod aliquādo iuſtè hac via venditionis poteſt recipere 15. vnde aliàs ſolum 5. habuiſſet, vtpote cum vendit domum in commodo loco ciuitatis ſitam pro 300. aureis, quos ſtatim in emptionem cenſus & reditus annui exponit, & de ſingulis 100. annuè recipit 5. cum tamen antea ratione domus, quam etiam ſuis expenſis in ædificio conſeruare tenebatur, à conductore tantum quinque perciperet.

*Decima Concluſio.* Conſtitutio L. Curabit iuxta explicationem ſuperiorum concluſionum, ſecluſa fraude vſurarum etiam valet in foro conſcientiæ & Eccleſiaſtico exteriori. Couar. in. d. c. 4. num. 8. ad finem. Et ratio etiam ſatis euidens eſt. Explicatio d. L. Curabit, fundatur ſecundùm dicta in ratione iu-

ſtitiæ

ſtitiæ commutatiuæ & naturali æquitate. Quæ autem naturalia ſunt,in omni loco, & foro eadem ſunt. Sicut lapis vbique deſcendit, & ignis vbique aſcendit & calefacit ſecundùm Ariſtotelem, vt rectè ait Bald. L. 1. num. 4. in fine C. de ſumma Trinit.

## QVÆSTIO. VII.

*An contractus emptionis & venditionis cum pacto de retrouendendo ad voluntatem venditoris ſit licitus?*

EXempli gratia. Petrus habet fundum producentem fructus ſingulis annis valentes 10. aureis, indiget pecunia, vendit Nicolao ſuo amico pro 200. aureis, cum pacto vt quandocunque voluerit pro ſua commoditate eadem ſumma valeat reluere. Interim quam diu Ioannes detinet fundum percipit fructus & non computat in ſortem. Et Petrus in redemptione debet integram ſummam videlicet 200. aureos refundere. Aduertendum in primis, quod hic contractus vocatur alio nomine retractus conuentionalis, vt patet latè ex Andrea Tyraquello. libr. 2. de retractu conuentionali in præfatione, qui auctor integro illo libro differit de iuſtitia illius contractus: Dicitur autem ita, quia ex conuentione

& pacto partium proſiciſcitur, quando emptor & venditor conueniunt, vt venditor infra certum tempus aut quandocunq; aut ſimpliciter ſine temporis præfinitione poſſit rem venditam retrahere ſeu redimere reſtituto pretio. Vulgus autem vocat pactum de retrouendendo. Secundo loco in memoriam reducendum, quod breuiter ſupra capit.1.quæſtion. 2. inſinuatum, venditionem cum pacto de retrouēdendo differre ab antichreſi, etiamſi diſtare non videatur. Quia in hoc contractu venditor dominium fundi, aut poſſeſſiones amittit, & in ementem transfert. In antichreſi autē creditor rei innititur vt hypothecæ, & non fit ſimpliciter poſſeſſor. Magnam affinitatem quoque habet cum contractu pignoratitio, quare non raro ſub eo palliatur vſura. Poſtremo hic agitur de pacto retrouendendi in fundo, domo & ſimilibus & non in matera cenſuum, de qua infra.

Tractant de hoc pacto ex Theologis Cōrardus de contractibus quæſtio. 83. Gerſon. de contract.1. part.6.& 7. conſideratione.& in 2. part. in aliquot propoſitionibus. Henric Hoitta de eadem materia dub. 5. Ioannes Medin. in Cod. de reb. per vſuram acquiſit. quæſtio. vltim. Dominic. Sotus libr.6.quæſt. 5.artic.3. Doctores canonum in cap. Ad noſtram de emp.& vendit.& in cap. Illos vos de pigno-

pignorib. Cæpola de ſimulatis contractib. & Andr. Tyraquellus li.2. de retractu conuentionali.

*Prima Concluſio.* Venditio cum pacto de retrouendendo per ſe eſt licita. Communiter DD. conueniunt, & probatur Leuitici 25. dicit Dominus filijs Iſraël. Cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur, & in vtroque iure ſatis fundatur in dict. cap. Ad noſtram, & in Clemen.1. & 2. de empt. & vendit. & Cod. de pactis inter emptor. & vend. L. Si fundum. Dictum in concluſione per ſe, quia ex accidenti hic contractus poteſt reddi ſuſpectus, vt patebit.

*Secunda Concluſio.* Propter affinitatem contractus pignoratitij hic cõtractus ſæpiſſimè multum eſt ſuſpectus. Conſtat ex d.ca. Ad noſtram & ca. Illo vos de pign. & annotatis ibidem à DD.

*Tertia Concluſio.* Quando vera & iuſta ſit venditio cum pacto retrouendendi, emptor de re empta verè facit fructus ſuos, nec eos tenetur computare in ſortem, quos percipit ante redemptionem. Hanc concluſionem tenent communiter Theologi & Iuriſperiti locis in principio allegatis, & longum catalogum Doctorum pro hac concluſione adducit Tyraquell. in d. tractat. §.5. Gloſſ. 2. Ratio concluſionis etiam clara eſt. Cum

enim vera ſit venditio, nec reſcindatur ante redemptionem, emptor è re ſua percipit fructus, quod iuſtè facit. Si quis hic obijciat illud Leuitici 25. Vbi præcipitur, vt ſi rem venditam, venditor redimat poſtea, fructus percepti in ſortem computentur. Dicit enim Dominus. Si venditor inuenerit pretium ad redimendum, computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit, & quod reliquum eſt, reddet emptori. Reſpondent communiter Doctores ad illam obiectionem quod lex illa fuit iudicialis, nec obligat in foro conſcientiæ, nec etiam in iudicio, ſicut etiam cætera legalia. Præceperat enim Deus id, ne ſortes terræ promiſſionis ad paucos peruenirent, & alij in paupertate & miſeria viuerent, & tales leges nunc ceſſant niſi noſtris legibus de nouo ſint comprobatæ, vt communiter tradunt Theologi Alexander Halenſis. 2. parte quæſtion. 52. membr. 1. Sanct. Thomas 1. 2. quæſtione 104. articulo 3. & 2. 2. quæſtione 87. articulo 1. D. Antoninus in 1. parte, titulo 14. cap. 6. Sanct. Bonauentu. in 4. diſt. 3. articulo 3. quæſtion. 2. Scotus ibidem. quæſtion. vltim. Gabrielius in 3. d. 37. quæſtion. 1. articulo 2. Angel. in verb. Decima. Sylueſt. ibidem. quæſtione 3. quibus Iuriſperiti adhærent. Decius in capite Conſuluit. notab. 2. de appellatione. Immolen. in L. Stipulatio hoc

modo

modo concepta, colum.3. de verborum obligatio. Roman. ibidem colum.19. Iaſon. in L. Qui ſe patris, colum. 5. C. vnde liberi Alexander in conſil.13. incipien. Attentis his, quæ in themate numero 19. libr. 7. Andreas Barbatius. in conſilio.39. incipien. Clementiſſimi Dei, numero 3. libro 2. Franciſcus Aretin. in L. vltim. collat. penult. Cod. de pactis. Latius alijs Andr. Tyraquel. libr. 1. de vtroque retract. in præfat. numero 9. & alij alibi.

*Quarta Concluſio.* Quando in pactum deducitur, vt res pereat periculo venditoris & non emptoris, tunc eſt vſura palliata ſub colore emptionis & venditionis. Quia periculum & commodum rei venditæ poſt perfectam venditionem ad emptorem pertinent. L.1. Cod. de pericul. & commod. rei vendit. Salycet. & Angel. ibidem. Decius conſilio. 179. Marſil. in ſing. 6.14. & alij quos allegat & ſequitur Didacus libr.1. variar. reſolut. capit. 15. numero primo, & id eſt iuris naturalis iuxta illud pronunciatum. Commoda ſi ſentis iungas onus emolumentis. Vnde ſi contrarium fiat, præſumitur palliatum mutuum.

*Quinta Concluſio.* Si quis emat fraude & dolo, vtpote quia intendit mutuare, & non emere, nec vult rem ſibi remanere, ſed redimi, vt fructus de re interim per-

percipiat & non teneatur in ſortem computare, vſuram palliat & tenetur fructus ſorti adiungere. Concluſio clara eſt. Quia palliatur mutuum ſub ſpecie emptionis,& de pignore percipiuntur fructus. DD. in cap. Ad noſtram.& c. Illo vos.

*Sexta Concluſio.* Quam diu ſtamus in foro conſcientiæ, modo fraus & dolus abſint, & pura emendi iuſto pretio intentio ſit, parum curatur de præſumptionibus, de quibus in foro contentioſo contenditur. Quia in foro conſcientiæ ſtandum eſt dictis confitentis & ceſſat omnis pręſumptio cap. Tua de ſponſal.cum annotatis.

*Septima Concluſio.* In foro contentioſo, vt contractus cum pacto retrouendendi præſumatur vſurarius præter hoc pactum ſecũdum aliquos requiritur tantum vna conditio, ſcilicet modicum pretium : Secundùm alios duæ ſunt neceſſariæ, modicitas pretij & quod emptor ſit ſolitus fœnerari. Priorem ſufficere ſentiunt Gloſſa in cap. Conqueſtus eodem titul. quam ibidem Panormitan. & Anan. ſequuntur Gloſſ.in dict. cap. Ad noſtram. Innocent. Abbas Anton. Burgen. Barbat. cum alijs ibidem, & alij multi, quos ad longum allegant Nicolaus Boërius in deciſ.102. num.2. & Cæpola de ſimulatis contractibus 6. caſu principali, eamque ſententiam fundant in d. ca. Ad noſtram, vbi Pontifex

tifex ex his duobus præſumit contractum vſurarium. Alij requirunt præterea quod emptor etiam ſit ſolitus fœnerari. Conrard. de contractib. quæſt. 84. conclu. 3. Anchar. & Cardinalis in d.c. Ad noſtram. Ambroſ. à Vignate in c. Salubriter de vſur. numer. 107. Laurent. à Rodulphis in ca. Conſuluit in 2. part. quæſt. 60. Cæpol. loco cit. numer. 108. conclu. 2. Hugo, Archidiac. & Turrecrem. ſecuti Reimundum 14. q. 3. cap. Plerique Cynus. Salycet. & Paul. Caſtren. in L. Emptione Cod. Plus valere, quod agitur. Decius conſ. 167. & plurimos pro hac ſententia adducũt Andr. Tyraq. libr. 2. de vtroque retractu in præfat. num. 5. Boër. & Decius vbi ſupra, & hæc ſentẽtia maiorem numerum habet pro ſe vt oſtendunt Tyraq. & Hieron. Cagnol. in L. 2. C. de pact. inter emptor. & vend. Hancque opinionem communem exiſtimat, Alexand. in conſil. 109. col. vltim. lib. 4. Philip. Corneus conſil. 4. lib. 1. Cæpol. loc. cit. Anton. Burgen. in d. c. Ad noſtram. Tyraq. d. num. 5. & alij alibi.

*Octaua Concluſio.* Quando contractus cum pacto de retrouendendo iudicandus ſit vſurarius determinabitur boni & diſcreti iudicis arbitrio, qui ex varijs coniecturis & circumſtantijs occurrentibus iudicium ſuum diriget. Philip. Corneus in d. conſ. 4. & Couarr. libr. 3. var. reſol. capit. 8. numer. 4.

Poſſet

Poſſet enim quandoque modicitas pretij interuenire, & non præſumeretur contractus ſimulatus, vtpote ſi emptor bona fide rem emeret cum pacto de retrouendendo, ignarus iuſti pretij. Vnde quando huiuſmodi pactum fieret à ruſtico ſimplici, aut muliere, non ita facile præſumeretur contractus vſurarius, ac ſi ab alio exercitato in contractibus iuxta doctrinam Baldi in L. cum allegas. C. de Vſur. quem alij ſequuntur. Tyraquel. loco allegato. Et Ioannes Baptiſta Lupus Geminianus in commentario ſecundo de Vſur. & illicitis contractibus. §. 1. numer. 34. ponunt coniecturas, ex quibus Iudex ſuum iudicium inſtruere poteſt.

*Nona Concluſio.* Communis eſt ſententia pactum de retrouẽdendo eſſe illicitũ, quando intercedit pactum, quod in redemptione maius detur pretium, quam in emptione datum Sanct. Antonin. 2. parte titul. 1. capit. 8. §. 8. Conrardus de contractibus. quæſtion. 84. concluſ. 4. Angel. in verb. Vſura 1. nume. 66. Sylueſt. eodem verb. 2. quæſtion. 15. Guido Papa in tractat. de vſur. numer. 18. Ambroſius de Vignate ſuper capit. Salubriter à numer. 109. Nauarr. in Man. confeſſar. cap. 17. numer. 248. Contra hanc communem concluſionem tenet Ioannes Medina putãs eam tantum veram eſſe, quantum ad præſumendum ex capit. Illo vos de pignoribus,

& non

& non in conſcientia. Sed concluſio ſufficiennter ex æquitate iuſtitiæ commutatiuæ probatur, quæ requirit vt in emptione & venditione, par ſit conditio vendentis & ementis. Quare rectiſſimè in inſtrumentis talis venditionis, conditio adiungitur vt eodem pretio debeat redimi. Et ſi non exprimeretur, ſubintelligeretur tamen expreſſa. Quia quæ natura contractui inſunt, appoſita eſſe cenſentur: Et quæ conuentionibus ex conſuetudine ſolent adijci, pro adiectis & expreſſis habentur. L. finale C. de fideiuſſ. L. Quod ſi nolit §. Qui aſſidua ff. de ædilit. edictione. L. ex empto ff. de action. emptione. c. Cum M. de conſtitutione, Abbas. Feli. Bald. & alij ibidem.

*Decima Concluſio.* Quando emptor bona fide rem emptam meliorem fecit neceſſarijs expenſis, poteſt maius pretium pro moderatione meliorationis repetere, nec cenſebitur vſuraria petitio. In hac concluſione conſentit etiam Medina. Quia tum intrinſecè expenſis rem meliorem fecit etiam in commodum venditoris, ſi redimere velit, & res melior reddita iuſtè maioris redimitur, quam ſit empta.

Dixi in concluſione (bona fide) Quoniam ſi emptor in fraudem venditoris magnas expenſas in re empta faceret, ne

eſſet

eſſet locus redemptioni ob inopiam venditoris, qui non eſt ſufficiens ad refuſionem magnæ ſummæ, grauiſſimè peccaret, cum fraude & dolo proximnm in negocio circumueniret, nec eas expenſas in foro fori recuperaret vt docent. Alber. de Roſate in L. Intra vtile §. vendentibus ff. de minoribus Boërius in deciſ. 47. num. 10. Tyraq. lib. 2. de retractu §. 7. Gloſſ. 1. numer. 5. & alij alibi. Et niſi hoc eſſet, . daretur occaſio decipiendi proximos. Et grauiter quandoque peccant potentes in hac re: Qui quando bona aliorum hac via, aut locatione, aut amodiatione acquiſiuerunt, maximas & ſibi vtiles faciunt expenſas in rebus, ita vt exceſſum intercludant infirmioribus in rebus fortunæ; Cum ſummam capitalem & ſimul expenſas refundere non valeant. Niſi neceſſariæ expenſæ pro conſeruatione rei in ſuo ſtatu impendendæ ſunt ſine conſenſu & voluntate eius, qui habet intereſſe & acceſſum ad rem. De recuperatione expenſarum latè agit. Tyraq. d. §. 7.

*Vndecima Concluſio.* Pactum de retrouendendo diminuit iuſtum pretium, ita vt res minoris æſtimetur, quam ſi ſimpliciter & ſine tali pacto venderetur: & ſic cum hoc pactum in fauorem venditoris apponatur pars pretij cenſetur. Conrard. in d. quæſt. 84. conclu. Gerſon de contractib. part. 2. cnnſideratio-

deratione 8. Maior in 4.d.15.quæſt.34. prope finem. Angel.& Sylueſt. loco citat. Caietanus 2.2.quæſt.77.artic.1. Panorm. Anton. Burgen. & alij in d.cap.Ad noſtram.Bald. in conſil. 164. incip. Maritus fuit conceſſus, in fine lib.5.Decius conſil.167.incip. In cauſa, quæ coram num.2.& conſ.308.incip. In caſu ad nos tranſmiſſo. Bertrand. in conſ.168. incip. Illud eſt certum numer.3.lib.1. Philip. Corneus in conſ. 241.incip. Cum quo præmittendum eſt,in L.N. libr.1.& ſic communiter DD. fundant hanc concluſionem in L. fundi partem ff.de contrah.emptio.Gerſon rectè ait. Sicut tanto pluris res valet, quanto ius & dominium pinguius vberiuſque transfertur: Ita è diuerſo eo minoris valet, quo tenuius infirmiuſque transfertur: Ad quod probandum adducit illud Leuit. 25. Quanto minus tempus numeraueris, tanto minus emptori conſtabit. Certum eſt ob onus & pactum in venditione appoſitũ, aut alias rei adiunctum rem minori pretio vendi ex d.L.Fundi partem, vbi dicitur. Vilius fundum vendidiſti. Gloſſ. & Bald. ibidem.Panormitan.Felin.& Immolen.in cap. Cum Ioannes de fide inſtrument.Ex his cõſtat erraſſe Guidonem Papam in deciſione Delphinali 516. qui dicit contractum ob id cenſeri illicitum, quod propter gratiam redemptiuam res minoris ematur, vt eum al-

legat & taxat Tyraquel. vbi ſupra. num. 21. in præfat. Dicta concluſio limitanda cum Anton. Burgen. in d. cap. Ad noſtram, colum. 13. verſ. Et quod multi in hoc errant, quem ſequitur Tyraquel. nu. 26. loc. cit. quod procedat in pacto reuendendi liber ipſi venditori, ita vt poſſit ſtatim, quando voluerit pro ſua voluntate redimere: Secus ſi non poſſit, niſi poſt aliquod tempus: tunc enim ob hoc pactum res non cenſetur minoris valere.

*Duodecima Concluſio.* Si res vendatur cum pacto de retrouendendo, ita vt facultas libera & perpetua ſit redimendi, iuſtè poteſt demi quarta pars pretij totius, aut ad ſummum tertia, nec vltra tertiam partem eſt admittēda diminutio iuſti pretij. Carol. Molin. de commerc. nume. 267. Didac. l. 3. variar. reſol. c. 10. num. 1. prope finem. Pro qua ſententia hi Doctores allegant Socyn. in conſ. 15. col. vlt. lib. 1. qui dicit, quod quæ valent 100. ſine hoc pacto, & abſolutè, ſeptuaginta tantum valent, ſi cum eodē pacto emantur. Si tamen taxatum ſtatutis, aut conſuetudine prouinciæ pretium ſit, illi ſtandum eſt. Aliâs arbitrio bonorum virorum diſcernendum eſt.

*Decimatertia Concluſio.* Venditio fundi, aut agri, aut alterius rei immobilis non eſt iniuſta, aut vſuraria præciſè ex hoc, quod emptor determinat tempus redemptionis

in hunc ſenſum infra quod redimere poſſit, & non poſtea amplius. Exempli gratia. Emo à te fundum cum pacto vt redimas infra ſex annos, hoc ſi non feceris, nō habebis facultatem redimendi. Conrard. de contractibus quæſtio. 83. conclu. 8. Ioannes Medina in C. de rebus per vſuram acquiſ. quæſtio. 15. Nauarr. in Manuali confeſſar. capit. 17. numero 249. & alij alibi. Et probatur Leuit. 25. Dominus diſpoſuit, vt ſi quis venderet domum intra muros, poſſet eam redimere primo anno, euoluto vero illo anno, non poſſit redimi domus, nec etiam in Iubilæo rediret ad venditorem: Si autem determinatio temporis ex ſua natura vitioſa eſſet, Deus non decreuiſſet eam adijciendam eſſe. Deinde res tanto maioris eſt obligationis, quanto magis redimendi facultas reſtricta fuerit. Poteſt autem redimendi facultas reſtringi. Si enim licet rem ſimpliciter ſine vlla ſpe redemptionis emere, quid impedit, quo minus id fieri poſſit cum pacto, vt liceat pro aliquo tempore, & poſtea non, modo ſeruetur iuſtitia in pretio. Quia in hoc caſu maius dandum eſt pretium, quam ſi ſimpliciter venditori competat omni tempore pro ſua commoditate redemptio. Dictum in cōcluſione (præcisè) Quia fieri poſſet, quod ex alijs pactis, & conditionibus cōtractus vſurarius præſumatur.

Dubium circa materiam huius cõcluſionis. An venditor tunc infra tempus prĕſtitutum poſſit omni tempore redimere, an tantum in fine vltimi anni. Reſpondetur, quando expreſſum eſt in pacto, tunc ſeruandum eſt. Si vero dictum, vt infra 10. aut 12. annos fiat reuenditio, poterit redimere quocunque tempore infra dictos annos. Si autem dictum, vt poſſit redimere in decem annis eodem modo dicendum, ſicut in ſecundo caſu: Licet Guido Papa in deciſione Delphinali. 516. citatus à Tyraquel. loco citat. numer. 64. aliter ſentiat: aut poſitum fuit quod 10. vel 12. anno poſſit redimere, & tunc 10. aut 12. annum ſignificat vt rectè Tyraquel. tradit.

*Decimaquarta Concluſio.* Venditio cum pacto de retrouendendo non redditur vſuraria præcisè ex pacto, quod res non poſſit redimi niſi poſt certum tempus, exempli gratia, poſt decennium. Conrard. q. d. Angel. in verb. Vſura. §. 67. Sylueſt. eod. verb. 2. quæſtion. 15. Cæpola de ſimulatis contractibus præſumpt. 10. Fabian. de monte S. Sabini in tractat. de empt. & vendit. quæſt. 7. principali. nume. 8. Andr. Tyraq. lib. 2. de retractu. in §. A. tel. temps. Gloſſ. 5. à nume. 66. qui alios plures in hanc ſententiam adducit. Si quis objiciat cap. Ad noſtram de empt. & vendit. quod eſt fundamentum aliorum, qui huic conclu-

concluſioni contrarium ſentire videntur. Vbi ſic dicitur. Ad noſtram noueris audientiam perueniſſe, quod cum R. laicus lator præſentium ab. M. mutuum recipere voluiſſet. Creditor ne per Canonem contra vſurarios editum poſſet in poſterum conueniri, domos & oliuas recepit ab eodem titulo emptionis: Cum reuera contractus vſurarius ageretur: quod patet ex eo, quod creditor debitori promiſit, quod quandocunque à ſeptennio vſque ad nouennium daret 60. vncias tarenorum, quæ vix dimediam iuſti pretij contingebant, domos eius reſtitueret & oliuas. Quia igitur fraus & dolus cuiquam patrocinari non debent. Mandamus quatenus ſi res ita ſe habet, &c. Ex hoc cap. videtur, quod quando pactum apponitur de recuperanda re poſt certum tempus, contractus ſit vſurarius & illicitus. Quia Pontifex in fine cap. vult contra huiuſmodi procedendum ad pœnam à Lateran. Conc. contra vſurarios promulgatam. Reſpondetur, quod in d. cap. Ad noſtram, cum determinatione temporis ponitur modicitas pretij; & alia quæ ſimul iuncta contractum faciunt præſumi vſurarium, non autem præciſè determinatio temporis, & ſic intelligendi DD. qui contrarium ſentire videntur vt Cæpola. Tyraquel. & alij conciliant. Vnum tamen obſeruandum, aliquos Do-

ctores tenere hanc concluſionem ſe non extendere, niſi ad 30.annos,ita vt tempus præſtitutum redemptioni non excedat 30. annos. Pro hac limitatione Tyraq.loco citat. nume.68. allegat Ioan. Fabrum L.vlt. C.de pact. pignorat. Gloſſ. Petrum à Bella Pertica & Cyn.ibidem. Angel.& Alexand.in Leg. Qui Romæ,in princip.ff.de verbor. obligationib. De qua limitatione, in foro conſciẽtiæ,& etiam exteriori multum dubito: Nam rationes, quæ perſuadent, quod liceat pactum ponere,vt nõ redimatur, niſi poſt nouennium,vrgent etiam vt valeat pactum nõ redimendi niſi poſt triginta, ſi ſimpliciter ſtemus in determinatione temporis, modo æquitas in pretio ſeruetur pro oneris quantitate.

*Decimaquinta Concluſio.* Si aliæ præſumptiones coniungantur cum dicto pacto, ſiue determinatione temporis facilius, in foro exteriori præſumitur contractus vſurarius, quam ſi ſimpliciter ſine præfinitione temporis pactum appoſitum eſſet. Quia ita contrahens, ſi aliæ adſint præſumptiones videtur in virtute facere contractum pignoris, vt percipiat tempore ſtatuto fructus, & non teneatur computare in ſortem. Hæc concluſio eſt communis DD.in d.capit. Ad noſtram. Et inibi fundatur. Ambroſius de Vignate in cap. Salubriter numer. 116. Cæp.

Fabian.

Fabian de monte Sabini Tyraquel. loco cit. Couarr. lib. 3. cap. 8. numero 8. Panormitan. in conſil. 69. incipien. Caſus in his terminis libr. 2. Andr. Barbat. in conſ. 76. incip. Illud in medium colum. 1. & 2. libr. 3. Philip. Corn. in conſ. 347. incip. Viſa copia petitionis col. 5. lib. 1. Dictum in foro exteriori, quia præſumptionibus non eſt locus in foro conſcientiæ.

*Decimaſexta Concluſio.* Quando emens cum pacto de reuendendo ſumptibus proprijs vult meliorem reddere poſſeſſionem: aut impinguare, modo abſit fraus, poteſt apponere pactum, vt infra tempus, quo veriſimiliter ſuę indemnitati conſulat, non redimatur. Angel. in verbo. Vſura 1. numero 67. Sylueſt. eodem verb. 2. quæſtio. 15. Ratio, quia licitum eſt vnicuique ſuæ indemnitati conſulere abſque alterius damno, & in hoc caſu præſupponitur, quod iuſto pretio conſiderato venditionis genere emerit, & dicta clauſula, quando bona fide & recta intentione apponitur, non eſt iniuſta.

*Decimaſeptima Concluſio.* Quando certum tempus pactioni de reuendendo non eſt adiectum, ſed ſimpliciter conuentum, venditorem poſſe rem venditam redimere reſtituto pretio venditionis, tunc facultati redimendi præſcribitur ſpacium triginta

annorum.In hac concluſione non comprehēdimus emptionem annuorum redituum cum pacto de reuendendo ; Nam eius alia ratio eſt. Hanc concluſionem tenent. Angel. in conſ. 55.incip. Ex pacto de retrouendendo. Alexand. in conſ.228.incip. Ponderatis his, quæ ſerioſe, colum.fin. lib. 6. Bald. in conſ. 303. incip. Ad euidentiam præmittendum.lib.1.Decius in conſ. 164. incipien. Non fuiſſet propoſiti mei.Franciſc. Bald. in tract.de prę ſcript.in 3.quæſtion.4.par.5.par. principalis. Iaſon. in L.petens C. de pactis. nume.10.& alij alibi.& horum opinio communis eſt auctoribus Balbo loco cita. Franciſco Purpurato in dict. L. Petens. Antonio Rubeo in conſil.3. numer. 7.qui plurimos DD.pro hac ſententia adducit. Eandem etiam communem atteſtantur Didac. libr. 1. variar. reſolut.cap.9.num. 1. Ioannes Baptiſta Lupus in commentario 2.de vſur.§.3.numer. 98. & Andr. Tyraq. libr. 2. de vtroque retractu. §.1.Gloſſa 2. maximè num. 7. inultis allegationibus oſtendit.Rationes aliquot pro hac concluſione à communi adferuntur. Prima, vt euitetur infinitas, id eſt, ne in infinitū emptor maneat obligatus ad reuēdendum,contra L. Si quis vina §.vltim.ff.de pericul. & commend. rei vendit. & L. Qui bona §.fina. ff.de damn. infect. Natura infinitum vitare ſolet, vt etiam ſcribit Ariſtot.

lib.1.

libro primo, de generatione animalium cap.11.

Secunda ratio. Præſcriptio triginta annorum eſt odioſa, ideoq; ei renunciari non poteſt, vt notat. Bart. L. Nemo d. L. 1. has rationes tangit Bald. in conſ. d.

Tertia præcipua ratio. Ius iſtud, quo emptor cogitur priori venditori rem ipſam vẽdere, competit venditori actione quadam perſonali, quæ tollitur triginta annorum ſpacio L. Sicut in rem C. de præſcript. igitur his elapſis non poterit venditor actionem ipſam in iudicium adducere, ſed excludi poteſt exceptione legitimæ præſcriptionis. Contra communem opinionem, non deſunt auctores probati Fabian. de monte. S. Sabini de empt. 3. quæſtion. 7. quæſtionis principalis. Andr. Barbat. in conſ. 51. nume. 9. libr. 1. & conſ. 22. dub. vltim. libr. 4. Andr. Alciat. in Rubr. de præſcript. num. 74. Chaſſanæus in conſuet. Burgund. Rubr. 5. §. 1. & alij alibi. Harum rationes proponit, & pro parte ſoluit Couarru. loco citat. Quicquid de communi opinione ſit in foro exteriori, niſi limitetur, in foro conſcientiæ de eius veritate dubito. Limitationes autem innuũt Purpur. Couarru. loc. citat. numer. 6. & alij alibi.

*Decimaoctaua Concluſio.* Quando in inſtrumento venditionis & emptionis cum pacto

de retrouendendo expreſſe dictum& appoſitum eſt, quod venditor poſſit redimere quandocunque, vel toties, quoties voluerit, vel ſemper, & in perpetuum, &c. vt fieri cõtingit: An tunc facultati redimendi præſcribi poſſit triginta annorum præſcriptione, problema eſſe poteſt apud Iuriſperitos. Probatur Concluſio. Quia pro vtraque parte ſunt graues auctores, quibus non etiam rationes probabiles deſunt. Quod tali facultati etiam poſſit præſcribi tempore 30. annorum ſentiunt. Bald. in d. conſ. ad euidentiam. Vbi ponit rationes duas priores pro præcedenti concluſione poſitas. Signorolus de Homodæis in conſ. 139. incipien. Caſus. A pretio. Paulus Caſtrenſis in conſil. 430. incip. Circa primum quæſitum lib. 2. Angel. in d. conſ. 55. Anton. Rub. in d. conſ. 3. & in conſ. 75. Iaſon in dict. Leg. petens. Nicolaus Boër. in deciſ. 182. & dicit ita in Curijs obſeruari, & Tyraquellus in d. Gloſſ. 2. à numero 6. plurimos adfert DD. pro hac ſententia & numero 26. dicit ſic deciſum eſſe Anno Domini 1515. die 23. Iunij à ſenatu Pariſienſi. Pro eadem ſententia plurimos congerit Anto. Gabrielius Roman. libro quinto, communium concluſionum concluſ. 6. in titulo de præſcriptione. Contrariam ſententiam, quod conceptis verbis ſupra poſitis ſemper ſit locus redemptioni etiam poſt

triginta

triginta annos tradunt. Fabian. de Sanct. Sabino. Barbat. Chaſſanæus, Alciat. loco citat. & alij quos ad longum allegat Tyraquel. vbi ſupra numero 15. & Boërius, & ſecundum hanc ſententiam Chaſſanæus dicit iudicatum fuiſſe in curia Parlamenti Burgundiæ. Prior ſententia communior & receptior eſt, & ab ea minimè recedendum. Argumenta ad longum pro vtraque opinione adfert Tyraquellus & etiam ſolui poſſunt ex eis, quæ ipſe & Couarru. ponunt, quare lectorem remitto. Ex dictis facile deſumi poteſt declaratio ſimilis dubitationis, quid iudicandum, quando pro more aliquarum prouinciarum, dantur literæ reuerſales venditori ab emptore, an etiam contra eas detur præſcriptio? ſupra qua dubitatione quandoque in vtramque partem occurrerunt argumenta. Poſtremò circa dictam concluſionem id annotandum eſt, quod quando conſuetudo loci, aut patriæ interpretatur contractum de retrouendendo cōceptum ſub prædictis verbis, non eſt locus dubitationi. Quia cum conſuetudo ſit interpres contractuum & ſtatutorum, eidem ſtandum eſt.

*Decimanona Concluſio.* Quando præter pactum de reuendendo contractus dicitur, aut eſt vſurarius, alio modo, tunc nullo modo etiam vllo tempore eſt locus præſcriptioni.

Purpu-

ſcriptum.Purpurat.& Decius in d.L.Petens de pactis.Gerard.de Petra ſaucta ſing.18.incip. Nota diligenter. colum.1. Franſc. Balb. de præſcript.in 3.q.4.part.5. partis principalis.Tyraq.vbi ſupra à nu.31.multis comprobat,& Anton. Gabriel. lib.5.commun.concluſ.tit.de præſcript.conclu.6.nu.12.&communem vult eſſe opinionem Alexan. in cõſil.4.colum.1.& 2.lib.3.quod quando præter pactum retrouendendi modicitas pretij interuenit,ratione cuius dicitur contractus ſimulatus,quod non poſſit præſcribi : Atque hoc fit propter periculum animæ,quod tanto grauius, quando diuturnius eſſe dignoſcitur cap.fin.de conſuetud. Huic rationi accedit, quod contractus reprobatus non tribuit iuſtam præſcribendi cauſam.c. Dudum 1.de decim. L. Quemadmodum C. de agric. & cenſ.lib.11.DD.in c.1.de præſcrip.in 6. Alexan.qui alios allegat,in addit.ad Bart.in L. Celſus ff.de vſucap.Archi.in c.Quia cognouimus 10.q.3.Card.Alexan.in Clem.1.§.1.de reb.Eccle.non alien.Tyraq.vbi ſupra. num. 33.& alij alibi.

*Vigeſima Concluſio.* Pactum de retrouendendo tranſit ad vtriuſque partis ſcilicet vẽdentis & ementis hæredes; Ita quod hæredes venditoris admittantur ad retrahendum vi talis pacti, & hæredes emptoris teneantur admittere retractum,L.Si pactum ff.de probat.

bat. Gloſſ. Bart. Bald. & Ange. cum alijs in L. 2. C. de pact. inter empt. & vendit. Decius in conſ. 680. incip. In cauſa feudali. Bal. in conſ. 70. incip. Apparent quædam inſtrumenta col. vlt. lib. 1. Paul. Caſtrenſ. conſ. 306. Quanquam longa libr. 2. Bertrand. conſ. 15. incip. Viſis inſtrumentis, prope finem. lib. 2. Boër. in deciſ. 182. num. 21. Tyraq. d. lib. 2. Gloſſ. 6. nu. 1. & hæc eſt communis ſententia. Quod verum eſt etiam ſi de hæredibus mentio in inſtrumento non fiat, vt DD. tradunt. Quia ex natura talis pacti ineſt. Et quæ de natura inſunt pro expreſsis habentur. Multa de materia pacti de reuendendo tractant Tyraq. li. d. & Cæpol. de ſimulatis contractib. quos lector videre poterit.

## QVÆSTIO. VIII.

*An princeps, Reſpublica, aut ciuitas tempore belli, ſiue alterius neceſsitatis quando pecunijs indiget, poſsit cogere diuites ſubditos ad ſubueniendum ſibi, ita vt ipſis certi aliquid dent ſingulis annis vt 5. aut 6. de 100?*

HAnc quæſtionem tractant D. Anton. 2. par. titul. 1. capit. 11. latè, Conrard. de contractibus q. 44. & 45. Gabr. in 4. d. 15. qu. 11. articul. 3. dub. 7. Summiſtæ in verb. Vſura Canoniſtæ in hoc cap. Laurent. à Rodulph. in c.

in ca. Conſuluit de vſur. vltima parte, prope finem.

Quæſtio duo quærit. Primum an Princeps vel Reſpublica poſſit ciues ad hoc compellere: Secundum. An ciues, aut ſubditi ſic coacti ad prꝑſtandum, poſſint ſine vitio vſuræ ſecurè in conſcientia 5. aut 6. pro more patriæ accipere. Olim apud Doctores hæc quæſtio multum fuit agitata præſertim in Italia Venetijs. Florentiæ & Genuæ, vt conſtat ex Laurentio à Rodulphis. S. Antonino, Ioan. Anania, & Petro Ancharano in diſputatione quadam, quæ incipit. Antiquis & modernis temporibus viri Catholici: in qua ex profeſſo hanc materiam tractauit, cuius ſummam in hoc cap. Anan. repetit. Cenſus, qui à ciuitate, aut Republic. ratione pecuniarum ſingulis annis ſoluebantur diuerſo modo in diuerſis locis nominantur. Venetijs impreſtita; Florentiæ denarij montis, & Genuæ loca vocantur. Quia hic contractus non eſt multum in vſu modernis temporibus apud nos, & ſatis apud alios quæſtio tractata eſt, vt ordo ſeruetur breuius reſoluetur.

*Prima Concluſio.* Reſpublica, vel Princeps pro publica neceſſitate poteſt ſubditos cogere ad mutuandum. Dictum (pro publica neceſſitate (Quia ſi Reſpub. aut princeps non indigeret, ſed fieret pro priuatis com-

commodis, aut vanitatibus, grauiſſimum committeretur peccatum. Subditi enim nō ſunt grauandi ſine neceſſitate. Intereſt Reipub. ne mēbra ex actionibus & grauaminibus exhauriantur, vt in neceſſitate ſubuenire valeant. In concluſione conueniunt Doctores & probatur. Reſpublica aut Princeps poteſt collectare ſubditos pro neceſſitate publica L. omnes 2. Cod. de operibus publi. & hoc modo poſſit extorquere. Item poſſunt cogi ad vendendas res fauore Reipubl. tempore caritatis annonæ & neceſſitatis. Angel. in verb. Emption. Syluest. in eodem verb. quæſtio. 5. Panormitanus cum alijs in capit. 1. de emptio. Ad id facit text. in L. 1. Cod. de Epiſcop. Bartol. & alij ibidem. Imo tempore inopiæ & publicæ neceſſitatis poſſit abundans cogi ad vendendum merces neceſſarias Reipublic. viliori pretio. Bartol. in L. 1. §. Cura carnis ff. de offic. præfecti Vrbis. Alexander in conſilio incipienti. Maturè colum. 2. libro ſecundo. Andreas Tyraquellus libro primo, de vtroque retractu in præfatione numero 28. Couarru. libro 2. variarum reſolut. capit. 3. numero 5. Menoch. libro 2. de arbitr. Iud. qq. caſu 462. numer. 13. & alij alibi. Id tamen intelligendum infra latitudinem iuſti pretij, vt Couar. declarat, niſi etiam ſit publica neceſſitas

non

non ſolum quantum ad ipſam rerum penuriam, ſed etiam quantum ad pretium rerum ſcilicet pecuniam. Idem probari poteſt quaſi ex iure naturali. Naturale eſt in corpore, vt quando graue aliquod malum corpori imminet, quodlibet membrum ſe opponat etiam cum periculo propriæ ſalutis. Vnde verſiculus ille. Vt corpus redimas, ferrũ patieris & ignem. Eſt autem Reſpublica corpus polyticum, ſinguli autem eius membra. Ergo in neceſſitate quilibet pro ſuo poſſe debet ſubuenire.

*Secunda Concluſio.* Quæ ex prima infertur. Reſpublica vel Princeps poteſt in neceſſitate graui ſubditos diuites & abundantes cogere ad ſubueniẽdum ſub annuo cenſu poſito ſuper vectigalibus, tributis, aut alijs reditibus. probatur Conc. Si poteſt in neceſſitate cogere ad mutuãdum, aut etiam per exactiones: multo fortius poteſt compellere ad dandum ſub annuo cenſu, quo modo etiam priuatis iuſtè ſuccurrerent. In hac concluſione non eſt controuerſia.

*Tertia Concluſio.* Diuites ciues, aut ſubditi, ſic conferentes in neceſſitate Reipub. aut principi, licitè annuè recipiant 5. aut 6. pro more, aut ſtatuto patriæ pro 100. collatis & non committunt vſuram. Probatur concluſio. In tali contractu non interuenit mutuum. Ergo non eſt vſura. Antecedens pro-

probatur, de ratione mutui eſt, quod ſors poteſt repeti. At in hoc contractu ciues non poſſunt reuocare pro ſua voluntate ſortem, vt omnes fatentur. Reſpub. autem, vel princeps poteſt ſe liberare, quando placuerit. Eſt ergo hic contractus in virtute emptionis & venditionis redituum cum pacto de retrouendendo. Neque refert, quod ſic conferētes nominent mutuum. Quia in contractibus diſcernendis non tam verba, quam natura, & pacta contractus attendenda, vt in 10. notab. Rubr. probatum eſt.

*Quarta Concluſio.* Si princeps, aut Reſpu. in neceſſitate cogeret ſubditos & ciues ad mutuandum, ita quod poſſent ſortem reuocare, tales ciues ratione mutui nihil poſſent vltra ſortem capitalem percipere, ſine labe vſuræ. Quia quod ratione mutui vltra ſortem accipitur vſura eſt 14. q. 3. cap. Si fœneraueris. & cap. Plerique. Dictum ratione mutui, quoniam ſi paterētur intereſſe damni emergentis, aut lucri ceſſantis, tantum iuſtè acciperent, in quantum tale intereſſe in rei veritate ceſſantibus fraude & dolo, ſe extenderet. Eadem eſt ratio, ſi Reſpublica, aut princeps liberè & ſyncerè annuatim aliquid donaret, modo intentio recta eſſet, quod non cauſa mutui, ſed loco gratuiti doni acciperent.

*Quinta Concluſio.* Alius iuſtè ſine vſura

quando pura eſt intentio, poteſt emere conciuis ſui impreſtita. Probatur. Talis annuus reditus eſt merx omnium iudicio. Ergo qui habet eum iam cōſtitutum poteſt eum vendere, & alius rectè emere valet.

## QVÆSTIO. IX.

*De generalibus quibuſdam, quæ materiæ de cenſibus, præmittenda ſunt.*

*Quid nomine cenſus ſignificetur; quotuplex: & quæ ad eius naturam ſpectent?*

QVoniam in hoc c. In ciuitate, Doctores canonum tractant de materia cēſuum ſiue redituum, quæ ampliſſima, & in praxi frequentiſſima eſt; latius tam ex Theologorum, quam Iuriſperitorum doctrina ſtatui de cēſibus tractare. Quamobrem altius volui præmittere in hac quæſtione, quæ ſpectant ad cognitionem ſequentium.

Nomen cenſus, vt à capite initium petatur varias apud auctores habet ſignificationes. In primis dicitur æſtimatio facultatum & bonorum, ſecundum quam tributa pendebantur, & ſic cenſus dictus à cenſendo, id eſt æſtimando L. Vitia & L. forma ff. de Cenſibus & L. 2. & 3. Cod. de Cenſi. libr. 11. Cenſus pręterea accipitur pro tributo, quod pro capite exigitur: Hunc autem morem

viritim

viritim pro capite cenſendi ciues & ſubditos in primis in Rempublic. induxit Rex Seruius Tullius, Auctorib. Tito Liuio lib. 1. ab vrbe condit. Decade 1. & Dionyſio libro 4. Hic autem mos cenſendi duas vtilitates Reipublic. adferebat. Numerum eorum, qui ad arma ferenda apti erant, notum reddebat. Et pecuniæ magnitudinem, cui belli neruus inſiſtit, oſtendebat. Denique vt alias ſignificationes omittamus, in iure pontificio cẽſus dicitur contractus, quo habens rei plenum dominium, eam alteri tradit, quoad vtile & directum reſeruata ſibi aliqua parte fructuum, vel aliqua pecunia annuatim ſoluenda cap. Conſtitutus de religioſ. domib. & DD. ibidem, & hic dicitur reſeruatiuus, vt infra patebit, nec de hoc cenſu noſtra quæſtio loquitur.

Alio modo cenſus vocatur penſio rei, quæ ſoluitur de fructibus, aut prouentibus rei alienæ, vel ius percipiendi hanc penſionem. Et ſic dupliciter accipitur cenſus. Materialiter pro ipſa penſione, quæ ſoluitur: & formaliter pro ipſo iure percipiendi penſionem. Et in hac ſignificatione cenſus alio nomine reditus annuus appellatur à quibuſdam, eo quod ſingulis annis redeat. Vnde patet hoc nomen reditus ſcribendum per ſimplex d. cum deriuetur à redeo, habeatque primam correptam, vt

annotarunt, in primis Calepinus in verb. Reditus. Et deinde Andr. Tyraquellus libr. 1. de vtroque retractu in §. Rentes. Gloſſ. 6. num. 1. & Martin. Nauarrus in Apolog. libri de reditib. Eccleſ. q. 1. monitione 2. Et conſtat ex Illo Ouidij lib. 2. de Ponto. At reditus, quiſque ſuos amat, &c. & lib. 1. amor, Turpe thori reditu cenſus augere paternos. In quibus locis, prima corripitur: Atque hinc repellitur error multorum, qui redditus, ſcribunt quaſi à reddendo, eo quod fructus, quos fundus reddit, annis ſingulis reddantur.

Cenſus varijs modis diuiditur. Ex parte rei ſuper qua fundatur; Ex modo, quo imponitur, & ex re, quæ ſoluitur. Ex parte rei, ſuper qua conſtituitur: Alius eſt realis, qui in re aliqua, vt domo, fundo, &c. inſtitutus eſt: Alius perſonalis, qui fundatur in perſona eiuſque labore ac induſtria.

Realis iterum duplex. Perpetuus, & ad tempus. Perpetuus aut redimibilis, aut irredimibilis. Cenſus ad tempus alius pro determinato tempore & certo, vt ad 20. annos: alius pro incerto & indeterminato tempore, vt ad vitam hominis, quem Vitalitium nominant. Ex modo quo imponitur etiam duplex eſt cenſus. Quidam reſeruatiuus, cum quis data alteri ſua re, aut poſſeſſione reſerſeruat ſibi aliquam partem fructuum, vel

certam

certam pecuniæ quãtitatem ſoluendam ſingulis annis. Alius conſignatiuus quando è contra rem, aut poſſeſſionem retinet apud ſe, & aſſignat alteri in ea aliquos fructus, aut pecuniæ penſionem ſingulis annis ſoluendam. Atque hic notandum, quod illa differentia, quam Gloſſa & Doctores ponunt in cap. Conſtitutus de regioſ. domibus inter cenſum & Emphyteoſin, nempe quod in cenſu in recipientem transferatur dominiũ tam directum, quam vtile. In Emphyteoſi vero non transferatur, niſi vtile, manente directo apud concedentem, intelligatur de cenſu reſeruatiuo: Quia in cenſu conſignatiuo, de quo in præſenti eſt ſermo, percipimus fructum aut pecuniam de re aliena; & hoc bene obſeruarunt Dominicus Sotus libro 6. de iuſtit. & iure. quæſt. 5. art. 1. Ioannes Medina in C. de reb. per vſur. acquiſitis q. 11. & Couarr. lib. 3. variar. reſolut. cap. 7. numer. 1. Ex parte rei, quæ recipitur, aut ſoluitur quidam cenſus dicitur fructuarius, vtpote cum frumenta, vinum, oleum, &c. ſoluuntur. Alter pecuniarius, quando pecunia ſoluitur.

His adiungendum, quod cum dicatur cenſus ius recipiendi, aut ſubleuandi annuam penſionem in fructibus, aut pecunia, quærunt Doctores maximè Theologi, quid nam illud ius ſit, vt videre eſt apud Henri-

cum de Hoitta in tract. de contractibus qui incipicit. Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram. dub. 2. Conrardus de contractibus quæſtion. 72. ſuppoſitione 1. & 2. Gabrielius in 4. d. 15. quæſtio. 12. Ioannes Maior. ead. d. quæſtio. 34. & alios. Ioannes Maior in quæſtio. d. cum ei non placeant relationes reales nec rationis, dicit quod reditus pecuniarij ſunt pecuniæ: reditus vini ſint vina; bladi ſunt blada, & ita de ſimilibus probat. Si eſt aliud reditus ſiue ius illud, aut eſt ſubſtantia: aut accidens: Si ſubſtantia aut corporea, aut incorporea: Sed non poteſt dici, quod ius percipiendi pecuniam, alia ſit quam pecunia: Eodem modo de accidente petetur: Et reſpondens non confugiens ad relationes non poteſt inuenire aliud, & tunc quid dicet Nominalis negans tales relationes: Sed hæc Philoſophia videtur deſtruere ius. Cum Doctores communiter dicant reditum ſiue cenſum eſſe quiddam incorporeũ, vt infra patebit. At vinum in pecunia ſunt res corporeæ. Præterea emit aliquando quis reditum vini, aut frumenti in hyeme, quem ſubleuabit tandem in anno ſequenti, vt experientia compertum eſt. Ergo ius ſubleuandi vinum eſt quid diuerſum à vino. Alij dicunt, quod hoc ius non eſt aliud niſi poteſtas iuſtè recipiendi pecuniam, vel frumentum, &c. Si autem quæratur, quid hæc poteſtas

ſtas ſit, an ſubſtantia, vel accidens. Nominales volunt quod hæc poteſtas nō habet quid rei, ſed nominis. Non enim ſignificat rem vnam, ſed hominem & res aliquas recipiendas: & actum aliquem circa ipſum factum ratione cuius poteſt licitè rem aliquam recipere; vel aliquid agere, vel poſſidere, & ad hoc tale ius valet. Alij putant quod hæc poteſtas non diſtinguatur realiter ab habente poteſtatem, ſicut nec paternitas à patre, & ita eſt realiter habens poteſtatem non ſimpliciter, ſed in quantum per aliquem actum circa ipſum factum poteſt iuſtè recipere aliquid, agere, vel poſſidere. Clarius Conrardus loco citat. explicat. Reditus ſiue ius illud formaliter nihil aliud eſt, niſi quædam relatio; quia ius ſic ſumptum etiam relatio eſt, ſicut dominium cum quo identificatur, talis tamen relatio non eſt realis, ſed rationis ſecundùm doctrinam Scoti in 4. d. 16. quæſtione 2. Quia ſolo actu voluntatis creatæ, aut alterius potentiæ collatiuæ poteſt oriri, ſurgere, vel innaſci alicui. Sic ſolo actu voluntatis expreſſo poteſt alicui oriri ius. Nihil enim ita naturale ſicuti quod voluntate Domini res in alium transferatur. Hoc pacto in propoſito ſequitur, quod ius cenſus ſiue reditus transfertur in alium per hoc quod vendens vult pro pecunia in ementem transferre, & emens conſentit

acceptare. Eſt autem reditus ſubiectiuè in aliquo, & in aliquo etiam terminatiuè, ſicut quælibet relatio ſubiectiuè eſt in eo, cuius eſt, terminatiuè in re, de qua percipiuntur fructus, & hoc verũ, ſi loqui velimus de termino indirecto & remoto, quia ipſi fructus percipiẽdi, ſunt terminus propinquus & directus. Multa de his Conrard. Sed in his breuiter ſubſtantia conſiſtit, quæ potius ſpectãt ad Metaphyſicum, quam Moralem.

Ex dictis intelligitur, quod communiter Doctores in hac materia tradunt, quod hoc ius eſt quid diſtinctum à pecunia, aut frumento, cum ſit incorporeum, formatum & ſeparatum, quod pretio æſtimari poteſt: ſicut Iuriſdictio. Ius tranſeundi per alicuius agrum, ius percipiendi tributum. Quod hinc etiam patet quia reditus ſiue cenſus ad longum tempus computatur inter bona immobilia ſecundùm communem Doctorum ſententiã, per text. optimum in Clem. Exiui §. Cumque annui reditus de verbor. ſignificatio. & in L. Iubemus C. de ſacroſ. Eccl. & L. Si quis inquilinos ff. de legat. 1. Gloſſ. Bartol. Bald. & alij in d. L. Iubemus. Et hanc communem eſſe Doctorum ſententiã multis allegationibus, oſtendunt Andreas Tyraquellus lib. 1. de vtroque retract. §. 1. Gloſſ. 6. à nume. 3. Carolus Molin. de commerc. & & vſur. quæſt. 37. numer. 273. & Andr. Gail lib.

libro 2.practicarum obſeruat,obſer. 10. Hic tamẽ auctor qui practicarum rerum in Imperio fuit obſeruantiſſimus dicit quod in quibuſdam Germaniæ prouincijs & ciuitatibus Imperialibus ſtatuto receptum eſt, vt reditus redimibiles inter mobilia computentur, & eis cedant, quibus ex ſtatuto res mobiles debentur: Quæ ſtatuta & conſuetudines in ſucceſſionibus ex teſtamento, vel ab inteſtato obſeruandæ ſunt L. Imperatores.ff.de pollicit.& L. Venditor §. Si conſtat ff.commun.præd. & in L.An in totum C.de ædificat. priuat. niſi pactis illis derogatum ſit. Quia pacta fieri poſſunt, vt reditus redimibiles non obſtantibus cõſuetudine & ſtatutis computentur inter immobilia, cum hoc iuri conſentaneum ſit, vt ex dictis clarũ eſt. Sed quæret quis, cum dictum ſit quod de iure communi reditus ad longum tempus computentur inter immobilia: Quod nam longum tempus cenſeatur de iure. Reſpondetur quod longum tempus dicitur decem annorum. Gloſſ.in L. Cum de in rem verſo ff.de vſur.in verb.Longo.& in L. filius C. de petend. hæred. & DD. in his LL. Cardin.in d. Clem. Exiui,& alij alibi cõmuniter. Tempus autem perpetuum vocatur, quod eſt triginta annorum Gloſſ.in §.1.Inſtit.de perpet. & tempor.action. Gloſſ.in Authent. Si quis ruinas in verb.dentur C.de ſacroſ. Eccl. Fe-

lin.in ca. Sicut, nu.30.de ſent.excom.Panor. in cap.Nulli.de reb.Eccl.non alienand. Tyraquel. & Gail. loco citat.Vnum tamen obſeruatione dignum occurrit, quod quando dictum annuos reditus inter bona immobilia computari, id non intelligendum de reliquis, id eſt de penſionibus iam debitis ob terminum ſolutionis deuolutum, pro quibus exigendis iam competit actio; Hæ enim penſiones inter bona mobilia referuntur. Bald.in cap.Quæ in Eccleſiarum col.4.verſ. Sed ſtatim quæritur,de conſtitut. Andr. Alciat.in L.Monentium ff. de verbor. ſignific. Carolus Molin.in conſuetud.Pariſien. tit. 1. §.1. Gloſſ.1.num.36.Andr. Tyraq. loc. citat. nu.10.& alij alibi, quos ipſe allegat, & ita refert in practica apud eos obſeruari, & apud multos alios, vt allegationibus diuerſarum conſuetudinum comprobat; interpretandū ergo eſt de reditibus, qui in futurum pendent.In materia cenſuum & redituum multa recolenda ſunt pro eorum iuſtitia ſaluanda, quæ in Rubric. de natura mutui, poſita ſunt.Nunc quoniam ampliſſima eſt materia redituum & cenſuum,frequentiſſimumque in praxi habet vſum ad ſpeciales cenſuum ſpecies deſcendendum eſt.

## QVAESTIO. X.

*An cenſus perſonalis ſit licitus?*

TItulus quæſtionis in hũc etiam modum poni poteſt: An liceat homini particulari puta negociatori induſtrio in ſua perſona cenſum, aut reditum alteri conſtituere. Eadem ratione quæri poteſt. An communitas ſiue ciuitas ſuper ſe alteri cõſtituere cenſum, ita vt non inſtituatur in re aliqua fructifera, poſſit.

In poſterum indifferenter in hac materia accipietur nomen cenſus & reditus pro eodem.

Duæ ſunt Doctorum in hac quæſtione ſententiæ. Vna communis Canoniſtarum & etiam quorundam Theologorum negantium talem cenſum eſſe licitum. Altera quorundam Theologorum affirmãtium eſſe licitum. Hanc tradunt Conrardus de contractibus. quæſtion. 74. & 75. Henric. de Hoitta de contractibus dub. 2. Dominicus Sot. libr. 6. de iuſtit. & iure. quæſt. 5. articu. 1. conclu. 4. Ioannes Medina in C. de reb. per vſur. acqu. quæſt. 11. in Lit. F. Carolus Molin. de commerc. à numero 22. Didac. Couarru. libro 3. variar. reſolut. cap. 7. nu. 5. Hanc ſententiam Henri. de Hoitta. Medina & alij quidam bene moderantur, quod homo in ſua perſona poteſt conſtituere cenſum, & ſe ad obligationem

tionem pẽſionis obligare, ſiue alia bona habeat, ſiue nõ: Modò talis ſit, cui nec vires ad laborãdum, nec induſtria, nec ars ad aliquid acquirendum deſit: Si autem talis ſit, qui nec actu, nec ſpe aut potentia, quicquam habet, vnde penſionem commodè ſoluere poſſit, in tali perſona tanquam in re inutili cenſus conſtitui nequit.

Auctores negantis opinionis in concl. 2. adferentur. Nunc pro reſolutione. ſit.

*Prima Concluſio.* Cenſus perſonalis ex natura ſua abſolutè loquendo eſt licitus. Probatur. Perſona, quæ vires & induſtriam ad laborandum habet, poteſt ſe obligare ad quiddam certum annuè in pecunia dãdum, imo ex pręcepto aliquando homines tenentur ad decimas perſonales. cap. Paſtoralis, de Decimis, & in quibuſdam locis vbi non ſunt aliæ decimæ, obligantur ſoluere perſonales pro neceſſaria ſuſtentatione miniſtrorum Dei, de quibus mentio fit in cap. Apoſtolicę de Decim. Ergo poteſt etiam aliquis alteri cenſum in ſua perſona conſtituere. His addi poteſt, quod aliquis ſæpe alteri, ſuam operã ad annum & annos certo pretio poteſt vendere. Quid ergo impedit quo minus alteri cenſum in ſua perſona conſtituere poſſit? Argumenta, quæ cõtra hanc concluſionem ab alijs adferuntur, ſoluuntur à Conrard. & Medina.

*Secun-*

*Secunda Concluſio.* Moraliter loquendo hic contractus eſt illicitus, & è Republ. repellendus. Hæc eſt communiſſima ſententia Canoniſtarum & Iuriſperitorum omnium fere frequentiſſimo conſenſu recepta vt atteſtantur Martinus Nauarrus in comment. de Vſuris.num.81.& Couarru.loco citat. At eam tenent communiter Canoniſtæ in hoc cap. Innocent. Ioannes Andr. Anton.à Butrio. Anchara. Ioan. Anan. Ioan. à Lignano, Cardinalis & alij. Panormit.in diſput. 5. incipien. Augerio. Laurent.à Rodulphis in ca. Conſuluit.part.2.quæſt.12. S.Anton. 2.part. tit.1.cap.8.§.10. Angel.in verb.Vſura.1.§.78. Nauar.in d.comment.& alibi Ioan. Baptiſta Lup.in comment.2.de Vſur. §.2.à nume. 63. & alij alibi. Probatur hæc ſententia multis à Nauarro.1. Nunquam Chriſtiana Reſpubl. in vſu habuit conſtituere cenſum in libera perſona. Quare tanquam res noua & mali exempli talis cenſus extirpandus, capit. Ex parte de conſuetud.& d.11. ca. Quis neſciat. Deinde Reipub. Romanæ legibus cautum eſt, ne liber homo pignori detur capit. 2. de pignorib. L. Ob æs alienum C.de obligat.& action.L.2.C. Quæ res pignori obligar.poſſint. Sed ius cenſus maius onus eſt quam ius pignoris. Quia per ius pignoris nihil aliud dat debitor quam debiti ſecuritatem, ſed per cenſum ſuam perſonam tributoſubijcit.

His

His addi poteſt, quod contraria ſententia viam præcluderet charitati, & tolleret omne mutuum, eo quod quando quis mutuum peteret, reſponſum ab alio acciperet vt in ſua perſona per modum emptionis conſtitueret cenſum, & ſic facilimè occaſio dabitur conſtituendi cenſus huiuſmodi & tollēdi mutuum charitatis officium. Poſtrema, hæc praxis conſtituendi cenſus perſonales aperiret viam auaris & malis, exercendi & palliandi vſuras ſub colore talium cenſuum. Quare meritò repellitur. Vnde referente Plutarcho in libro de vitanda Vſura in ſimili ob ſimilem rationem fecit Solon, qui videns quod homines propter facilitatem cōſtituendi ius pignoris in ſuis perſonis, inueniebant homines, qui ſibi mutuo ad vſuras darent, & ſe illis onerabant, ſtatuit, vt nemo pignori ſuum corpus ob mutuum acceptum dare poſſet. Multa alia incommoda adfert Nauarr. ob quæ atteſtatur in prætorijs Hiſpaniæ tam ſecularibus præſertim ſupremis, quam Eccleſiaſticis conſtitutum eſſe, cenſum perſonalem verè, vel præſumptiuè ſaltem iudicandum eſſe vſurarium. Atque etiam Pius Quintus eundem cenſum reprobauit per Bullam datam Romæ Anno Domini 1568. 14. Kalend. Februarij, quam inferius commodiori loco inferemus, quoniam multa continet pro iuſtitia cenſuum.

Pro-

Prohibetur autem cenſus perſonalis in d. Bulla ſub his verbis. Hac igitur noſtra conſtitutione ſtatuimus cenſum ſeu annuum reditum creari, conſtituiúe nullo modo poſſe niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de ſui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus deſignata ſit.

*Tertia Concluſio.* Ciuitas, aut communitas libera poteſt ſuper ſe conſtituere cenſum. Hanc concluſionem tenent Henricus de Hoitta in d. tractat. dubitat. 1. non longe à fine & Conrardus d. quæſtione 74. & probatur. Ciuitas ſiue communitas eſt res immobilis, & pro tali habetur, atque etiam perpetua nata fructificare. Quia ſingulis annis percipit fructus, ex agris, tributis, cenſibus & laboribus ſubditorum. Ergo ſicut licitum conſtituere in domo aut prędio: Ita etiam in communitate. Licet enim ciuitas ſiue communitas libera non ſit perpetua in eiſdem perſonis ſingularibus, eſt tamen perpetua per ſucceſſionem & continuationem perſonarum: Sicut etiam dicimus eundem fluuiũ perpetuum non ſecundùm eaſdem numero guttas parteſque aquæ, ſed per ſucceſſionem in eodem loco & alueo. Et hoc latius declaro. In domo etiam ſecundùm Bullam Pij Quinti poteſt conſtitui cenſus, quia habetur

pro

Neque etiam incommoda, quæ comitantur cenſum perſonalem conſtitutum in priuata perſona, locum habent in communitate, aut Ciuitate libera.

## QVÆSTIO. XI.

*An cenſus ad vitam Emptoris conſtitutus ſit licitus, & non vſurarius?*

HVnc cenſum Doctores vocant Vitalitium, quia durat tantum ad vitam vnius hominis, aut duorum prout contrahentes conueniunt. Hic contractus quantum ad temporis durationem eſt incertus; quia etſi mors ſit certiſſima, eius tamen hora incerta eſt.

Vt quæſtio melius intelligatur. Caſus figurãdus eſt. Ioannes iam ætatis virilis pecuniæ ſummam mediocem in promptu habet exempli gratia 1000. aureor. non vult exercere negociationem, nec ducere vxorem, nec religionis vota emittere, cupit tamen ſine cura temporalium viuere & Deo inſeruire ſuaque tranquillitate vacare, timet tamen ne pecunia cum tempore diminuatur. Itaque conuenit cum Abbate & conuentu alicuius monaſterij, & emit à monaſterio pro illis 1000. ad dies vitæ ſuæ 80. annuatim plus, aut minus ad arbitrium bonorum virorum,

virorum, cum conditione vt clauſo fine vitæ ſuæ ſumma capitalis non repetatur, nec vlla amplius penſio ſoluatur, quæritur. An huiuſmodi contractus ſit licitus.

Raymundus & Goffridus, vt referunt Archidiaconus & Turrecrem. in 14. q. 4. ca. Quicunque dixerunt huiuſmodi cõtractus non eſſe licitos. Quia ſic dantes ſperãt multum viuere, & amplius recipere de prouentibus, quam fuerit pecunia data. Vſura autem committitur ſola ſpe. ca. Conſuluit. eo. titu. Henric. de Gandauo quodlib. 1. q. 39. & quodlib. 2. q. 15. putat talem contractum eſſe vſurarium.

*Prima Concluſio.* Quando huiuſmodi contractus fit, debet adeſſe recta intentio, & abeſſe mens mutuandi. Quia hæc in foro conſcientiæ requiruntur, vt contractus ſit licitus.

*Secunda Concluſio.* Cenſus ſiue reditus cõſtitutus ad vitam emptoris, per ſe eſt licitus, nec cenſetur vſurarius. Dictũ (per ſe) Quia ex circumſtantijs poteſt fieri illicitus vtpote ſi non detur iuſtum pretium, aut ſi deſideretur mors ementis, vel alia circumſtantia mala accedat.

Concluſio eſt communis Theologorum & Iuriſperitorum, & in ſpecie eam tradunt S. Antonin. 2. part. titul. 1. cap. 8. §. 11. Henric. de Haſſia in 2. part. de contractib. Conrard.

in qu. 81. Ioannes Maior in 4.d.15.quæſt.34. concluſ.2. Gabrielius in ead. d. quæſtion.12. conclu.3. Sotus libr.6.de iuſtit. & iure quæſt. 5.articul.2.Medina in C.de reb.per vſur.acq. quæſtion.14.Laurent.à Rodulph.in c.Conſuluit.2.part.quæſt.15. Bald. Cynus, Salycet. & alij in L.Si ea pactione C. de vſur. Bald. in conſil.154.incipien. Inſtrumentum ſic dicit libr.2.& conſ.133.incip. Et quod dictus annuus reditus peti poſſit libr.3. & pulchrè in conſ.292.incip. Quia ex facto ius oritur.lib. 5.in quo conſilio quærit. An ſi vir pro ſe & vxore ſua annuum vitalem reditum emiſſet mortuo viro totus annuus reditus ſit dandus vxori: an tantum medietas. Ludouic. Roman.in conſ. 302. incipien. Ego hunc contractum.Oldrad. de ponte conſ.207. incipien. Vniuerſis præſentes literas. Petrus Anchar. in conſ.30. incip. Dubitari ſolet: & ſic communiter Doctores concludunt atteſtante Iaſone in L.Cunctos populos numer. 63.in prima lectura Cod. de ſumm. Trinita. Probatur concluſio. Vbi non eſt mutuum, nec ſaluatur capitale,ibi non poteſt intercedere vſura. Sed hic non eſt mutuum, cum non poſſit repeti capitale, nec ſaluatur ſors, quia mortuo emptore perit. Deinde hic eſt contractus emptionis & venditionis, cum ſit pretium & merx, ſcilicet ius percipiendi annuum reditum ad vitam, & eſt æqualis condi-

conditio venditoris & emptoris: Quia vterque poteſt ſentire commodum, vel incommodum & ambo etiam verſantur in periculo perdendi & acquirendi propter incertitudinem vitæ. Ratione vero incertitudinis eſt licitum, quod aliâs eſſet illicitum, ex text. & DD. in dict. Leg. Si ea pactione, & eſt huiuſmodi contractus ſecundum aliquos Doctores ſimilis emēti fortunam, id eſt iactum retis ff. de action. emptio. L. Si iactum nec conſideranda eſt fortuna, quæ poteſt ſequi, ſed principium contractus L. Soleo Cod. de vſur. Si enim emens primo anno moreretur, lucraretur venditor: Si autem ad multos annos viueret & in penſionibus ſiue reditibus perciperet duplo plus, quam ſors capitalis fuiſſet, ipſe emens commodum reportaret, nec per hoc, quod plus perciperet, contractus redderetur illicitus, quia & in venditione ſucceſſu temporis emens multo plus poteſt percipere, quam dederit pro agro aut fundo aliquo, & in propoſito caſu non eſt mutuum, ſed emptio: Dubium hic eſſe poteſt. Quoniam ad iuſtitiam emptionis & venditionis iuſtum pretium requiritur, quod nam ſit iuſtum pretium in hoc contractu. Varij ſunt in ea re Doctores. Bald. in d. conſ. 292. libro 5. exiſtimat iuſtum pretiū ad vitam duorū, ſi vnus aureus ematur 9. & in d. conſ. 154. lib. 2. conſulit,

valere cenſum conſtitutum ad vitam duorum & cuiuslibet in ſolidum ad rationem vnius annuè pro 10. quia ſoluerunt ſummam 300.aureorum, vt annuè 30.perciperēt, Roman.in d.conſ. Conſuluit pro emptione reditus ad vitam Viri & vxoris ad rationem vnius ferè pro 8. Raphael Cumanus in conſ. 181.incip.proponitur, rectum iudicat ad rationem vnius pro 10. ad vitā patris emptoris, & duorum filiorum quorum vnus erat duorum annorum, alius vero 17. Huic conſilio etiam ſubſcripſit Raphael Fulgoſius. Couar.lib.3.varia.reſol.cap.9.num.7.in fine atteſtatur frequentiſſimè, hos annuos reditus ad vitam ementis conſtitui ad proportionem vnius pro 8.

*Tertia Concluſio.* Quando communibus regionis, aut patriæ ſtatutis aut conſuetudine nihil definitum eſt, ſtādum eſt in taxatione pretij huius cenſus arbitrio bonorum & diſcretorum virorum. Couarr. Maior. Ioannes Medin.& Bald.in d.L.Si ea pactione putat hoc iudicium ſpectare ad iudicē fori Eccleſiaſtici. Iudex autem in arbitrando debet attendere ætatem ementis an iuuenis, vel ſenex. Deinde eius valetudinem ac fortitudinem, complexionem, viuēdi modum, aliaſque qualitates, quæ ſolent vitam hominis, aut prolongare, aut abbreuiare. Et quoniam propter incertitudinē vitæ humanæ de ho-

minis

minis vita nihil certi haberi poteſt, ad coniecturas morales confugiendum eſt.

*Quarta Concluſio.* Emptio reditus vitalitij etiam licita eſt, quàdo in reliquis debitæ circumſtantiæ ſeruantur, ſi fiat ad vitam venditoris, ita quod emptor tanto tempore percipiat penſionem, quanto tempore in viuis venditor erit. Conrard. d. q. 81. concl. 3. Correlatorio 2. Ioan. Medina. Henricus de Haſſia in prima par. de contractib. Imo minus periculi eſt in emptione reditus ad vitã venditoris. Quia ibi non eſt ratio, quod vnus deſideret mortem alterius.

## QVÆSTIO. XII.

*An licitè annui reditus redimibiles in pecunia ſoluendi conſtituantur?*

QVæſtio hæc ſolemnis olim fuit, & multis modis agitata, nec ſuis caruit difficultatibus. Quidam dubitauerunt, vt clarum eſt ex conſtitutionibus Martini Quinti, de Anno Domini 1423. & Calixti Tertij de Anno 1455. quæ ponuntur inter extrauag. communes de emptione & venditione. Deinde aduertẽdum, quod aliter loquendum, de cenſibus & reditibus, quorum mentionẽ faciunt prædictorum Pontificum conſtitutiones. Aliter iudicandum de alijs, quorum

vſus nunc in Italia, maximè in terris, vbi Pōtifex temporalem habet iuriſdictionem: & aliter iudicium ferendum de noſtris cēſibus, quorum vſus frequentiſſimus eſt in Germania. Quoniam diuerſæ ſunt cōditiones omnium horum cenſuum, vt ex ſequentibus clarum erit.

Quoniam autem cenſuum materia hoc tempore maximè in vſu verſatur, dubium eſſe poteſt de noſtris cenſibus, qui magnam affinitatem habere videntur cum veteribus vſuris. Vnde & olim dubitatum fuit de eorum iuſtitia, & noſtris temporibus aliqui nō minimę auctoritatis anxiè inueſtigare ceperunt de hoc contractus genere. Ideo cum non ſolum hi cenſus ſint odioſi multis, ſed etiam in vſu apud bonos; vtile viſum fuit hanc quæſtionem altius diſcutere, in cuius tamen declaratione, Deo volente, efficiam, ne nimis emungendo ſanguinem eliciam, quod quibuſdam noſtro ſeculo contigiſſe, haud ignoro, & ſimul curabo ne habenas laxem, & occaſionem dem vſuras palliandi. Si quæ autem dixero, quæ aliquibus negocijs nimis intentis dura videbuntur, non mirandum: quia auaritia ſæpe excæcat, vt videntes non videant, & intelligentes non intelligant. Oſtendam autem per omnia auctoritate & firmamento rationum mea non diſcordare à maiorum noſtrorum ſentētijs,

quos

quos interrogare iubemur,& à quibus conſilium accipere ſapientiamque diſcere debemus.

Poſtremò difficultatem faciunt, & vſuræ arguunt conſtitutionem cenſuum pecuniariorum cum pacto de reuendendo, aliqua argumenta.

Primum. Primus & principalis pecuniæ vſus eſt, vt per eam cæteræ res æſtimentur, non vt ea ſit ſuiipſius æſtimatio Leg. 2. ff. de contrahend. emptio. Leg. 1. ff. de rerum permut. §. pretium. & Ariſtot. libr. 1. Politic. capit. 6. & libr. 5. Ethicor. cap. 5. Ergo non licet cenſus in pecunia ſoluendos conſtituere, cum ſic pecunia, pecunia æſtimetur contra ipſius proprium naturalemque vſum, ſimulque pecunia pecuniam pariat, quod ſpectat ad vſuram.

Secundum. Vſura committitur, quando aliquid vltra ſortem accipitur cauſa mutui, vt omnium tam Theologorum, quam Iuriſperitorum conſtans eſt ſententia. Sed in hoc genere cenſuum, accipitur aliquid vltra ſortem vi mutui. Qui enim emit mille aureis titulo huius contractus 50. in 20. annis recipit ſortem, & nihilominus ſalua manet, & in nullo ſors diminuitur. Ergo hic contractus vſurarius eſt.

Tertium. In emptione requiruntur, res quæ vendatur & ematur, & pretium Le. 1. ff.

de contrahend.empt.§.pretium.& alibi. Sed in hoc contractu non eſt res quę pretio vendatur, fundus ſuper quo cenſus conſtituitur non venditur, nec conſtituentis perſona, nec etiam pecunia. Ergo non intercedit emptio.

Quartum ab auctoritate grauiſſimorum virorum, qui hunc contractum improbarunt. Henric. de Gandauo quodlibeto 8.q. 22.Gregorius Ariminēſis magnus in Theologia Magiſter, vt atteſtantur Ioan. ab Anania in hoc cap.& Salycetus C.de vſur.in Authent. Ad hæc, qui ipſum ſequitur, & alij vt infra videbitur.

Vt hæc quæſtio clare reſoluatur ordine per concluſiones procedetur incipiendo ab antiquioribus cenſibus.

*Prima Concluſio.* Cenſus in quibus mētionem faciunt Conſtitutiones Martini Quinti,& Calixti Tertij,ſunt iuſti & liciti. In hac concluſione communiter conueniunt DD. ob determinatioem Pontificum. Vt autem natura dictorum cenſuum perſpiciatur, Pontificum Extrauag. de verbo ad verbum aſſcribimus, & habentur intra Extrauag.communes in tit.de emptione.

* *
*

MAR-

# MARTINI QVINTI EXTRAVAG.

## Martinus V. Venerabilibus fratribus Treuernen. & Lubicenenſi: ac Almicenſi, Epiſcopis.

*Regimini vniuerſalis Eccleſiæ (quanquam immeriti) diſponente Domino præſidentes, curis angimur aſſiduis, vt iuxta creditæ nobis diſpenſationis officium: ſubditorum quorumlibet paci & quieti: quanto nobis ex alto conceditur, intendadamus: & dubia, quæ inter eos oriuntur pro tempore (ne licitum anfractus ſeu ſcandalorum parturiant fomentum) noſtro moderamine declarentur. Sanè petitio dilectorum filiorum vniuerſorum: cleri, nobilium, incolarum, & habitatorum ciuitatis & Dioceſis Vratislauien. nobis exhibita continebat, quod licet à centum annis citra & ſupra, & à tanto tempore, & per tantum tempus, cuius contrarij memoria hominum non exiſtit, in eiſdem ciuitate & dioceſi ac partibus alijs vicinis quædam conſuetudo rationabilis, obſeruata, præſcripta, ac moribus vtentium approbata, ad communem hominum vtilitatem introducta fuiſſet: quod quilibet Princeps, baro, miles, ciuis ceu oppidanus partium earundem, cum hoc expedire videbatur: melius pro tunc non valens ſibi conſulere perſonæ Eccleſiaſticæ: aut ſeculari collegio: aut vniuerſitati:*

 *oppido*

Digitized by Google

*oppido vel ciuitati ſuper bonis ſuis, dominijs, oppidis, terris, agris, prædijs, domibus & hæreditatibus vendere conſueuit, & vendidit annuos cenſus vnius vel plurium marcarum, aut groſſorum Pragenſiũ numi Polomei & pagamenti conſueti ad rationem & pro qualibet marca annui cenſus, decem, vndecim, tredecim, quatuordecim marcæ, aut plus vel minus ſecundum temporis qualitatem (prout ipſi contrahentes tunc inter ſe conuenerint) ipſi venditori tunc integrabiliter in pecunia numerata ſolui conſueuerunt: bonis in ipſo contractu tunc expreſſis pro ipſius cẽſus annui exſolutione in perpetuum obligatis. Et ſemper in ipſis contractibus expreßè ipſis venditoribus data fuit facultas atque gratia: quod ipſum annuum cenſum in toto, vel in parte pro eadem ſumma denariorum quam ab ipſis emptoribus receperunt; quandocunque vellent liberè abſque alicuius requiſitione, contradictione & aſſenſu poſſent extinguere & redimere: ac ſe ab ipſius cenſus ſolutione extunc penitus liberare: ſed ad hoc huiuſmodi cenſus venditores inuiti nequaquam per emptores arctari & aſtringi valerent: etiam ipſis poſſeßionibus & bonis obligatis penitus interemptis ſeu deſtructis: Fuitq́; & eſt talis contractus emption. & vendition. per Epiſcopos Vratiſlauienſes pro tempore exiſtentes, & eorum officiales, necnon per diuerſos dominos temporales locorum & terrarum, in quibus cenſus huiuſmodi conſtituti exiſtunt, tanquam licitus & communi vtilitati deſeruiens, ſæpius confirmatus pariter & appro-*

*approbatus. Quodq́ etiam ſuper huiuſmodi cenſus plura beneficia Eccleſiaſtica, collegia, Canoicatus & præbendæ, dignitates, perſonatus & officia, Vicariæ, altaria numero pluſquam duo milia de expreſſo conſenſu & voluntate Dominorum temporalium; ſub quorum territorijs dicta bona obligata conſiſtunt erecta, dotata & fundata. Quodq́ue etiam venditores eorundem cenſuum ſe nonnunquam ad ipſorum cenſuum ſolutionem pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis ordinariorum locorum ſponte & liberè ſubmiſerunt: ſicut etiam aliqui eorum tractu temporis compulſi fuerunt, & compelli conſueuerunt. Tamen nonnulli ex venditoribus ipſis in arcum prauum conuerſi: cupientes cum alterius iactura locupletari, huiuſmodi cenſus huc uſq́ per eos liberè & abſque vlla contradictione ſolutos eiſdem emptoribus tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus ſoluere contradicunt & recuſant: confingẽtes huiuſmodi empt. & vendit. contractus fore & eſſe vſurarios, & illicitos, ipſos emptores Eccleſiaſtic. & ſeculares, nec non collegia & canonicatus & præbendas, dignitates, perſonatus & officia, vicarias & altaria ac beneficia huiuſmodi: ipſorum annuorum cenſuum ſpoliant perceptione, & detinent, ſpoliatos in animarum ſuarum periculum, eorundemq́ue emptorum præiudicium, damnum & grauamen. Et propterea an contractus emptio. & vendit. huiuſmodi liciti exiſtant à nonnullis hæſitatur. Quare pro parte eorundem cleri, nobilium, incolarum & habitatorum ciuitatis &*

*Diocesis*

*Dioceſu Vratislauienſ. nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt an contractus huiuſmodi liciti vel illciti cenſeri debeant: declarare & aliâs eiſdem in præmiſſis oportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati; quia etiam relatione Dilecti filij noſtri Guilhelmi tituli Sancti Marci presbyteri Cardinalis, cui negotium huiuſmodi cum peritorum conſilio commiſimus examinandum, comperimus contractus huiuſmodi iuridicos, & iuxta determinationem Doctorum licitos fore. Ad huiuſmodi ergo ambiguitatis tollendum dubium in præmiſſis præfatos contractus licitos & iuri communi conformes ac ipſorum cenſuum venditores ad illorum ſolutiones remoto contradictionis obſtaculo, obligari auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia declaramus: Non obſtantibus præmiſſis cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis infringere: Vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctos Apoſtolos. 6. Nonas Iulij. Pontificatus noſtri Anno 8.*

* * *

CALIXTI

# CALIXTI TERTII BVLLA.

## Calixtus III. Magdenburgen. Nuemburgen. & Halberſtaden. Eccleſiarum Decanis.

*Regimini Vniuerſalis Eccleſiæ (quanquam immeriti) diſponente Domino præſidentes: curis angimur aſſiduis, vt iuxta nobis crediti diſpenſationem officij ſubditorum quorūlibet paci & quieti quantum nobis ex alto conceditur, intendamus: & dubia quæ inter eos oriūntur pro tempore, ne licitū anfractus exinde ſeu ſcandala proueniant, prout iuſtitia perſuaſerit, declarationis noſtræ miniſterio ſopiantur. Sanè pro parte venerabilis fratris noſtri Ioannes Epiſcop. Mersburgen. nobis nuper exhibita petitio continebat quod licet à tanto tempore, cuius contrarij memoria non exiſtit in diuerſis Alemaniæ partibus pro communi hominum vtilitate inter habitatores & incolas partium earundem, talis inoleuerit hactenuſq; obſeruata fuerit legitimè præſcripta ac moribus vtentiū ac etiam ordinariorum permiſſione, & plerunq; expreſſa ratificatione approbata conſuetudo, quod ipſi habitatores & incolæ ſiue illi ex eis, quibus id pro ſuis ſtatu & indemnitatibus expedire viſum fuerit ſuper eorum bonis, domibus, agris, poſſeſſionibus & hæreditatibus: annuos marcarum florenorum ſeu groſſorum monetæ*

*moneta in partibus illis currentis reditus ſeu cenſus vendentes, pro ſingulis ex marcis florenis ſiue groſsis huiuſmodi ab eis, qui illas vel illos ſiue reditus ſiue cenſus ipſos emerint: certum cõpetens pretium in numerata pecunia ſecũdum temporis qualitatem (prout ipſi vendentes & ementes in cõtractibus ſuper his inter ſe firmauerunt) recipere ſoliti fuêre: Illa ex domibus, agris prædijs, poſſeſsionibus & hæreditatibus prædictis quæ in huiuſmodi cõtractibus expreſſa fuerunt dictorum ſolutione redituũ & cenſuum efficaciter obligantes: in illorum vendentium fauorem hoc adiecto; quod ipſi pro rata, qua huiuſmodi per eos recepta dictis ementibus reſtituerunt in toto, vel in parte pecunia: à ſolutione redituum ſeu cenſuum huiuſmodi reſtitutam pecuniam contingentium liberi forent penitus & immunes: ſed eidem emẽtes etiamſi bona, domus, terræ, agri, poſſeſsiones & hæreditates huiuſmodi proceſſu temporis ad omnimodæ deſtructionis ſiue deſolationis reducerentur opprobrium: pecuniam ipſam agendo repetere non valerẽt. Apud aliquos tamen hæſitationis verſatur ſcrupulus: An huiuſmodi contractus liciti ſint cenſendi. Vnde nonnulli illos vſurarios fore prætendentes, occaſionem quærunt reditus & cenſus huiuſmodi ab eis debitos non ſoluendi. Quare pro parte Epiſcopi & Cleri prædictorum (aſſerentium, quod in talibus ſic emptis cenſibus & reditibus; fructus: reditus & prouentus plurium Eccleſiarum, monaſteriorum, hoſpitalium & Eccleſiaſticorum beneficiorum, ciuitatis & Dioceſis ac*

*ſis ac partium prædictarū: nec non fere omnes quotidianæ diſtributiones, quæ in pleriſq; Eccleſijs ipſis diuinis intereſſentibus miniſtrari ſolent, conſiſtere noſcuntur) nobis fuit humiliter ſupplicatum: vt ſuper his Apoſtolicæ declarationis oraculum impertiri & adijcere paterna dilectione curaremus. Nos igitur huiuſmodi in hac parte ſupplicationibus inclinati, & factas ex cōmiſſione fœlicis recordationis Martini Papæ Quinti prædeceſſoris noſtri deſuper examinationes, & eiuſdem prædeceſſoris noſtri declarationem attentius perſtringentes ſuiſq; veſtigijs inhærentes ad omne ſuper his ambiguitatis tollendum dubium; præfatos contractus licitos iuriq; conformes, & vendentes eoſdem ad ipſorū ſolutionem cenſuum & redituum iuxta dictorū contractuum tenores: remoto cōtradictionis obſtaculo efficaciter teneri auctoritate Apoſtolica præſentiū ſerie declaramus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autē attentare præſumpſerit, indignationem omnipotētis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum pridie Nonas Maij Pontificatus noſtri Anno primo.*

Ex prædictis conſtitutionibus Pontificum ante alios Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Dominus Bartholomæus Caranza Archiepiſcopus Toletan. in ſumma Conciliorum pag. 366. in editione Stelſij de Anno Domini 1556. poſtquam meminiſſet Ca-

lixti

lixti Tertij,& poſuiſſet conſtitutionem,colligit ſex conditiones horum redituum ceu cenſuum, cum quibus eos tolerandos iudicat: alias non.

*Prima conditio.* Vt vendens deſignet & exprimat rem aliquam:vt domum,aut agrum, aut poſſeſſionem,&c.ſuper qua refundet & conſtituat cenſum: Aliter in litera,forſan ex errore ſcribentis dicere videtur Caranza,ſed hęc eius mens eſt,vt etiam annotat Nauar.in comment.de vſur.notab.22.num. 75. Et res deſignatæ tantum debent manere obligatæ ad ſolutionem cenſus, & non alia vendentis bona.

*Secunda conditio.* Quod iuſto & competenti pretio ematur cenſus, & quo tempore celebratur contractus, integrè pretium numeretur.

*Tertia conditio.* Vt in eodem contractu expreſsè venditori detur facultas, quod ipſum cenſum in toto,vel in parte pro eadem ſumma denariorum , qua ab emptore recipit, quandocunque velit liberè abſque alicuius requiſitione aut cõtradictione poſſit extinguere & ſe ab ipſius cenſus ſolutione liberare,in hũc ſenſum; ſi demediũ capitalis ſummæ pro ſua libera poteſtate poſſet & vellet refundere, etiam pro dimediętate liberaretur à ſolutione cēſus: Sicuti ſi totam ſortem redderet,à toto cenſu liber eſſet.

*Quarta*

*Quarta conditio.* Vt ad redimendũ cenſum venditor inuitus nullo modo obligari, cogiuè poſſit, ſed liberũ ſit illi, vel ſoluere cenſum, vel redimere in toto, vel in parte.

*Quinta conditio.* Quod ſi contingat aliquã do bona ipſa: vt domum, agrum, poſſeſſionem, &c. Super quibus cenſus fundatus eſt, proceſſu temporis omnino deſtrui & penitus interire, ementes ſortem capitalem repetere nequaquam valeant. Quoniam emẽtis periculo res empta perire debet: alioquin non eſſet vera emptio, ſed contractus vſurarius.

*Sexta conditio.* Non debet obligari ad cenſum res aliqua, niſi ſit res vendibilis, & fructifera, & annuus cenſus, ad cuius ſolutionẽ talis res eſt obligata, non debet excedere valorem fructuum, quos ex re ipſa percipere ſolet; aut poteſt Dominus rei: Si enim plus eſt, in annuo cenſu, quã in fructibus rei obligatæ, iam deſtruitur emptio, & palliatur vſura, & emens accipit rem in pignus ſuæ pecuniæ. Has conditiones Caranza ponit. Nauarr. breuius octo collegit, quarum prima, vt vẽditor certam poſſeſſionem, in qua cenſus conſtituatur, aſſignet. Secunda, vt illa ſola maneat obligata pro ſolutione cenſus, & non ipſe, nec alia ſua bona. Tertia, vt iuſtum pretium ſoluatur. Quarta, quod ſtatim illud totum tradebatur. Quinta, venditori

optio dabatur totum;aut partem,quando & quomodo melius ſibi videretur,redimendi. Sexta, Venditor ad redimendum cenſum non obligabatur. Septima,prædio aut fundo pereunte, cenſus etiam peribat. Octaua, prædium in quo cenſus conſtituebatur,tantum ſaltem redderet, quantum cenſus venditus valeret. Quantum ad has conditiones, cum non omnes ſint eiuſdem generis, dubium eſſe videtur: An omnes ſint ita neceſſariæ,vt ex vnius aut alterius defectu,cenſus iuſtitia non conſiſtat.Sit ergo.

*Secunda Concluſio.* Non omnes conditiones, quas dicti Doctores collegerunt in pari gradu ſunt neceſſariæ ad iuſtitiam cenſuum; imò aliquæ omiſſæ non vitio afficiunt contractum cenſus, ſi in generali loquamur nō reſtringendo cenſum ad certū locum, & determinata tēpora. Concl.patebit ex ſequentibus. Prima cōditio non placet Soto,& alijs admittentibus cenſus perſonales,quod facile admiſerim ex natura cōtractus, ſed profecto ſtando in declarationib. & deciſionibus prædictorum Pontificū,& etiam inhęrendo Bullæ Pij V.de cēſibus vt infra patebit, difficile eſt eam reijcere: Ad hæc omnino ex alia, quā tollere ab antiquioribus cenſibus, haud licet,colligitur. Quomodo enim DD. antiquiores,quos mox allegabo, volunt peremptis rebus, cenſum interire, niſi quia etiam

præ-

præſupponunt, res determinatas eſſe ſuper quibus cenſus fundetur, & Extrauagantes hoc etiam ſignificant. Ac Pius V. in ſua Bulla hanc etiam expreſsè ponit, licet alias conditiones ipſe addat. Secunda cond. etiam neceſſaria præſuppoſitis Pontificum conſtitutionibus videtur, tum ob rationes dictas, tũ ob alias, quas ponit Nauarr. in d. comment. à numer. 76. Tertia, vt pretium ſit iuſtum, omnino neceſſaria eſt ad iuſtitiam huius cõtractus; Quia in contractu emptionis requiritur iuſtum pretium. Ad hæc in foro exteriori præſumeretur contractus vſurarius, ſi nõ eſſet iuſtum pretium: Cum paruitas pretij adiecta pacto de retrouendendo faciat præſumptionem vſuræ maximè in contractu cenſus, qui aliâs magnam habet affinitatem cum vſuris veteribus. Quarta, vt totum pretium ſimul ſoluatur non eſt etiam ſimpliciter neceſſaria, quia cum contractus emptionis cenſuum nõ ſubterfugiat in hoc naturam emptionis & venditionis poteſt fieri pecunia credita & numerata. Eſt tamen hæc conditio aptiſſimè appoſita ad obuiandum multis fraudibus, & palliatis vſuris. Quinta, vt venditor poſſit quando voluerit totum cenſum, aut partem redimere non eſt etiam abſolutè neceſſaria, ſi iuſtum pretium aliâs detur, quãdo per partes redemptio fieri nequit. Sexta conditio, vt vẽditor nõ teneatur

redimere eſt omnino neceſſaria ſecundum communem Doctorum ſententiam. Quia aliâs eſſet mutuum palliatum. Septima, vt quando cenſus ſuper re determinata; vt domo, agro, aut alia poſſeſſione conſtituitur, deſtructa re, vel reddita inutili pro toto, cenſus etiam pro toto pereat, & deſinat in hoc genere cenſus, de quo Pontificum conſtitutiones etiam agunt, omnino etiam neceſſaria. Quia ſublato fundamento, neceſſe eſt corruere fundatum: Cēſus autem talis fundatur in re: vt domo aut alia poſſeſſione, percunte ergo poſſeſſione, cui cenſus inhæret ipſe cēſus etiam perire debet. Neque refert, quod Sot. dicit hanc conditionem non colligi ex Martini V. & Calixti III. Extrauag. 1. ſed tantum probari, ne pereuntibus bonis venditores cogātur cenſum redimere. Haud enim rectè percipit mentem Pontificum, & etiam eorum, qui caſum Pontificibus proponebant. Non enim ideo caſum expreſsè non poſuerunt, quia aliter ſentirēt, ſed quod de eo nemo omnino dubitaret. Eo quod ex conſuetudine & natura talis contractus eo tempore talis conditio contractui ineſſet, quod peremptis rebus, ſuper quibus cenſus fundaretur etiā cenſus pro toto periret. Quę autem de conſuetudine & natura contractui inſunt pro expreſſis habentur etiamſi non exprimantur c. Cum M. de conſetud. Panor.

Felin.

Felin.Bald. & alij ibid. Communis autem opinio fuit eo tempore de cenſib. quod conſtituti ſuper certis bonis, eis peremptis perirent. Conrard.q.83. conclu. 10. in declaratione. Henric.de Haſſia & Henric.de Hoitta de contractib. in materia de cenſib. Gabr. in 4. d. 15. q. 12. in L. Q. ad 6. Angel. in ſumma. verb. Vſura 1. numer. 78. Ioannes à Lignano in hoc cap. Panorm. in diſp. 5. incip. Augerio colat. vlt. Laurent. de Rodulp. ſuper ca. Conſuluit. 2. part. q. 12. & alij alibi. Ad idem accedit, quod Pius V. dictorum Pontificum veſtigijs inhærens hanc conditionem etiam vt neceſſariam ponit. Ratio huius conditionis eſt, quia obligatio ad ſolutionem cenſus in hoc genere principaliter cadit in rem ipſam, in qua conſtitutus eſt, & non in perſonam. Perempta igitur, aut ea reddita in aliquo caſu inutili ceſſat etiam obligatio ad cenſum, qui in ea fundatur. Hic dubium eſſe poteſt. An ſtando in Pontificum determinationibus, caſu, quo domus incendio perit, in qua cenſus fundabatur: aut molendinũ corruit, in quo cenſus cõſtitutus erat, eo quod aqua curſum mutauerit. Si alia domus, aut molẽdinum ex materia ſuperſtite prioris domus, aut molendini ædificetur, cenſus prior debeatur ex ædificio nouo. Reſpondeo cum Nauarro in d. comment. num. 118. & alijs, ſecundam domum, aut nouum molendinum

non eſſe ſubiectum cenſui: Quia illi nō fuit impoſitus,& illud eſt aliud à priori. Nauis enim conſtructa ex materia alterius nauis penitus diſſolutæ eſt alia à priori L. inter ſtipulantem §. Sacram. verſ. Et nauis ff. de verbo. obliga. Et domus ſi vſque ad aream deſtruatur licet ex eadem materia reſtituatur etiam in eodem loco alia domus dicitur d. §. Sacra. & L. Quid tamen §.1. ff. Quib. modis vſusfr. amitt. Si autem dolo, aut culpa venditoris res cenſui ſubiecta deſtrueretur, venditor aut teneretur ad minus pretium reddere: aut cenſum conſtituere ſuper alia re immobili. Prędictę conditioni addit aliam particulā in ſua Bulla Pius Quintus, quod etiā re pereūte pro parte, ſuper qua cenſus cōſtitutus eſt, aut effecta infructuoſa, pro rata etiam debeat perire & diminui cenſus: quod de iure non obtinebat in cenſu creato ante Extrauag. Pij Quinti, vt annotat Nauar. in d. com. num.115.q.19.& 20. Octaua conditio, etſi aliquibus non videatur neceſſaria, eſt tamen apponēda, videlicet vt res, quæ cenſui aſſignatur, eundem ęquet, aut ſuperet. Quia cum cenſus ſit emptio venditioque penſionis ſoluendæ ex fructibus ſiue vtilitate rei, ſi tantus non ſit fructus rei, quanta eſt penſio, non erit niſi ſimulata emptio; cum res empta non ſit in rerum natura, & ita contractus ſapiet vſuram. Eadem conditio deſumitur etiam

ex

ex Bulla Pij V. Dixi in cõcluſione (non omnes conditiones eſſe omnino neceſſarias, & etiam quarundam omiſſionem non reddere cõtractum vitioſum, ſi in generali loquamur non reſtringendo cenſum ad certum locum & determinata tempora) Quia aliter loquendum eſt de contractibus cenſuum in terris ſubiectis Põtifici in temporalibus poſt Bullam Pij V. & alio modo iudicium formãdum de cenſibus, qui nunc in Germania, & alibi ſunt frequẽtiſſimi, vt infra oſtendetur.

*Tertia Concluſio.* Cenſus conſtituti in prouincijs Pontifici in temporalibus ſubiectis poſt Bullam Pij Quinti ad tollendum præſumptionem vſurarum, non ſolum requirunt conditiones collectas & conſtitutionibus Martini Quinti, & Calixti Tertij, ſed etiam plures. patet Concl. ex Bulla, quæ quoniam cenſuum contractus corrigit, & multis fraudibus, quæ frequenter huic materiæ ſe ſolent immiſcere, viam præcludit hiſce de verbo ad verbum inſeritur.

# *BVLLA PII V.*
## *DE CENSIBVS.*

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI AD PERPEtuam rei memoriam.

*CVM onus Apoſtolicæ ſeruitutis obeuntes cognouerimus, innumeros celebratos fuiſſe, & indies celebrari cenſuum contractus : qui ne dum non continentur intra limites à noſtris anteceſſoribus eiſdem contractibus ſtatutos; verum etiam, quod deterius eſt, contrarijs omnino pactionibus, propter ardētem auaritiæ ſtimulum, legum etiam diuinarum manifeſtum contemptum præſeferunt: non potuimus, animarum prout tenemur, ſaluti conſulentes: & piarum mentium petitionibus etiam ſatisfacientes, tam graui morbo, letiferoq́ veneno ſalutari antidoto non mederi. Hac igitur noſtra conſtitutione ſtatuimus, cenſum, ſeu annuum reditum creari, conſtituiúe nullo modo poſſe, niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de ſui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus deſignata ſit. Rurſum, niſi vere in pecunia numerata, præſentibus teſtibus, ac Notario, & in actu celebrationis inſtrumēti, non autē prius quā recepto integro, iuſtoq́ pretio. Solutiones, quas vulgo anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus. Conuentiones directè, aut indirectè obligantes ad caſus fortuitos eum, qui aliâs ex natura*

*contra-*

*contractus nõ tenetur, nullo modo valere volumus. Quemadmodum nec pactum auferens, aut reſtringens facultatem alienandi rem cenſui ſuppoſitam; quia volumus rem ipſam ſemper, & liberè, aut ſine ſolutione laudemij, ſeu quinquageſimæ, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter viuos, quam in vltima volũtate alienari. Vbi autem vendenda ſit, volumus Dominum cenſus alijs omnibus præferri, eiq́ denunciari conditiones, quibus vendenda ſit, etiam per menſem expectari. Pacta cõtinentia moroſum cẽſus debitorem teneri ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad cambium, ſeu certas expẽſas, aut certa ſalaria, aut ad ſalaria, ſeu expenſas medio iuramento creditoris liquidandas, aut rem cenſui ſubiectam, ſeu aliquam eius partem amittere, aut aliud ius ex eodem contractu, ſiue aliunde adquiſitũ perdere, aut in aliquam pœnam cadere ex toto irrita ſint, & nulla. Imò ad cenſum augeri, & nouũ creati ſuper eadem, vel alia re, in fauorem eiuſdẽ, aut perſonæ per eum ſuppoſitæ pro cenſibus temporis, vel præteriti, vel futuri omnino prohibemus. Sicut etiam annullamus pacta continentia ſolutiones onerum ad eum ſpectare, ad quem aliàs de iure, & ex natura contractus non ſpectarent. Poſtremo cenſus omnes in futurum creandos, non ſolum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuoſa in totum vel pro parte effecta, volumus ad ratã perire, ſed etiam poſſe pro eodem pretio extingui; non obſtante etiam longiſſimi temporis ac immemorabili, imo centum & plurium annorum præ-*

*ſcriptione,non obſtantibus aliquibus pactis directè, vel indirectè talem facultatem auferentibus, quibuſcunq; verbis,aut clauſulis concepta ſint. Cum vero traditione pratij reditus extinguendus erit, volumus per bimeſtre ante id denunciari cui pretiũ dandum erit,& poſt denunciam, intra annum tamen, etiam ab inuito pretium repeti poſſe, & vbi pretium, nec volẽs intra bimeſtre ſoluat, nec ab inuito intra annum exigatur. Volumus nihilominus quandocunq; reditum extingui poſſe, praeuia tamẽ ſemper denuncia, de qua ſupra: & non obſtantibus his,de quibus ſupra,idq; obſeruari mandamus, etiã quod pluries, aut plures denunciatum fuiſſet, nec vnquam effectus ſecutus fuiſſet. Pacta etiam continentia pretium cenſus extra caſum praedictum ab inuito,aut ob pœnam, aut ob aliam cauſam repeti poſſe omnino prohibemus, cõtractusq; ſub alia forma, poſt hac celebrandos fœneratitios iudicamus. Et ita,illis propterea non obſtantibus, quidquid vel expreſſè,vel tacitè,contra hac noſtra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, à fiſco volumus poſſe vendicari. Hanc autem ſalutiferam ſanctionem,ne dum inceſſu nouiter creando, verum etiam quod in creato quocunq; tempore alienando, modo poſt publicationem cõſtitutionis creatus ſit,perpetuo & in omnibus ſeruari volumus.Declarãtes pretium ſemel cenſui conſtitutum nunquam poſſe ob temporum,aut contrahentium qualitatem, ſeu aliud accidens, nec quoad vltimo contrahentes minui,vel augeri. Et licet legem ipſam ad contractus*

*iam celebratos, non extendamus, illos tamẽ omnes, in quos ſub alia forma peruenerunt cenſus, hortamur in* Domino, *vt ſingulos contractus cenſuræ bonorum religioſorum ſubijciant, & animarum ſaluti conſulant. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon priuilegijs & literis etiam per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam noſtris ſub quibuſcunq; tenoribus & formis, ac cum quibuſuis, clauſulis etiam derogatoriarum derogatorijs, necnon irritantibus decretis ex quauis cauſa. etiam per modum legis vniuerſalis, aut aliâs quomodolibet editis, ſiue in fauorem vniuerſitatum, communitatum, congregationum, ciuitatum & locorum conceßis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus & ſingulis illorũ tenores præſentibus pro expreßis habentes, quatenus directè, vel indirectè præſenti noſtræ conſtitutioni in toto vel in parte cõtrarientur ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunq;. Volumus autem, quod præſentes in* Cancellaria *& acie campi floræ publicentur, & inter cõſtitutiones extrauagantes perpetuo valituras, conſcribantur. Et quia difficile foret præſentes ad ſingula quęque loca deferri, volumus & etiam declaramus, quod earum tranſumptis etiã impreßis manu alicuius* No*tarij publici ſubſcriptis ac ſigillo alicuius prælati munitis eadẽ prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forẽt exhibitæ vel oſtẽſæ.* Nulli *ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ*

*prohi-*

*prohibitionis, annullationis, ſtatuti, mandati, iudicij, hortationis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1568. 14. Kalend. Februarij, Pontificatus noſtri Anno quarto.*

Conditiones, quæ cōtinentur in hac Bulla, colligunt & declarāt Nauar. in commentario de vſur. à num. 84. Coſmus Philiarcus Theologus Florentinus tomo 2. lib. 5. ca. 17. de officio Sacerdotis, & Verginius de Boccatijs Iuriſconſultus Romanus in tractat. de Interdicto, Vti poſſidetis.

*Prima conditio.* Vt cenſus nō conſtituatur niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habetur, de ſui natura fructifera, certis finibus deſignata. Hac conditione tolluntur cēſus perſonales & alij conſtituti ſuper omnibus bonis in generali non deſignatis certis cum diſputatione terminorum. Vult autem terminos Pontifex deſignari, vt perdita re, vel ea pereunte etiam pro rata pereat cenſus. Si autem generaliter ſuper omnibus bonis cenſus conſtitueretur, non haberet dicta cōditio locum. Hoc tamen obſeruādum, quod quando vnus fundus nō eſt ſufficiens ad ſolutionem cenſus, quod ſuper diuerſis & ſepara-

paratis expreſſis tamen eorum terminis licet cenſum conſtituere. Quia hæc Extrauagans non intendit excludere plures res immobiles ſuis finibus, definitas, quādo vna non eſt ſufficiens. Cum diſpoſitio loquens de vno non habeat locum in alio, quando vtrobiq; eadem non eſt ratio text.cum Gloſſ.recepta c.Si compromiſſarius de elect.lib. 6.

*Dubium hic eſſe poteſt.* An cenſus ſuper alio cenſu conſtitui poſſit. Nauarr.in d.com.nu. 112.q.12. reſpondet quod ſic. Quia annuus reditus pro re immobili habetur vt ſupra q. 9.huius cap. non longe à fine probatum eſt. & reditus etiam pro re fructifera habetur, & ei æquiparatur vt rectè Ioan.Medina in C.de reb.per vſur.acquiſ.q.11.lit.C.tradit.Quamuis enim fructus,qui ex reditu percipitur tāquam ex cauſa propriè ſumpta nō naſcatur, conſequitur tamen illum tanquam cauſam ſine qua non. Sicut ergo Dominus rei, qui pleno iure fungitur in perceptione reditus, poteſt pro parte ius illud in alium transferre, & ita cenſum inſtituere : Ita etiam is, in quem tale ius translatum eſt,poterit in parte ius ſuum in aliū transferre, quod nihil aliud eſt, quam cenſum in tali reditu conſtituere. Hoc tamen cautè annotat Medina, quod quamuis reditus tutè conſtitui in Regijs & Principum , aut ciuitatum reditibus ob ſecuritatem & certitudinem eorum poſſint:

Non

Non tamen ita ſecurũ eſſet in reditibus priuatarum perſonarũ maximè redimibilibus fundare, cũ facilè redimi poſſent, & redemptione facta, extingueretur primus reditus, in quo ſecũdus fundatur, & ita hic etiam exſpiraret cum damno ementis: Sublato enim fundamento corruit, quicquid ſuperſtructũ eſt. Primus autem reditus tum eſſet fundamentum poſterioris.

*Secunda conditio.* Vt cenſus nõ creetur niſi verè in pecunia numerata præſentibus teſtibus & Notario, & in actu celebrationis inſtrumenti non autem prius recepto integro & iuſto pretio. Hæc conditio vt facilè eſt intelligere non requiritur ex natura rei, ſed ad amotionem fraudis ementium cenſus, qui quandoque male ſoluebant pretium cenſus in pannis, aut alijs mercibus antea, vel in ipſo cõtractu traditis. Inſeruit hæc conditio etiam contra alios vſurarios, qui quandoque mutuo dant ſub vſuris, & ſi mutuo accipiens non ſit ſoluendo: mutuum & vſuras vſurarum in vnã ſummã capitalem cõflant, & deinde celebrant contractum cenſus. Dicta cautela eſt etiam contra aliumdolum vſurariorum, qui quando pauper neceſſitate premitur, & pecunias habere nequit, conueniunt vt emat ab eis cenſum hoc pacto, vt dent 90. exempl. gratia florenos, & ſcribatur in inſtrumento receptos eſſe 100. dicta conditio

ditio non eſt neceſſaria in extinctione cẽſus.

*Tertia cond.* Vt ſolutiones vulgo dictæ anticipatæ non fiant, nec in pactũ deducantur.

*Quarta conditio.* Vt non fiant conditiones directè aut indirectè obligãtes ad caſus fortuitos eũ, qui aliâs ex natura contractus non tenetur. Hæc cõditio digna eſt, quæ ab omnibus principib. in ſuis prouincijs & regnis ſeruari deberet, vt ſapientiſſimè Nauar. admonet. Cum videamus partim ex ignorantia, partim etiam ex conſideratione, partim etiam ex magna pauperum neceſſitate qui indigent fieri, vt ſubeant renunciationes à iure maximè exorbitãtes, quibus ita eis manus reſtringuntur vt deinde ob impotentiã ſoluendi incurrant periculũ amittẽdi omnẽ ſubſtantiã: ita vt ad extremũ nihil ſuperſit, ſicque ſolum vertere & mẽdicare coguntur.

*Quinta cond.* Vt non fiat pactum vllũ auferens, aut reſtringens facultatẽ alienandi rem cenſui ſubiectam. Si tamen res vendenda ſit, reliquis Dominus cenſus præferendus eſt. Prior conditionis pars eſt in fauorem venditoris: ſicut poſterior tendit in gratiam emptoris, quæ videtur deſumpta à contractu Emphyteutico, cuius Domino debetur illa prærogatiua ratione dominij directi, vt in venditione alijs præferatur.

*Sexta con.* Ne fiant pacta continẽtia moroſum cenſus debitorẽ teneri ad intereſſe lucri ceſſan-

ceſſantis, vel ad cambium, ſeu certas expenſas, aut certa ſalaria medio iuramento creditoris liquidãda; aut rem cenſui ſuppoſitam, ſeu aliquam eius partem, aut aliud ius ex eodem contractu, ſiue aliũde acquiſitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere: ſi in cõtrarium fiat, omnia ſunt irrita & nulla. Notandum hic cum Nauar. per dictam conditionem venditorem cenſus non liberari ab obligatione damni emergentis, quod in rei veritate emptor ex dilatione ſolutionis vltra terminum præſcriptum patitur: Quia hoc iure naturę eſt debitum, & hoc non fit ratione vllius conuentionis de ſoluendo certum quid, ſed ob legem naturalem diuinam iubentem ſoluere proximis debita iuſta, & recompenſare damna, quib. cauſam dedimus.

*Septima cond.* Vt cenſus non augeatur pro cẽſibus iam decurſis, & debitis aut etiam futuris in fauorem eiuſdẽ perſonæ, aut alterius per eam ſuppoſitæ, nec etiam nouus ſuper eadem re, vel alia creetur. Hæc conditio ſequitur ex ſecunda: Si enim cenſus non conſtituatur niſi numerata pecunia de præſenti, non poteſt augeri ob reſpectus in conditione poſitos: Iuſtiſſima etiam eſt hæc conditio, quia ſi cenſus augeretur ratione penſionum reſtantium ſiue reliquiarum, vt aliqui vocant, aut pendentium in futurum daretur acceſſio acceſſionum, quæ ſpectat ad

vſuras

vſuras vſurarum, quæ omnibus legibus damnatæ ſunt.

*Octaua conditio.* Ne fiant pacta continentia ſolutionis onerum ad eum ſpectare, ad quem aliâs de iure, & ex natura contractus non ſpectarent.

*Nona conditio.* Vt ſi res, ſuper quam cenſus conſtituitur pro toto aut parte pereat, ſeu etiam in totum, vel pro parte infructuoſa efficiatur, cenſus etiam pro toto, aut rata partis peremptæ proportionabiliter pereat. Sicut enim ſe habet totum ad totum: ſic pars ad partem. In qua conditione aduertēdum, quod etiam antea Conrard. in q. d. inſinuauit, quod ad hunc effectum paria ſunt rem perire, aut infrugiferam fieri: Quia ita perit cenſus ob hoc: ſicut ob illud. Si autem res non perpetuo perit, ſed ad aliquod tempus ex aliquo accidenti non facit fructus, aut non tantos, quātos tempore conſtitutionis cenſus reddere ſolebat, non ob id minuēdus eſt cenſus pro illo tempore; ſicut nec etiam ob ſterilitatem vnius aut alterius anni: Cum id nullo iure probetur, & etiam in cenſu nō fructus emantur, ſed ius ad fructus: & ſi fortaſſe res cenſui ſuppoſita vno anno fructus non fecit, ſequenti fertilior erit, & tum deperditum recuperabitur. His adiungendum quod obligationes & hypothecationes, quę fiunt in venditione cenſus pro aſſecuratione

S penſio-

peſsionis re perempta, infructuoſa facta virtute huius Bullę tollũtur & nullius ſunt momenti, & fideiuſſores amplius ad nihil tenētur. Quod ſi res autem nõ in totum interijt, ſed tantum in parte, obligationes non habent vim niſi pro rata partis, quæ remanet.

*Decima conditio*. Vt venditor cenſus poſſit eum extinguere omni tempore, quando ſibi placuerit non obſtante quacunque præſcriptione etiam immemorabilis temporis, nec etiam impedientibus pactis directè, aut indirectè redimendi facultatem auferentibus. Dominus autem ſiue emptor cẽſus pro ſua voluntate non poteſt cogere vẽditorem ad redemptionem. Quando autem venditor vult extinguere, bimeſtre ante id Domino cenſus, cui pretium reddendum, denunciandum erit. Poſt denunciationem, ſi venditor non extinxerit, Dominus poteſt pretium etiam ab inuito infra annum repetere. Si autem annus elabatur, & non extinguatur: Dominus cenſus non poterit amplius cogere venditorem ad redimendum, venditori tamẽ ſemper manet integrum redimere præcedenti tamen ſemper denunciatione: Et ſi ſecundò denunciet venditor, nec tamen redimat iterum competit Domino ſiue emptori hoc ius, quod infra annum renitentem etiam venditorem compellere ad redemptionem: Idque obſeruandum erit etiamſi

etiamſi pluries ita factum fuerit, & in poſterum nō poteſt deduci in pactũ, vt extra prædictum caſum ab inuito vẽditore ob pœnã, aut aliam ob cauſam poſſit repeti pretium.

*Vndecima conditio.* Vt pretium cenſus ſemel cenſui conſtitutum nunquam poſſit ob temporum, aut contrahentium qualitatem, ſeu aliud accidens, nec quoad vltimo contrahentes, minui vel augeri. Hanc conditionem vtpote introductam ad euitandũ fraudem vſurarum Nauarr. vult tantum habere locum in foro exteriori. Quare aliter iudicandum cenſet in foro conſcientiæ, vbi præſumptiones non habent locum. Si enim in rei veritate pretium cenſus minueretur ex eo, quod quæruntur & nō ita facile reperiuntur emptores; vel etiam creſceret propter multitudinem emptorum, in conſcientia poterit pluris: aut minoris vendi cenſus quam conſtitutus fuerit. Quemadmodũ in vrbe paſſim fieri atteſtatur, vt qui habent cẽſus emptos in montibus, vendũt maiori pretio, quam emerunt, ſi rogentur à multis vẽdere: Et contra minoris, quam emerunt, ſi quærunt & rogant emptores; & multi venditores, & rari emptores inueniuntur. Poſtremò obſeruandum, quod conſtitutio cẽſus per viam emptio. & venditionis aliter facta, quam in Bulla definitum eſt, cenſenda eſt fœneratitia, vt Pontifex decernit.

## DVBIVM. NVNC.

*An hæc forma Pontificis de conſtitutione cenſuum vbiq; ſit ſeruãda non ſolum in foro conſcientiæ, ſed etiam exteriori?*

RESpondetur cum Nauarro in d.comm. à num. 105. quem alij ſequuntur, quod dictæ conditiones contentæ in Bulla non omnes ſunt eiuſdem iuris ſpecifici, & ordinis. Quædam enim ſunt in Bulla expreſſa, vel præſuppoſita quæ ſunt iuris naturalis & diuini, vt cõtractum vſurarium eſſe reprobum, vſuram palliatam extirpandã, cenſum iuſto pretio emendum. Eiuſdem ordinis videtur quod cenſus non conſtituatur niſi in re fructifera & immobili. Cum cẽſus ſit fructus rei frugiferæ, qui ſine rei conſumptione colligitur. Quædã ſunt, quæ inducuntur ad pręſumendum contractum eſſe vſurariũ, & ad euitãdum vſuras, vt quod pretium ſoluatur in numerata pecunia coram Notario & teſtibus, quod non fiat anticipata ſolutio, quod non apponantur pœnæ,&c. Quædam alia ſunt,quę tanquam rationabilia,& digna obſeruatione adiunguntur,vt quod cenſuarius præferatur in emptione rei,quando vẽditor vult vendere. Et vt ante redemptionẽ fiat denunciatio per bimeſtre, &c. Quæ in Bulla ſunt iuris naturalis & diuini vbique ab omnibus ſunt obſeruanda: Quia ius naturale &

le & diuinum omnes vbique ligat, & obſeruandum eſt.d.8.c.Quod iure. Quantum etiam ad ea, quę ſubduntur ſecũdo ordini, videtur, quod hæc etiam ab omnibus ſeruanda ſint. Quia lex Papæ circa ſpiritualia & illa in quibus verſatur periculum animæ ſeruãda eſt in vtroque foro, Gloſſ. recepta in ca.2. de reg.iuris in 6.cap.fin.de præſcript.c.Cum contingat de iureiurãdo. c. Cum ſit generale, de foro competenti. cap. vlt. & penult. de ſecund. nupt. Quæ ſunt tertij generis non ſunt neceſſariò ab omnibus obſeruanda, ſed tantum ab eis, qui Pontifici in ſecularibus ſubduntur.

## ALIVD DVBIVM.

*An hæc conſtitutio Pij Quinti poßit in totum, vel in partem tolli per contrarium vſum: vel non vſum eius?*

RESpondetur ſecundùm eũdem Nauar. loc.d.nume.108. quod non poteſt tolli, quatenus ſolum eſt declaratoria iuris naturalis & diuini d.c.Quod iure, & c.fin.de conſuetud. Quantumque ad alia omnia de nouo inducta poteſt eneruari per contrarium vſum, vel non vſum: Quia illa ſunt iura humana, quę per non vſum & contrariam conſuetudinẽ poſſunt tolli, maximè Papa ſciente & non contradicente.c.In iſtis §.Leges. d. 4. & d.ca.fin.de conſuet. Nec eſt præſumen-

dum quod ſapientiſſimus & ſanctiſſimus Pontifex in eis, quæ non ſunt iuris naturalis & diuini, voluerit alios Principes & Dominos in ſua tẽporali iurisdictione perturbare. Quare d. conſtitutio Pontificis in multis nõ obligat Germanos, alioſque apud quos nũquam fuit recepta, qui ſemper hactenus aliam formam & diuerſum modum habuerunt conſtituendi cenſum. His præmiſſis nunc agendum de iuſtitia & iniuſtitia noſtrorum cenſuũ, qui frequentiſſimi in Germania ſunt, Sit ergo.

*Quarta Concluſio.* Noſtri cenſus non probantur eſſe liciti ex dictorum Pontificum conſtitutionibus. Concluſio clara eſt ex dictis. Non ex Extrauag. Martini V. & Calixti III. Cũ caſus in eis propoſitus & deciſus lõge diuerſus ſit à ratione noſtrorum cenſuũ, vt apertum eſt ex conditionibus, quę à DD. eruuntur ex d. conſtitut. Neque ex Bulla Pij V. quia in ea etiam ponuntur conditiones, quæ è diametro repugnant noſtris reditibus. Forma noſtrorum cenſuum patet ex inſtrumentis & praxi quotidiana, nec non pactis, quæ adijciuntur. In primis vt ſubſtãtialia tangamus, reliqua ex concluſionibus ſubſequentibus colligentur. Nicolaus ex. gr. vendit ſuo vicino Petro cenſum perpetuum 5. aureorum pro 100. aureis, quem cenſum ſingulis annis Petro ſine eius damno in feſto

Martini

Martini tradere debet, & hæc vēditio fit hac lege vt quoties venditor Martini reddiderit pretiū, & ſoluta penſione anni præcedentis, liberetur à cenſu, & emptor ſuo iuri liberè debeat cedere. Secūdo pro aſſecuratione capitalis & etiā penſionis annuæ, Nicolaus vēditor debet hipothecare Petro bona ſpecialia & determinata, quæ ſecundum communem æſtimationem in duplo excedant valore ſummā capitalem. Tertio bona ſic hypothecata nō poſsūt alienari, permutari, aut de nouo alteri hypothecari abſq; conſenſu cēſualiſtæ. Quarto, ſi venditor per duos annos continuos ſteterit & nō ſoluerit debitā penſionem eſt in poteſtate emptoris ſiue cēſualiſtę, vt bona hypothecata diſtrahat, capitalē ſummam & penſionem debitam cum omni damno, ſi quod paſſus ſit ob moram venditoris, recuperet. Quinto in inſtrumento fiūt à venditore renunciationes, quibus renunciat omni exceptioni de non ſoluendo, omnibuſque remedijs iuris, ita vt annuam penſionem in omnem euentum debeat ſoluere. Sexta, quando fit redemptio venditor ſummam totam ſimul indiuiſam debet reddere, quam accepit in celebratione contractus. Hæ ſunt principales conditiones vt intelligo, &c. Antequā vlterius procedatur vt melius intelligatur differentia antiquorum cēſuum de quibus in dictorum Pontificum

conſtitutionibus agitur,& etiam in Bulla Pij V.& noſtrorum, quod in antiquioribus & in eis de quibus Pontifices præſcripſerunt, quiq; fundabantur,& adhuc in terris,quantum ad temporalia Pontifici ſubiectis, fundantur in rebus fructiferis & immobilibus: Res fructiferæ, & cenſui ſuppoſitæ erant de ſubſtantia reditus. Quare ſecundùm omniũ ſententiam, qui tum ſcripſerunt de materia redituum, interibant ad corruptionem rei, ſuper qua fundati erant, quod omnium clariſſimè Pius Quintus in ſua Bulla ſignificat, dum ait. Poſtremo cẽſus omnes in futurum creandos nõ ſolum re in totum, vel pro parte interempta,aut infructuoſa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire: ſed etiam poſſe pro eodem pretio extingui. At in noſtris cenſibus, qui nunc in vſu ſunt, res habet locum pignoris ſuppoſiti;vt plerique apud noſtrates in inſtrumẽtis in noſtro ideomate vocãt,& hypothecæ verius ad maiorem ſecuritatem,& ſic nõ ſpectant ad ſubſtantiam contractus emptionis redituum,vt tradidere Conrard.de contractib.q. 86. Sotus de iuſt. & iur. q. 5.art.1.in confirmatione concl.4.Carol.Molinæus de commer. num. 22.& 23.Didac.clarius alijs lib.3.variar. reſolut.c.7.num.5.non longe à fine,quos ſequitur Andr.Gail lib.2.practic.obſer.obſeruat. 7.nu.13. Qua de cauſa obligatio ad ſolutionem

nem annui reditus præcipua eſt perſonalis, hypotheca autem, quæ adiungi ſolet acceſſoriè ſe habet pro certiori & firmiori ſolutione. Hinc ſequitur, quod principalis obligatio, quæ eſt perſonalis, hic conſideretur non acceſſoria. Ideo re ipſa etiam extincta, quæ iure pignoris, aut hypothecæ accedit, manet obligatio adhuc perſonalis ad annui reditus ſolutionem: Cum ea natura pignoris & hypothecæ ſit, vt etiamſi perierint, debitor tamen teneatur ſoluere æs alienum, vt apertiſſimi iuris eſt. At alia ratio erat in antiquioribus reditibus & illis, de quibus Pius Quintus, ibi ratione certę rei erat obligatio, qua perempta, etiam reditus interibat. Sed latius de huiuſmodi hypotheca infra tractabitur.

*Quinta Concluſio*. Dubium longiſſimo tẽpore fuit apud probatos auctores: an liciti ſint cenſus ſiue reditus. Hæc concluſio maximè locum habet in noſtris reditibus, qui à tempore Cõcilij Conſtantien. videntur frequentati fuiſſe. Quia apud antiquiores non fuerunt in vſu, vt Doctores atteſtantur. Cõcluſio in primis probatur ex conſtitutionibus Martini V. & Calixti III. Tunc dubitatũ fuit de iuſtitia cenſuum, quorum caſus Pontificibus proponebatur. Sed maior erat ratio dubitandi de noſtris, quam illis, vt patet cuilibet mediocriter docto, ſi vtrorumque cõ-

ditiones inter ſe conferat. Secundo confirmatur ex grauium Doctorum auctoritate, Henricus de Gandauo, Georg. Ariminen. Salyc. in principio q. allegati negarunt eſſe licitos. Innocent. & Ioan. Andreas in hoc ca. & Paul. de Caſtren. in conſ. 289. incip. Præſens dubium videtur lib. 1. & ſi cenſeant licitum eſſe emere reditus antiquos iam conſtitutos, negant tamen de nouis, ex quorum numero noſtri ſunt cenſus. Bald. de feud. in tit. Si vaſallus ab aliquo interpellatus fuerit cap. 1. colum. 2. dicit quod aliqui dicunt iſtũ contractum non eſſe ſine ſcrupulo vſurarũ. Deinde admonet, vt quiſque caueat ne lædat conſcientiam. Idem Bald. cap. 1. de iureiuran. num. 14. refert inter quæſtiones periculoſas maximè in conſcientia. Stephanus Bertandi conſ. 170. incip. Si non ſine grandi libr. 3. his verbis. Si non ſine grande difficultate, ac opinionum conflictu & dubio ſoleat quæri. An emptio annui reditus ſeu penſionis nouiter impoſitæ etiam facta iuſto pretio ſit licita, vel illicita vtpote vſuraria, vel de vſuraria prauitate ſuſpecta, &c. Frederic. de Senis in conſ. ſuo vltimo incip. Quæſtio vertitur inter ciues ſuper tali caſu, quo conſ. diſputat. An ciues licitè recipiant à communitate ſeu ciuitate 5. pro 100. de qua quæſtione ſupra dictum, diſputat latè, & argumenta cuiuſdam magiſtri in Theologia, quem non nomi-

nominat, proponit & diſſoluit, qui tenuerat talem contractum eſſe licitum. Tandem in fine concludit ſic. Solutis ergo rationibus huius Reuerendi Magiſtri. Et viſo, quod contractus iſte eſt vſurarius, conatus ſemper imitari veſtigia Reuerendiſſimi Patris mei fœlicis memoriæ Magiſtri Petri de Seropis ordinis Prædicatorum pro veritate concludo. Quod ſi quis pertinaciter confirmare præſumit non eſſe peccatum cõtractus huiuſmodi exercere, eſt velut hæreticus puniẽdus, quoniam ſic affirmans, affirmat vſuras exercere non eſſe peccatum. Et talis eſt velut hæreticus puniendus, vt in Clem. Ex graui. de vſur. Hæc Fridericus. Andreas Tyraquellus, maximæ auctoritatis apud Gallos Iuriſperitus in lib. 1. de vtroque retractu §. 1. in verb. Rentes. Gloſſ. 6. nume. 16. Sic loquitur de reditibus annuis. Verum huiuſmodi emptiones ſunt nonnihil ſuſpectæ, ab ijſque ſemper abſtinui, & amicos abſtinendos cenſui, vti etiam fecit Innocent. in d. cap. In ciuitate, & lib. 2. de retractu conuentionali. §. Finis numero 134. ſic ait. Ego vero nunquam tales contractus feci, neque cęteris faciendos conſului, non quod ego reprobatos cenſerem, ſed quia in dubium & ſuſpitionẽ vocabantur, maluique ſemper & in omnibus cauſis tutiorem viam ſequi, quod ſæpe & in noſtris legibus & canonibus pręcipitur.

Hæc ille. Et Conrard.d.q.83. non longe à fine. verſ. Tredecimo, & vltimo arguitur, refert inter quæſtiones problematicas.

*Sexta Concluſio.* Emptio annuorum redituum ſiue penſionum eſt multum odioſa & ſuſpecta. Andr. Tyraq. in d. libr. 1. loc. cit. qui id probat ex ordinationibus ſecundis Ludouici Regis 12. cap. 71. Carolo Molin. de commerc. & vſuris q. 5. à numero 128. & ſæpius alibi in eod. tract. Didac. Couar. libr. 3. variar. reſolut. cap. 8. nume. 7. & 8. Et ante hos Bald. in Le. vnica C. de his quæ pœnæ nomine in teſtam. relinquuntur nu. 39. Idque probatur auctoritate Innocentij in hoc cap. quem alij ſequuntur, qui admonet Chriſti fideles, vt abſtineant ab huiuſmodi contractib. Accedit auctoritas etiam DD. allegatorũ in proxima concluſione qui & dubium, periculoſum ſuſpectumq; contractum tradunt. Qua ratione antiquiores Theologi qui ſcripſerunt in principio quando contractus cepit frequentari, de cenſibus, quorum mentio fit in conſtitutionibus Martini V. & Calivti III. nõ pro omni hominum genere, nec in omnem vſum approbarunt, vt ſunt Henric. de Haſſia in tract. de contract. 2. p. ca. 1. Henric. de Hoitta de ead. materia dub. 1. Conrard. in q. 73. in principio. Ioan. Maior. in 4. d. 15. qu. 34. Gabr. in ead. d. q. 12. prope finem dub. 5. & alij, ſed tantum ad certũ finem ſcilicet ſuſtẽtatio-

tationem quatuor generum perſonarum. Primum genus eſt eorum, qui alijs præſunt in ſpiritualibus; vt ſunt prælati Eccleſiaſtici, Concionatores, Doctores, animarum paſtores & ſimiles. Eſt enim dignus operarius mercede ſua Lucæ 10. & 1. Corinth. 9. Quis militat ſuis ſtipendijs? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non mãducat, &c. Secundum genus eorum eſt, qui pręſunt in regimine Reipublicæ Politico & ſeculari, vt ſunt Reges, Principes, Duces, Rectores ciuitatum & eiuſdem ordinis viri. Sunt enim & hi Dei miniſtri in temporali gubernatione. Quod Apoſtolus Rom. 13. oſtendit, & ob eam cauſam reditus perſoluendos docet, dũ ait. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malefeceris, time: Nõ enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malum agit. Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, nõ ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, & ſtatim rationem reddit quare ſublimiores poteſtates ſint ſuſtentandæ. Ideo, inquit, & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes. In tertio ordine ſunt pauperes orphani, viduæ, debiles, & infirmi, quibus facultates proprię deſunt ad neceſſariam ſuſtentationem, nec ſufficientes habẽt vires, vt laboribus manuum ſuarum valeant

vitæ neceſſaria acquirere. Vnde Deutero. 12. præceptum dabatur filijs Iſraël, vt pauperibus, pupillis, viduis, & leuitis, darent non ſolum Eleemoſynam communem, ſed etiam ſpeciales decimas tertio anno. Quarto generi aſſcribuntur religioſi, qui noctes dieſque diuinis vacant laudibus, mediatores ſunt apud Deum orationibus, vt Deus cuncta bona largiatur pro ſua benignitate & noſtra neceſſitate, omniaque mala auertat. Hi enim, cum cauſam communem agant, etiam de communi alendi ſunt, vt ſine cura & ſolicitudine Deo, in tranquillitate ſeruire, ac ſuo munere rite fungi valeant. Dictis annumerandi ſunt, qui vacant ſtudijs literarũ, & ſciẽtijs tam ſpeculatiuis quam practicis neceſſarijs Reipub. pro fœlici gubernatione Eccleſiaſtici Politiciq; ac ſtatus. Concluſio nunc rationibus probanda eſt.

*Prima ratio.* Quia penſio noſtra magnam affinitatem & ſimbolizationem habet cum veteri vſura, quæ odioſiſſima eſt, cum qua in multis conuenit, primo in materia, vtriuſque enim materia eſt incrementum ſucceſſiuum pro rata temporis & ſortis. Secundo in fine, vtraque fuit inuenta æris alieni tantiſper fruendi gratia. Tertio neutra ſpectat ad cõtractus propriè commutatiuos, ſed ad negociationem ſucceſſiuam quæſtuariam. Quarto vtraque certos limites habet exceſ-

ſus,

ſus, ſed nõ defectus. Quinto in vtraque ſors manet ſecura, & tamen ſemper annuatim aliquid lucri accedit. De hac ratione doctè ſcribit [redacted] de commercijs & vſur. q. 70. num. 446. vbi plures conuenientias adfert, & tandem concludit noſtros reditus eſſe quoddam inuentum cõſuetudinis hominum loco veterum vſurarum ſubrogatum. Vnde ſæpe in illo tractatu dicit noſtros reditus eſſe ſuccedaneos veteribus vſuris, & apud veteres hic contractus non fuit admodum receptus, vt atteſtatur etiam Couar. lib. 3. variar. reſolut. cap. 10. nu. 3. in fine.

*Secunda ratio.* Ex quo tempore hic cõtractus paſſim cepit frequentari, mutuandi beneficium, quod charitatis officiũ eſt, vix vllum locum habet: omnes qui paululum pecuniæ congeſſerunt non volũt mutuare, ſed petenti mutuũ offerunt emptionem pẽſionis. Tepeſcente enim charitate, vt rectè quidam antiquiores obſeruarũt, & creſcẽte cupiditate radice omnium malorum filij huius ſeculi, hunc contractum inuenerũt, & ſignũ magnum eſt, quod ex radice cupiditatis procedat. Quanto enim amplius mundus ſeneſcit, vt quidã Doctor ait, tanto amplius multiplicantur iſti contractus.

*Tertia ratio.* Emptio tam frequens redituum præbet multis occaſionem vitam trãſigendi in otio. Quando enim diuitias congrega-

gregarunt ſtatim vacăt emptioni redituum, vt ſine labore & ſolicitudine viuere queant; otium autem eſt puluinar Diaboli, ex quo in Rempublicam plurima incommoda & mala redundant. Creſcente deinde pecunia ex acquiſitione talis lucri, creſcit amor habendi, cum auaritiæ quæ nunquam ſaciatur, ſicut nec etiam infernus ſaturatur, indies maius fomentum adijciatur, & ſic diuites hunc contractum exercēdo fiunt ditiores, & pauperes patiendo redduntur pauperiores, cum ſerpente tempore eis etiam dormientibus currat pēſio, & pecunia quaſi pecuniam generet, in quo effectu multum cum veris vſuris conuenit.

*Quarta conditio.* Hic contractus dat multis deſidioſis, negligentibus, & otio torpentibus anſam, omnem ſuam ſubſtantiam deuorandi, ſtatim quando pecunia indigent etiã pro nulla, aut ſaltē minima neceſſitate, confugiunt ad emptorem redituum, vendunt annuam penſionem, ſi quem fundum aut poſſeſſionem ex patrimonio, aut matrimonio honeſto acquiſierunt in hypothecam ſupponunt; pecuniam ex tali emptione partam breuiſſimo tempore conſumunt, anno elapſo, & aduētante termino, nec etiam habent vt ſoluant penſionem. Emptor auarus prædam intēdit, protrahit ſolutionem penſionis, donec ſumma capitalis & penſiones poſſeſ-

poſſeſſioni hypothecatæ æquiparentur, & tũc media excogitat, vt hypothecam venetur. Deinde hac poſſeſſione ſic deperdita, venditor delitijs & otio iam aſuetus, antiqua via ingreditur, & ſi quod aliud auitum habeat prædium, illud aggreditur, & hypothecat, conſtituendo ſibi alium cenſum, donec tandem extremam miſeriam experiatur, & more filij prodigi ſiliquis porcorum veſci, aut relicta vxore liberiſque in maxima paupertate ſolum vertere: aut ſaltem aliena rapere, donec ad reſtem res redeat, cogatur, vt ſæpius experiẽtia Reſpublica, cognoſcit. Deſidioſi enim cum facili negotio emptores cenſuum habere poſſunt, vtpote quia bonas hypothecas offerre queunt, etiã leui ex cauſa diuendunt, nec perpendunt, quam triſtis ſit futurus exitus. Ex hac cõcluſione ſequitur, quare apud nõnulla tribunalia reliquiæ non niſi quinque poſtremorum annorũ adiudicantur, vt in dicta conſtitutione Ludouici 12. cauetur: Apud aliqua alia etiam tantum reliquiæ id eſt penſiones reſtãtes trium poſtremorum annorum conceduntur. Ratio redditur in d. conſtitutione; Cum enim huiuſmodi reditus ſint odioſi merito ſunt reſtringendi: & emptor etiam quando tanto tempore differt petitionem & exactionẽ pẽſionis, videtur velle venari hypothecam, aut fraudem intentare. Ex hac concluſione

T itidem

itidem, ſicuti etiam ex præcedenti infertur clarè, quod etiam docet Henric. de Haſſia de contractib. 2. part. prope finem, quod publicè non eſt abſolutè prædicandum huiuſmodi contractus eſſe licitos, eo quod auaris & cęteris multum cupiditati deditis offertur occaſio fouendi auaritiam, & exercendi cõtractus dubios, ſuſpectos & odioſos, à quibus Innocent. in hoc cap. & alij eum ſecuti Chriſti fideles admonuerunt, vt abſtinerẽt. In cõcionibus autem & pijs inſtitutionibus homines ſunt adhortãdi ad ea, quæ promouent pietatem, & exercitium virtutum.

*Septima Concluſio.* Redituum annuorum antiquorum emptio æquior eſt, & magis aliena à ſuſpicione vſuræ, quam comparatio noſtrorũ, qui de præſenti inſtituuntur, quãdo emuntur. Vt termini huius concluſionis intelligantur, ſciendum quod apud DD. antiqui reditus intelliguntur, qui antea fuerũt inſtituti antequam venderentur, ex. gra. Petrus fundauit Ioãni in fundis certis, certum annuum reditum verbi gratia, 2. aureorum. Hunc reditum iam conſtitutum & poſſeſſum Ioãnes poteſt alteri vendere. Nouus autem reditus vocatur, qui de nouo erigitur, quando emptio eſt facienda, quemadmodũ quotidie in his partibus contingit. Concluſio, probatur auctoritate Innocentij in hoc cap. quem Ioannes Andr. Anton. à Butrio,

Paul.

Paul. Caſtren. allegati in qu. hac L. & alij ſequuntur, qui concedunt emptionem antiquorum eſſe licitam, negant autem de nouis. Hanc concluſionem etiam doctè pro Canoniſtis contra Conrard. in quæſtio. 77. de contractibus defendit Molinęus de commerc. quæſt. 68. num. 438. Ratio ſumi poteſt ex eis, quæ requiruntur ad ſubſtantiam venditionis & emption. In emptione debet diſtingui pretium & merx. Sed hoc clarum eſt quando venditur aut emitur reditus antiquus, qui veram habet rationem mercis, cũ ante venditionem in rerum natura præexiſtat. Obſcurum autem eſt in conſtitutione reditus noui, qui quando contractus celebratur actu in rerum natura non eſt. Deinde vt ſubtiliter Molinæus diſcurrit. De ratione & forma vſuræ eſt, quod debitor ipſe obligetur ad præſtationem aliquam ſucceſſiuam vltra ſortem, quod realiter fit, quãdo cõſtituit de nouo reditum; tum enim ſe obligat, quod annuatim velit vltra ſortem certum quid ſoluere habita comparatione ad quantitatem ſortis: Non autem ſic verificatur, quãdo debitor vendit reditum antiquũ ſibi ab alio debitum: Quia ceſſione ſtatim liberatur, nec remanet obligatus ad pręſtationem ſucceſſiuã, ſicut nec quando aliquis vẽdit fundũ. Et ſic manifeſtũ eſt cõſtitutionẽ,

reditus noui in ipſius debitoris perſona etiam cum aſſignatione hypothecæ multo expreſſius ſymbolum habere cum vſura, quam venditionem reditus antiqui. Vnde & in cõſtitutione reditus noui, facilius præſumitur vſura. His accedit, quod venditio reditus antiqui non eſt eadem, ſed diuerſa negociationis ſpecies à venditione reditus de nouo. Prior ſpectat ad contractus commutatiuos. Hæc ad eos, qui gratia vſus æris alieni fiunt. Quod multis oſtendit Molinæus in d. q. à num. 439. Poſtremo qui annuum reditũ antiquum vendit non magis videtur id facere neceſſitate impulſus, quam ſi fundum, aut agrum venderet. Venditio autem reditus noui ſemper ex aliqua ſingulari neceſſitate cauſam impulſiuam trahit. Nunc propius ad propoſitæ quæſtionis, de noſtris reditibus, reſolutionem accedendum eſt. Sit ergo.

*Octaua Concluſio.* Contractus Emptionis & venditionis noſtrorum redituum ſiue cẽſuum ex ſua natura eſt licitus, & non vſurarius. Pro explicatione Concluſionis. Dico (noſtrorum redituũ) ad diſtinctionem eorum, quorum iuſtitia declarata in dictorum Pontificum conſtitutionibus. Quia aliqui ex Iunioribus decepti ſunt exiſtimantes eãdem eſſe rationem noſtrorum & illorum, Cum tamen maximè differant, vti ſupra decla-

claratum. Præterea adducuntur à Tyraquel. in d. verbo. Rentes Gloſſ. 6. num. 15. plurimi D D. ad probandum emptionem redituum eſſe licitam, modo abſit fraus, ex quibus tamen pauciſſimi faciunt ad propoſitũ. Quia multi loquuntur de antiquis reditib. iam conſtitutis ſecuti Innocentium in hoc cap. Alij vt plurimum agunt de vitalitijs cẽſibus. Arguere autem ab horum iuſtitia ad illorum rectitudinem, infirmum eſt argumentum. Dictum etiam (ex ſua natura licitus eſt) Quia poſſunt apponi tali contractui pacta & conditiones, quæ ipſum vſurarium reddant. Nunc probanda eſt concluſio. Primo ab auctoritate. Eam ex Theologis tenẽt Conrard. in d. q. 83. Gerſon in 2. part. in tractatu de contractib. propoſitione 9. Henric. Hoitta de contractib. dub. 5. Richar. quodlib. 2. q. 23. artic. 3. Dominicus Sotus lib. 6. de iuſtit. & iure q. 5. art. 1. Ioan. Medina in C. de rebus per vſur. acquiſitis. q. 15. Ex Iuriſperitis eandem tradunt Guilhelm. Bont Louanienſis in tract. de vſuris, qui habetur in tomo 5. Oceani iuris. Bartholomæus Chaſſaneus ſuper cõſuetudinib. Burgundiæ. Rubr. 4. §. 23. num. 33. Didacus Couar. doctè & latè libr. 3. variar. reſolut. cap. 7. Molin. in d. tract. ſæpiſſimè. Andr. Gail lib. 2. practicarum obſeruationum obſer. 7. & alij, non enim vſque adeo multi de hoc contractu ſcripſerunt,

cum apud antiquos non fuerit receptus, vt teſtatur Couarru.lib.d.cap. 10. Itali ſemper loquuntur de cenſibus in Italia notis & vſitatis, noſtrorum naturam & formam ignorãt. Quare aliqui apud Italos vt ipſemet cognoui cõtractum noſtrorum cenſuum damnant: Alij ſaluare volunt modis impertinẽtibus vel ratione pauperum & pupillorum tantum eſſe licitum: cum tamen vſura nec pietatis cauſa etiam licita ſit: vel ratione triũ contractuum virtute concurrentium, de quibus latius in cap. Nauiganti, quando de contractu ſocietatis agetur. Ad contractum noſtri cenſus, natura trium contractuum, vt ſuo loco patebit nõ ingreditur: cum mutui naturam omnino à noſtro contractu remoueamus, & pecunia non detur vt plurimum ad negociandum, ſed ad ſubueniendũ neceſſitati. Alij vero apud Italos iuſtitiam noſtrorum cenſuum admittunt, & ſequuntur viam quam alijs clarius explicarunt Dominicus Sotus, Molinæus & Couarru. fundantes maximè iuſtitiam noſtrorum cenſuum in obligatione perſonali: prout prope finem quartæ concluſ. explicatum eſt, & rem ſiue hypothecam pro aſſecuritate adiũgunt, ſed melius hoc punctum declarabitur infra in concluſione 12. vbi tractabitur de natura huius hypothecæ. Vnum tamen hic obſeruandum pro lectore, ſi legerit Con-
rard.

rard.qui latiſſimè de hiſce contractibus cenſuum ſcripſit maximè à q.72.vt intelligat ipſum variè loqui. Aliquando ſermonem habet de cenſibus iuxta declarationem prædictorum Pontificum,aliquando de noſtris,& hoc quia rectè non diſtinxit, quamuis ipſe in varijs locis ſparſim etiam diſtinctionem inſinuet. De noſtris autem agit in q.83.Nũc probatur Concluſio rationibus.

*Prima ratio.* Vſura habet locum in mutuo vero, vel palliato: Sed in hoc contractu nullum intercedit mutuum, Ergo nec vſura. Maior eſt ex communi DD.ſentẽtia,& probata in Rub.notab.5.Minor etiam firma eſt. Cum de natura mutui ſit, quod ſors ſiue ſumma capitalis poſſit repeti, vt ex communi omnium opinione in Rubrica notab.8. traditum eſt. At de natura huius contractus eſt,quod ſors alienetur, nec poſſit pro voluntate emptoris repeti.

*Secunda ratio.* Ille contractus eſt licitus & iuſtus, in quo concurrũt omnia ſubſtantialia requiſita ad integritatem contractus;Sed in hoc contractu concurrunt ſubſtantialia neceſſaria ad contractum emptionis & venditionis,vt ſunt pretiũ,merx ſcilicet ius ſubleuandi aunuum reditum, quod inter bona immobilia computatur,& mutuus cõſenſus voluntarius vendentis & ementis. Ergo eſt veræ emptionis & venditionis contractus.

*Tertia ratio.* Vſuſfructus poteſt pecunia emi L. Neceſſario §. fin. ff. de peric. & commod. rei vendit. L. 3. ff. de vſufruct. §. fin. ergo & annuus reditus, qui eſt quidam vſuſfructus.

*Quarta ratio.* Si non eſſet hic contractus licitus, maximè quia emẽs reditum tem, poris ſucceſſu plus perciperet, quam ſit ſumma capitalis, pro qua annuum reditum emit. Sed hæc ratio non vrget: Quia ſequeretur, quod etiam emptio alicuius agri, aut alterius rei immobilis eſſet illicita: Cum de re empta, emptor etiam per continuationem annorũ multo plures fructus percipere poſſit, quam valor pecunię ſit, quam in celebratione contractus expoſuit, vt compertiſſimum eſt.

*Quinta ratio.* Contractus recipiunt interpretationem à conſuetudine. Gloſſ. in L. ſi fundus §. in commiſſoria ff. de lega. commu. Panorm. Bald. Felin. & Barbat. in c. Cum M. de conſtitut. Bartol. in L. Nemo ff. de duobus reis, & in L. Domini prædiorum C. de agric. & cenſ. lib. 1. Bald. in L. 1. q. 2. Cod. pro Socio & in L. Incendium, prope finem C. de reb. credit. ſi certum petat. Immolen. in cap. Potuit. & hæc eſt generalis concluſio, quam plurimis allegationibus comprobat Antonius Gabrielius Roman. lib. 6. communium concluſionum in tit. de conſuetud. concl. 1.

Imò conſuetudo inſpici debet ad hoc, vt videatur, An contractus ſit vſurarius, nec ne. Bartol.in L. Si quis ſit fugitiuus §. Apud Labeonem ff.de ędi.edict.Bald.in L.1.C.de his, quæ pœnæ nomine in teſtam. vel codic. relinq.Decius in conſ.170.incip. Viſo themate & his quæ narrata ſunt num.2. Oldrad.de Ponte conſ. 207. incip. Vniuerſis præſentes literas inſpecturis,prope finem Panormit.in conſ.15.volum.1.Ioan.ab Anania in hoc cap. Andr.Tyraq.lib.2.de vtroque retractu §.Finis num.129. Plures ad eũdem effectum adducit Gabr.loc.cit.num.29.Sed conſuetudo non ſolum eſt in vniuerſa Germania,ſed etiam in Gallia & alijs locis celebrandi tales contractus emptionis & venditionis vt licitos. Et confirmatur, tales cõtractus in multis prouincijs celebrantur à viris probis & hominibus bonæ opinionis, qui nullo modo vellent iniuſtos contractus exercere. Ergo ceſſat præſumptio vſuræ.Oldrad.& Bald. locis citatis.Tyraquel.in d. §.Finis num.130. Gerſon. de contract.par.2.poſt principium, & alij alibi.Bald.in loc.d.loquens de contractu redituum, aſſerit cõtractum ſuſpectum non debere cẽſeri fœneratitium, ſi in regione communiter frequentetur maximè inter bonos.

*Sexta ratio.* Licet talis contractus ſit dubius, Doctoreſque aliqui dubitauerint, an

ſit iuſtus, vel vſurarius, tamen qui illum bona fide exercent exiſtimantes eſſe licitum, eo quod in prouincia & regione impunè & ſine ſcrupulo conſcientiæ ſit conſuetum tales contractus exercere non peccāt. Quia actus dubius non debet iudicari vſurarius. Bald. in L. Rogaſti. §. Si tibi in fine ff. Si certum petatur. Dec ibidem colum. vlt. ex L. Si ea pactione, cum ibi annotatis. C. de vſur. Bartol. in d. §. Apud Labeonem. Bald. in conſ. 487. incipien. Apparet. libr. 1. Alexand. conſ. 222. incipien. Super tit. quæſtionis. colum. 2. libr. 2. Cœpola de ſimulatis contractibus in principio colum. 3. & in 5. caſu principali colum. vltim. Nauar. libr. 5. conſiliorum in tit. de vſur. conſil. 20. & alij alibi. Facit ad idem quod errans circa ius dubium non peccat. Ioannes Andreas communiter receptus in capit. de poſtulat. prælat. in 6. & Cardin. in Clem. 1. §. fin. oppoſit. 3. de vſur. Errans circa contractum de quo inter Doctores dubitatur. An ſit vſurarius non peccat, & Nauar. in d. conſil. num. 6.

*Septima Auctoritas.* Vnius viri valde pij & eruditi excuſat à peccato tranſgreſſionis Legis cap. Capellanus de fer. cum Gloſſ. vt explicant ibidem Panormitan. & Immolen. & Nauarr. in d. conſ. num. 4. At hic contractus non ſolum pro ſe habet cōſuetudinem, quæ maioris auctoritatis videtur, quam vnus aut

alter Doctor in interpretandis, diſcernendiſque contractibus, iuxta ſupra dicta, & per Leg. 2. Codic. Quæ ſit longa conſuetudo, ſed etiam multos pios & doctiſſimos viros, vt conſtat ex allegationibus ſuperioribus, & latius in ſequenti confirmatione conſtabit.

*Octauo confirmatio.* Deſumi poteſt ex auctoritate plurimorum Doctorum, qui in Concilio Conſtantien. huic contractui ſubſcripſerunt, vbi caſus fuit DD. & Patribus propoſitus. Dominus enim Rolandus Doctor vtriuſq; iuris, & Decanus Eccleſiæ Cathedralis Paderbornen. qui Carthuſianum inſtitutũ amplexus, & aucto religionis merito factus Prior Carthuſiæ Colon. digniſſimus, miſſus nomine clariſſimi ſui ordinis ad Concil. Conſtantienſe caſum ſubſcriptũ propoſuit Patribus & Doctoribus, & eorum reſponſiones accepit ad ſatisfaciendum cõſciẽtijs ſuorum fratrum, & bonorum Chriſti fidelium. Quarum copiam mihi communicauit ante tres annos in antiquo libello manu ſcripto Venerabilis & pius P. Chriſtoph. Coberen Prior meritiſſimus Carthuſiæ Treuerenſis. Et eaſdem ſubſcriptiones, licet paululum immutato ordine poſtea legi apud Conrard. de contract. q. 83. col. 3

Caſus talis eſt. Quædã domus religioſæ, quarũ fratres non mendicãt, emerunt penſiones

ſiones annuas perpetuas ipſis oportunas pro ſuſtẽtatione fratrum ſuorum de certis ciuitatibus, oppidis, communitatibus, & monaſterijs pro quibus expoſuerunt iuſtum pretium ſecundùm ęſtimationem & curſum locorum illorum, in quibus emebant ſcilicet perſoluendo aliquando viginti quatuor florenos pro penſione vnius floreni in vno loco: & in alijs locis viginti tres, vel ad minimum viginti florenos; venditoribus prædictis dando gratiam, vt ipſas penſiones pro eodem pretio redimere poſſint. Quæritur humiliter. An tales contractus ſint liciti, & ab vſura alieni. Doctorum iudicia vt ſubſcripſerunt ſequuntur ſecundùm dictum libellum.

Ego Petrus Cardinalis Cameracenſis, credo quod tales contractus ſint liciti, dum tamen in ementibus non ſit intentio vſuraria, hoc eſt, quod ementes non intendant, quod vendentes redimant, vt ſic pecunias ſuas rehabeant, & vltra ſortem reditus medij temporis percipiant. Sed talis intentio vſuraria tollitur, ſi ementes ſimpliciter mallent talem contractum facere ſine conditione, quam cum tali conditione redimendi.

Ego Ioannes de Gerſona Doctor & profeſſor ſacræ Theologiæ, & Cancellarius Pariſienſis idem teneo.

Ego

Ego Nicolaus Vordis vtriuſq; iuris Doctor prædictum contractum affirmo, & cõſtanter dico fore licitum, & honeſtum tam de iure Canonico, quam ciuili: propterea manu mea me ſubſcripſi.

Ego Federicus Cardinalis Florentinus ſic ſentio, quod ſi iſtæ penſiones eſſent prius conſtitutæ, vt quia ciuitas cogit ciues ad mutuandum ciuitati; & quia Ciuitas non poteſt ſoluere capitale, conſtituit mutuantibus certos reditus: puta quinque pro centenario; quæ annuatim ſoluit, quouſque reddatur capitale; tunc non eſt propriè mutuum, ex quo mutuantibus non competit actio contra ciuitatem ad reddendum capitale: Quia non eſt conſuetum; nec de facto redditur ius in talibus; vt fit Venetijs, Florentiæ & Genuæ, & hoc videtur licitum, quia vt dixi non eſt propriè mutuum, ſed eſt contractus emptionis. Quia iſte qui dat pecuniam, videtur emere cenſum annuum, & tales penſiones iam conſtitutas licitè poteſt quis emere; vt etiam obſeruatur in dictis locis. Si autem aliquis non coactus dat alij certam pecuniæ quantitatem puta viginti, & ille conſtituit ſe cenſuarium de ſolutione vnius annuatim donec reddat 20. tunc non videtur illicitum, vt dicit Innocent. de vſuris cap. In ciuitate. Tamen non eſt vſura, ex quo non eſt mutuum. Quia ille

ſcilicet,

ſcilicet, qui dedit non poteſt repetere capitale, licet debitor poſſit ſe liberare reddendo capitale. Et intelligo quod reditus iſti communi æſtimatione non excedant, quos haberet, ſi predia emiſſet. agrum. c. Conſuluit, de vſur. Et talis contractus poſſit excuſari in religioſis, ſi eſſet cõſuetus in loco, & ipſis religioſis, non erat facile æquè bene conſeruare vitam ſolitariam emendo predia, ſicut emendo penſiones prædictas.

Et ego Ioannes Vrbach Decretorũ Doctor cõſimiliter, vt præmittitur, dico & ſentio. In cuius teſtimonium me ſubſcripſi, & ſignetum meum appoſui.

Deciſioni prædictorum Doctorum Ego Ioãnes de nouo Lapide Legum Doctor adhæreo. Dicta enim venditio ex ſubſtantialibus conſiſtit, requiſitis, de quibus in L. 1. ff. de contrah. empt. & vendit. & Inſtit. eodem titu. formam recipiens ex conuentione partium L. 1. §. Si conueniat ff. Depoſ. quæ forma eſt licita, & à iure permiſſa L. 2. C. de pact. inter emptio. & vendit. Nec prædicta venditio ſubiacet aliquo modo ſuſpicioni vſurariæ prauitatis. Nam non propter conſuetudinem contrahentium, quæ eſt attendenda L. Qui ſemiſſes §. final. ff. de vſur. Notatur in L. Vel vniuerſorum cum concordatis ibidem allegatis ff. de pignorat. action. Nec etiam ratione exiguitatis pretij conuenti, cum ipſum

ipſum longè excedat pretium legale, de quo in auct.de non alienand. & permutand. reb. Eccleſ.§.Quia vero Leonis, verſ. Si vero alicuius,collat.2. Et etiam notabiliter tranſcẽdit pretium non ſolum commune ſolitum dari pro tali penſione,& ſic nedum ex parte emptoris eſt iuſtum,imò iuſtius iuſto L.Seruum in princip.ff.ad L.Aquil.& L.Pretia rerum in princ.ff. ad Leg. Falcid. iuncta L.De in Litem. Præterea Emptores præfati carius emiſſe videntur ratione pacti in fauorẽ venditoris duntaxat appoſiti, quod auget pretium, & eius eſſe cenſetur pars.L. fundi partem ff.de contrahend. empt. & vendit. Et in teſtimonium præmiſſorum ſigillum meum duxi apponendum.

Quemadmodũ Domini Doctores ſupra ſentiunt. Ita & Ego Ioan. de Ceruo Legum Doctor dicendum puto, & aſſentio videlicet quod cõtractus ſupra ſcriptus ſit licitus, quia eſt iure expreſſe permiſſus, vt in d. L.2. C.de pact.inter empt.& vend. Nec obſtat.c. Ad noſtram,extra de empt.& vendit. vbi talis redemptionis cõtractus in fraudem vſurarũ factus dicitur.Quia hoc eſt verũ in caſu illius capituli: ſcilicet quando contractus eſt imaginarius & ſimulatus per fœneratorem initus,& iuſtum pretium non continẽs: Hic vero contractus emptionis eſt verus & liquidus,iuſtum pretiũ abundè cõtinens, in quo

nulla

ſcilicet, qui dedit non poteſt repetere capitale, licet debitor poſſit ſe liberare reddendo capitale. Et intelligo quod reditus iſti communi æſtimatione non excedant, quos haberet, ſi predia emiſſet. agrum. c. Conſuluit, de vſur. Et talis contractus poſſit excuſari in religioſis, ſi eſſet cõſuetus in loco, & ipſis religioſis, non erat facile æquè bene conſeruare vitam ſolitariam emendo predia, ſicut emendo penſiones prædictas.

Et ego Ioannes Vrbach Decretorũ Doctor cõſimiliter, vt præmittitur, dico & ſentio. In cuius teſtimonium me ſubſcripſi, & ſignetum meum appoſui.

Deciſioni prædictorum Doctorum Ego Ioãnes de nouo Lapide Legum Doctor adhæreo. Dicta enim venditio ex ſubſtantialibus conſiſtit, requiſitis, de quibus in L. 1. ff. de contrah. empt. & vendit. & Inſtit. eodem titu. formam recipiens ex conuentione partium L. 1. §. Si conueniat ff. Depoſ. quæ forma eſt licita, & à iure permiſſa L. 2. C. de pact. inter emptio. & vendit. Nec prædicta venditio ſubiacet aliquo modo ſuſpicioni vſurariæ prauitatis. Nam non propter conſuetudinem contrahentium, quæ eſt attendenda L. Qui ſemiſſes §. final. ff. de vſur. Notatur in L. Vel vniuerſorum cum concordatis ibidem allegatis ff. de pignorat. action. Nec etiam ratione exiguitatis pretij conuenti, cum

ipſum

pſum longè excedat pretium legale, de quo n auct. de non alienand. & permutand. reb. Eccleſ. §. Quia vero Leonis, verſ. Si vero alicuius, collat. 2. Et etiam notabiliter tranſcē-dit pretium non ſolum commune ſolitum dari pro tali penſione, & ſic nedum ex parte emptoris eſt iuſtum, imò iuſtius iuſto L. Seruum in princip. ff. ad L. Aquil. & L. Pretia rerum in princ. ff. ad Leg. Falcid. iuncta L. De in Litem. Præterea Emptores præfati carius emiſſe videntur ratione pacti in fauorē venditoris duntaxat appoſiti, quod auget pretium, & eius eſſe cenſetur pars. L. fundi partem ff. de contrahend. empt. & vendit. Et in teſtimonium præmiſſorum ſigillum meum duxi apponendum.

Quemadmodū Domini Doctores ſupra ſentiunt. Ita & Ego Ioan. de Ceruo Legum Doctor dicendum puto, & aſſentio videlicet quod cōtractus ſupra ſcriptus ſit licitus, quia eſt iure expreſſe permiſſus, vt in d. L. 2. C. de pact. inter empt. & vend. Nec obſtat. c. Ad noſtram, extra de empt. & vendit. vbi talis redemptionis cōtractus in fraudem vſurarū factus dicitur. Quia hoc eſt verū in caſu illius capituli: ſcilicet quando contractus eſt imaginarius & ſimulatus per fœneratorem initus, & iuſtum pretium non continēs: Hic vero contractus emptionis eſt verus & liquidus, iuſtum pretiū abundè cōtinens, in quo

nulla

nulla ſimulatio: nulla fraus interuenit. Ideo eſt valde licitus & permiſſus. In teſtimonium huius rei ſigillum meum præſentibus appreſſi.

Et ego Theodoricus de monaſterio Sacræ Theologiæ Profeſſor, Coloniæ regens aſſentio Doctoribus ſupraſcriptis, quia pretium datum eſt iuſtum : conditio appoſita cedit in fauorem vendentis, & facit in dicto contractu fauorem ſeu charitatem ad proximum amplius relucere, & hoc meo ſigillo appreſſo.

Et ego Iacobus de Suſato, ordinis Prædicatorum ſacræ paginæ Profeſſor, ac hæreticæ prauitatis inquiſitor, aſſentio Doctoribus ſupradictis: maximè cum Dominus Innocent. in cap. In ciuitate text. de vſur. ſuper verbo. Ex forma, dicat quod quãdo in perpetuum emuntur reditus: nunquam poteſt contractus eſſe illicitus: nec gratia data venditori præiudicat contractui, imò fortificat, & facit eum plus iuſtum, & hoc meo ſigillo, &c.

Et ego F. Nicolaus de Spira Sacræ Theologiæ Profeſſor, fratrum ordinis Carmelitarum conformiter ſentio Doctoribus prædictis, eo quod adiecta conditio potius tendere videtur in venditoris fauorem & releuamen, quam in ipſius grauamen, & illam charitate fouere videtur, de qua Apoſtolus Paulus

Paulus ad Roma. 13. Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis, & hoc meo ſigneto appreſſo.

Et ego Ioan. Ban. Legum Doctor, Prępoſitus S. Gregorij Colonien. æſtimo præmiſſa conſona fore diſpoſitioni iuris communis. In cuius rei teſtimonium me ſubſcripſi, & ſigillum proprium impreſſi.

Præterea etiam pro hoc contractu quidam Dinus Archepiſcopus Ianuen. quendam tractatum ſcripſit, cuius concluſionem ic finit.

Ego Dinus permiſſione diuina Archieiſcopus Ianuen. concludo prædictos contractus ſecũdum ſtatuta Eccleſiæ veros eſſe, iſtos, licitos & honeſtos, ac tenendos, nec ipere aliquam fraudem vſurarum, & in teimonium veritatis, nomen meum propria ianu huic tractatulo ſubſcripſi, & ſigillo ieo ſignaui. Acceſſit his alius Doctor.

Ego Auillus Rector Eccleſiæ S. Puranti ticenſis Diœceſis, decretorũ Doctor præriptæ concluſioni tanquam veræ aſſentio, ſigillum meum in teſtimonium veritatis a cum alijs venerabilibus viris decem Dooribus vtriuſque iuris eximijs vna cum ædicto Domino meo Archiepiſcopo mem in iſta materia conſentientibus appen-Hæ duæ vltimæ ſubſcriptiones in libello ınu ſcripto interſerũtur alijs poſt ſenten-

tiam Cardinalis Florentini. Apud Contardum autem poſtponuntur. Harum etiam ſubſcriptionum videtur meminiſſe Ioannes Gerſon qui etiam ſubſcripſit in 2. part. ſuorum operum in tract. de contractib. 3. parte attentione 10. non longe à fine tractatus, dũ dicit. Super caſu particulari fuerunt inquiſita plurima conſilia peritorum etiam Theologorum in varijs locis & collationibus nominatim. Conſtantiæ in reformatorio, & ad partem, & in cedulis ſubſcriptis, & qui vidit, teſtimonium perhibuit, quod contractus prædictus, & ſimiles ſunt liciti: Nunc videndum de iuſtitia & iniuſtitia pactorum, quæ ſæpe adiunguntur, ſit ergo.

*Nona Concluſio.* Pactum de reuendendo adiunctum ita vt venditor pro ſua voluntate poſſit redimere cenſum, non efficit hunc contractum cenſuum vſurarium. Conſtat Concluſio ex Martini V. Calixti III. & Pij V. conſtitutionibus. Deinde in venditione aliorum bonorum immobilium vt domus, agri, &c. hoc pactum non facit contractum vſurarium vt probatum in q. 7. huius ca. ergo nec etiam contractum cenſuum. In hac cõcluſione communiter DD. conueniunt.

*Dubium hic eſſe poteſt.* An ſicut hoc pactum ex parte venditoris appoſitum non reddit contractum vſurarium: Ita etiam poſſit apponi in fauorem emptoris in hunc ſenſum,

vt quando ipſe voluerit, venditor teneatur redimere cenſum, quod ab aliquibus dicitur pactum retroemendi. Ioan. Medina C. de rebus per vſuram acq. q. 15. putat huiuſmodi pactum non vitiare contractum cenſus, modo iuſtum pretium interueniat: ſcandalum, infamia & mens deprauata ceſſent, probat rationibus, quæ plus ſubtilitatis, quã probabilitatis continent. Tandem tamen concludit his verbis. Hæc dicta ſunt conſiderando contractum & naturam eius in ſe, qui etſi (vt præfertur) iuſtificari poſſit, eſt tamen talis cõtractus diſſuadendus: tum quia videtur habere ſpeciem mali ob nonnullam ſimilitudinem, quam cũ mutuo habet: tum etiam quia daretur anſa vſurarijs ſuas vſuras palliatè exercendi. Dicerent enim his, qui mutuo petunt, non mutuabo, ſed emam à vobis cenſum ſeruata mihi facultate contractum reſcindendi. Et ita quando aliquid eſſent lucrati contractum reſcinderent, in quo idem, aut plus, quam per apertam vſuram lucrarentur: Et ita contractus huiuſmodi merito præſumitur vſurarius. Hæc ille, ſit.

*Decima Concluſio.* Pactum adiectum contractui cenſus, vt venditor teneatur redimere & vel reemere cenſum, ad voluntatem emptoris vitiat contractum, ipſumque vſurarium reddit. Hanc concluſionem tenent

Conrard.de contractibus q.84.concl.5. Sotus lib.6.de iuſt.& iure. q.5.artic.3.conclu. 1. [redacted] de commercijs. q.55.& 58. Didac.Couar.lib.3.variar.reſolut.ca.9.Ioan. Bapt. Lupus de vſur.& commerc. commen. 2.§.2.num.69.Andr.Gail.libr.2.practic. obſeruat.7. obſeruat.& alij communiter,& bene dicit Gail, illud pugna carere, contractũ illum vſurarium eſſe, quando pecunia non alienatur in omne tempus, ſed arbitrio creditoris permittitur, vt eam repetere pro ſua voluntate poſſit, & interim annua penſione fruatur. Tunc enim non emptionis, ſed mutui contractus eſt: Quoniam ſecundùm cõmunem Doctorum ſententiam mutuum tunc eſt, quando ſors poteſt repeti & reuocari, vt in Rubr.notab.8. comprobatum eſt. Ergo ſi pactum reijciatur, vt venditor pro arbitrio emptoris teneatur redimere, mutuum eſſet, & non vera emptio, ſed colorata, & ſic quidquid vltra ſortem accipitur vſura eſt. Præterea ſecundùm Doctores de natura contractus annuorum redituum eſt, quod ſors alienetur, nec poſſit ab inuito repeti, & in hoc differt à mutuo & vſura. Pluribus hanc cõcluſionem probant Molinæus & Couarr.

*Alia difficultas.* An licita ſit annuorum redituum emptio, ſi fiat hac appoſita conditione, vt venditori liceat infra certum tem-

pus

pus redimere, quod ſi neglexerit, reditus ſit perpetuus & irredimibilis. Conrard. in q. 83. conclu. 8. & Ioan. Medin. putant dictam cõditionem adiungi poſſe, nec talem contractum illicitum efficere.

*Vndecima Concluſio.* Pactum additum in mptione annuorum redituum, vt venditori liceat, infra certum tempus redimere, non poſtea, efficit non quidem contractum vſurarium, ſed iniuſtum, ita vt talis onditio à contractu ſit reijcienda & cenſus ıaneat ſemper redimibilis etiam poſt terıinum præſcriptum. Molin. q. 50. numero 2. de commerc. Couar. vbi ſupra nume. 9. an. Baptiſta Lupus loc. cit. & pro hac ſenntia ſæpe iudicatum multis areſtis probat [redacted]. Sic etiam ſæpe pronunciatum in ranatenſi prętorio Couar. atteſtatur. Cum im emptio annui reditus ſecundùm ſupra ta ſit odioſa & ſuſpecta, talis conditio nõ admittenda, ſed reijcienda. Non enim is conditio contractum vitiat, ſed vitia-, vt DD. loquuntur. Dubium. Quid didum, ſi talis conditio addatur, vt liceat ıditori redimere poſt certum tempus ex. t. poſt. 6. vel 7. annos & non prius: Rendeo cum [redacted] in d. quæſtio. 50. qui res allegat. Couarru. & alijs hanc pactio-n, cõtractum cenſus omnino vſurarium dere & in totum vitiare: Quia conſtitu-

tiones dictorum Pontificum ſtatim & ſemper poſt venditionem volunt venditori ius competere, vt ſe liberare valeat redimendo cenſum.

*Duodecima Concluſio.* Emptio annui reditus ſiue cenſus non redditur illicita per hoc, quod venditor obligat emptori aliqua bona in hypothecam, quę poſſit diſtrahere ſecundum cõſuetudinem loci, aut pacta conuenta, ſi venditor tempore definito non ſoluat penſionem : aut creditor aliquod intereſſe patiatur ob moram ſolutionis. Probatur. Quia de iure licitum eſt tale pactum in contractibus, pro ſecuritate creditoris. L. Pactũ ff. de pignorat. action. valet pactum, quod ſi venditor intra certum terminum, debitum non ſoluerit, tunc prædia impignorata & hypothecata liceat creditori vendere. Ad idem faciunt L. 1. C. de pact. pignor. & Leg. fundus §. fina. ff. de pignorat. Et in L. Si neceſſitas. §. Si annua ff. de pignora. action. notat Bartol. cui Gloſſa. Alexand. & alij conſentiunt, eſſe caſum, quod ſi quis ex certo fundo teneatur penſionem ſoluere, ad certum terminum, & non ſoluerit, quod ex tũc creditor poſſit pignus vendere pro penſione non ſoluta, & ibidem §. final. dicit per illam L. quod in illo caſu pignus poteſt vendi, non ſolum propter debitum non ſolutum; ſed etiam propter acceſſiones, & facit text. in

L. Quæ

L. Quæ ſpecialiter Cod. de diſtra. pignorat. Hic iterum in memoriam reducendum, quod principalis obligatio ad ſolutionem annui reditus in hoc noſtro cenſuum contractu eſt perſonalis; hypotheca autem acceſſoriè pro ſecuritate creditoris apponitur, vnde etiã re interempta, quæ hypothecæ rationem obtinet, adhuc manet obligatio perſonalis ad annui reditus ſolutionem: Cũ ea ſit natura pignoris & hypothecæ, vt etiam ſi perierint, debitor tamen adhuc æs alienũ teneatur ſoluere. In antiquioribus tamen reditibus, de quibus Pontificum conſtitutiones, res, in qua fundebatur cenſus, erat de ſubſtantia reditus: vnde re conſumpta & perempta omnis ceſſabat obligatio ſoluendi reditum vt cõmunis antiquorum Theologorum & Iuriſperitorum eſt ſententia. Nam tunc reditus limitatè conſtituebatur ad talem rem & poſſeſſionem: Ita quod conſtituens & eius hæredes ſeu ſucceſſores non tenebantur ad ſolutionẽ reditus niſi ratione rei & quam diu illam poſſidebant. Perempta ergo re, perimebatur reditus, nec vlla erat obligatio perſonalis. At in noſtro reditu alia ratio eſt, cum obligatio principaliter fundetur in perſona. De qua re Molinæus in conſuetud. Pariſienſi, titulo 1. §. 11. numero 15. quem citat, & ſequitur Didacus

libr. 3. cap. 7. numer. 5. in fine. Vnum tamen cum Couarr. quem alij recentiores ſequuntur conſiderandum, quod hæc hypotheca quæ contractui emptionis redituum adiungitur aliquo modo eſt priuilegiata, nec ſequitur omnino leges aliarum hypothecarum. Regulariter enim tertius poſſeſſor, qui nec contraxit, nec contrahentis in hæreditate ſucceſſor extitit, conuentus hypothecaria, poteſt opponere excuſſionis nondum actæ exceptionem. Authent. Hoc ſi debitor. C. de pignorib. cum annotatis. At poſſeſſor prædij, aut alterius hypothecæ, ſupra qua annuus reditus conſtitutus eſt, poteſt conueniri ad eius ſolutionem, etiam nulla facta, nec præmiſſa excuſſione: Quia annui reditus conſtitutio ſuper aliqua poſſeſſione hypothecam inducit fortiorem quidem omnibus alijs, quoad hunc effectum abſque præiudicio priorum creditorum, eo quod videatur ius quoddam ſuper ipſa poſſeſſione conſtitui tanquam onus ipſius poſſeſſionis, quod conſequenter cum poſſeſſione tranſeat in quemcunque eius poſſeſſorem: Qua de cauſa quicũque talem poſſeſſionem hypothecatam in poſſeſſione habuerit: cum talis res ſic hypothecata tranſeat cum ſuo iure & onere affecto, tenetur reditum ſoluere, & emptorem reditus, vt Dominum iuris percipiendi ex ea re recognoſcere, vt tradi-

ere Guido Papa quæſt.42. & quæſt.576. & ;haſſan. ſuper conſuetud. Burgund. Rubr. ǐ.§.6.num.2. Couarr. loco cit. num.6. & Ioannes Baptiſt. Lupus vbi ſupra. Guido & ;haſſan. hanc opinionem de conſuetudine : vſu Galliæ & Burgundiæ eſſe exiſtimant, ſit certa res aſſignata & obligata pro redi-ı, vt communiter fit, tum enim creatur ius ı re, & eidem adhæret, adeo quod ſequaır rem, & eius poſſeſſorem, quod æquum : iuridicum eſt, L. Imperatores ff. de publian. ait Chaſſan. Hanc de cenſibus doctrinã ;ouarru. ab alijs quidem breuiter inſinuaım & fundatam longius proſequitur & exlicat, magnam quidem patitur iuſtitia illus contractus difficultatem, præſertim um perſonalis cenſus paucis antiquioribus ıerit cognitus, & nunc paſſim apud tribualia explodatur. Verum cum tam frequens ı multis prouincijs Reipub. Chriſtianę huıs contractus exercitium ſit etiam inter onos, etſi intimè penetrare eius fundaıentum non poſſumus, tamen ſtatim damare non debemus, cum iniuſtitiæ & vſuraæ prauitatis etiam arguere non valeamus. )ubium hoc loco reſoluendum occurrit, uod aliquando ſuum in praxi locum hauit, vt recordor. An quis qui non habet ona immobilia, poſſit hypothecare pro aſcuratione annui reditus vaſa argentea: aut

aurea, aut aliam pretioſam ſuppellectilem. Reſpondetur ſimpliciter, quod ſic in conſtitutione noſtrorum redituum: Quia cum res ſuppoſita ſolum habeat locum pignoris & hypothecæ, optimè fieri poteſt. Quia ſi ſufficiat hypotheca pro aſſecuratione capitalis & penſione cum alijs acceſſionibus: ſiue ſit res mobilis, ſiue immobilis parum refert. Alia tamen ratio eſt, quando loquimur de cenſibus, ſecundùm conſtitutiones Pontificum, de quibus ſupra: In illis enim requiruntur res immobiles, vel habitæ pro talibus, & fructiferæ. Solent tamen communiter hypothecari in huiuſmodi contractibus, res immobiles & fructiferæ apud noſtrates.

*Aliud dubium.* An quando hypotheca diuiditur ab hæredibus, vt ſæpe contingit, exempl. grat. tres fundi ſunt hypothecati, moritur parens, qui reditum conſtituit, & ſunt tres filij, qui diuidunt hæreditatem, & quiſque eorum recepit ratione ſuæ hæreditatis vnum ex fundis, emptor cēſus vnumquemque eorum in ſolidum poſſit conuenire, vel quemlibet pro ſua rata? Reſpondetur omiſſa longiori diſputatione in hypotheca, quæ ſupponitur ratione annui cenſus, quemlibet conueniri, pro rata ſuę partis, quæ diſtributione facta ad ipſum peruenit. Guido Papa deciſ. 432. Chaſſan. ſuper conſuetud. Burgund.

und.Rubr.5.§.2.nume.35. Couar.vbi ſupra
u.8.Ioan.Bapt.Lup. loco alleg. pro quibus
iciunt Panorm.num.8.& Anchar. num.13.
t text. in cap. Conſtitutus de religioſis do-
nib.& id æquitatis eſt. Cum enim vna pen-
o cõſtituitur pro pluribus rebus, tacitè vi-
etur diſtributa in ſingulas res, & ſic quæli-
iet res hypothecata pro rata ad penſionis
onſtitutionem cenſebitur,& hęc hypothe-
a cenſuum irregularis eſt, & non ſequitur
er omnia naturam aliarum hypothecarũ.
deo argumentari à conditionibus aliarum
iypothecarum ad hypothecam annuorum
edituum, infirmum eſt. Tenent tamen a-
ij in contrarium,ſed melius & æquius quod
ractatum eſt dicitur.

*Decimatertia Concluſio.* Emptio annui re-
litus non redditur iniuſta ex cõditione,quę
iunc vt plurimum adijcitur à multis, quod
bona pignoris ſiue hypothecę titulo ſuppo-
ſita debeant in valore excedere ſummam ca-
pitalem, conſtat ex dictis in præcedenti Cõ-
cluſio.Hypotheca adijcitur pro aſſecuratio-
ne non ſolum capitalis, ſed etiam penſionis
intereſſe veri. Ergo non ſolum commenſu-
randa eſt ſummæ capitali, ſed etiam alijs ac-
ceſſionibus, quæ moraliter contingere poſ-
ſunt.

*Decimaquarta Concluſio.* Conditio appoſita
in emptione redituum, quod bona hypo-
thecata

thecata non poſſint alienari ſine conſenſu Cenſualiſtæ, non reddit hunc contractum vſurarium. Probatur. Conc. Quandoquidem bona hypothecata ſunt obligata emptori cenſus, vt ſe indemnē conſeruet, quod iure facere poteſt, à ratione iuſtitiaque alienum non eſt, vt conditionem adijciat pro maiori ſecuritate. Inſeruit autem hæc cōditio, vt cognoſcat in alienatione an ſibi bene prouideatur, recognoſcatque ſuum debitorem; Cum multum referat, qualem quis habeat debitorem fidelem, vel infidelem, negligentem an diligentem. Eſt autem hæc conditio mutuo accepta à contractu Emphyteoſis, cuius alia natura eſt: Quia in Emphyteoſi res ſuppoſita, eſt tradentis in Emphyteoſin. Cenſualiſta autem noſter, de quo in præſenti percipit cenſum ratione rei alienæ, quæ non deberet grauari onere in præiudicium venditoris, cuius res eſt, niſi ipſe aliquid in recompenſationem tanti oneris perciperet. Pius V. in ſua Bulla pro commodo venditoris reijcit, dictam conditionem à cenſibus.

*Decimaquinta Concluſio.* Non vitiat contractum emptionis annui reditus, quod conditio adijciatur, vt ſi penſio biennio aut triennio non ſoluatur emptor ſiue cenſualiſta poſſit diſtrahere hypothecā tam pro recuperanda capitali ſumma, quam pro reli-

quijs,

quijs, damnis & intereſſe. Hæc concluſio ſufficienter probatur ex iuribus &allegationibus adductis pro duodecima concluſione. Deinde, ex communi Theologorum ſententia emptor poſſit debitorem obligare ad pœnã moderatam, ſi ex culpa & negligentia non ſolueret in termino, modo intentio vſuraria non ſit. Ergo poteſt etiam obligare hoc contractu, vt ſi non ſoluat biennio: aut triennio penſionem, poſſit diſtrahere hypothecam pro reliquijs pẽſionum & intereſſe. Tamen id obſeruandum: ſi emens reditum tempore celebrationis contractus, moraliter præcognoſceret venditorem non fore ſoluendo in termino, non eſſet tutus in conſcientia apponendo talem cõditionem: cum intenderet tanto tempore dare mutuo vt elapſo termino diſtrahendo pignus lucrum reportaret; Adhæc, ſubintelligitur quod pignus iuſto pretio debeat diſtrahi: Nec emptor plus ſibi de vendito pignore debet reſeruare, quam ſuum ſit debitum. Conrard. q.86.conclu.2. ad ſaluandum conditionem huius concluſionis nouem cautelas requirit, quas lector apud eum videre poterit. Hic aliud notandum quod apud quoſdam Doctores nempe Ioan. Medinam in Cod. de reb.per vſur.acquiſ.quæſt.vlt. Didacum lib. 3.variar. reſolut.c.7. num.1. Nauarr.in comment. de vſur. à numer. 110. & alios legitur,
quod

quod contractui cenſuali ſoleat aliquando apponi conditio, vt non ſoluto cenſu biennio, aut triennio res ſuppoſita cenſui ſubiaceat pœnæ commiſſi; quæ pœna etiam ſeruatur apud Hiſpanos iuxta conſtitutionem Regiam 68. Tauri. Ne quis erret, noſtriſque cenſibus ſiue reditibus eam cõditionem adijciat & eos odioſiores reddat, intelligat hos DD. loqui de cenſibus perpetuis; reſeruatiuis abſque facultate redimendi, qui imponuntur ſuper re ipſius, cui cenſus ſoluitur: Hic enim cẽſus aliquam ſimilitudinem habent cum Emphyteoſi: de cuius natura eſt, quod is qui ceſſat ſoluere penſionem triennio priuatis & biennio Eccleſiæ, iure ſuo cadat L.2.C.de iure Emphyt.cap.fin.de Locat. Et cum in cenſu reſeruatiuo Dominus primus dominium tradat in alterum, reſeruato annuè ſibi aliquo certo reditu aliquam ſimilitudinẽ habet cum Emphyteoſi, ideoque dicta conditio, quę propriè Emphyteoſi competit traducitur ad cenſum reſeruatiuum. Quare nullo modo noſtris cenſibus de quibus hic loquimur adiungenda, vt etiam docent Conrard. d. quæſt. 86. concluſ. 3. & Couarru. qui dicit, Suprema Regis tribunalia dictam conditionem non admittere niſi in cenſibus reſeruatiuis. In canonibus non vocantur propriè cenſus niſi illi de quibus text. & DD. in cap. Conſtitutus. de religioſ.

ioſ.domib.qui ſunt reſeruatiui, in qua ſignificatione ſępiſſimè DD.nomine cenſus vtuntur. Ideoque non omnia, quæ Doctores de cenſibus tradunt, ſtatim ad noſtros trahenda, niſi quis turpiter errare velit in multis. Pœna ergo commiſſi, quę aliâs de iure ob rigorem odioſa eſt, merito reijcienda à noſtris cenſibus cum aliâs ſint odioſi, ideoque potius reſtringendi, quam extendendi: Et Pius V. etiam damnat dictam conditionem.

*Decimaſexta Concluſio.* Licitum eſt cenſus emere ea adiecta cōditione, vt non per partes, ſed ſimul tota fiat reluitio, vt nũc paſſim apud nos emuntur. Domin. Sotus libr. 6. de iuſtit.& iur. quæſt.5. articu.3. conclu.4. Ioannes Baptiſt. Lup. de vſur. comm.2.§.2. nume. 71. & alij. Hæc Conc. non habet locũ in terris Pontifici in temporalibus ſubiectis propter Bullam Pij V. de cenſibus, in qua Pontifex vult reluitionẽ etiã poſſe fieri per partes. Probatur Conc. Si enim hoc pactũ contractũ vitiaret, maximè quia efficeret, quod non eſſet contractus empt. & venditionis: hoc tamen non facit, vt conſtat in emptione reditus irredimibilis, in quo nõ tollitur ratio emptionis per hoc, quod nunquam pretium redditur. Ergo etiã nõ tollitur per hoc quod in redemptione totũ pretiũ ſimul reddatur, & confirmatur. In empt.& venditione æqualis eſt conditio vendentis & emẽtis.
Ergo

Ergo ſicut totum pretium venditor recipit in prima vēditione: Ita emptor etiam poteſt totum recipere in redemptione. Maius tamen debet eſſe pretium, quando reluitio ſimul tota fit, quam ſi per partes fieri poſſet.

*Decimaſeptima Concluſio.* Emptio annui reditus non redditur vſuraria per hoc, quod emptor obligat venditorem ſoluere omni anno penſionem non obſtante quocunque caſu fortuito. Intellige tamen hanc concluſionem, ſicut omnes alias, modo oneroſæ conditioni aliquod pretium reſpondeat, & onus venditoris recompenſetur ab emptore. Conrard. q. 83. conclu. 4. & Ioannes Medin. vbi ſupra prope finem & alij alibi: probatur. In emptione aliorum bonorum immobilium licitum eſt contractum munire cautelis ſufficientibus modo iuſtitia in pretio ſeruetur. Ergo in hoc contractu. Præterea talis contractus videtur reſolui in duos licitos nempe in cōtractum emptionis cenſus, & aſſecurationis, quo venditor in omnem euentum recepit in ſe periculum. Si ergo in vtroque cōtractu ſeruetur iuſtum pretium, non deerit iuſtitia contractui. Hic addendum vnum cum Medina, quod in huiuſmodi contractibus, quando alter ex contrahentibus, pactum in fauorem ſui apponit, ratione cuius, alterum onerat: Ille alter poterit in recompenſam præfati oneris,

quod gratis pro alio ſubire non tenetur, aliquid aliud exigere:& quanto plura onera alter ad alterius inſtantiam ſubit, tanto maius pretium poteſt in recompenſam ab illo altero exigere. Quod fundamentum ad deciſionem multorum caſuum valet. Conditio prædicta reijcitur à cõtractu cenſus per Bullam Pij V.& merito,cum ſit grauiſſima venditori,& gratiſſima emptori,ac multum dura ſuſpectáque niſi pretio recompenſetur. Sicut enim in hoc & ſimilibus contractibus quicquid alleuiat & minus grauat debitorẽ ac deteriorem reddit creditoris conditionẽ, eleuat & minuit ſuſpicionem vſuræ, vt verè ſentit Molin. de commerc. numero 22. Ita, quicquid deteriorem facit partem debitoris,& alleuiat creditorem, contractum magis odioſum ſuſpectúmque facit, vt patet ex conſtitutionibus Martini V. Calixti III. & Pij V. in quibus pauciſſimæ ſunt conditiones appoſitæ in fauorem emptoris, & plurimæ in gratiam venditoris. Certum eſt nunc multas in inſtrumentis emptionis annuorum redituum conditiones ſæpe apponi à iure & æquitate exorbitantiſſimas, nec non etiam renunciationes duriſſimas, quas vel emptoris auaritia excogitat; vel notarij plus cautelæ attendentes, quam contractus talis naturam conſiderantes adiungunt;quę certè renunciationes & inſolita pacta magis

odioſum ſuſpectumque contractum reddunt, maioriſque doli ſuſpicionem ad illaqueandum miſerum debitorem inducunt, qui preſſus neceſſitate, vt æs acquirat quodlibet onus in ſe recipit, imò ſæpiſſimè nihil ſcit de cōditionibus appoſitis, & hodie quiſque qui ſic pecunias exponit nouas excogitat argutias, quaſi ſummæ prudentiæ ſit inſolitas & nouas inuenire cautelas. Cogigent tales, quod huiuſmodi cautelæ, inſolita pacta, & clauſulæ cautiores, actus efficiūt ſuſpectiores. Bald. & Alberic. L. e. penult. C. de euiction. Bartol. Cæpola de ſimulat. contractib. præſumpt. 9. Bald. conſ. 487. incipien. Apparet quoddam inſtrumentum lib. 1. Quanto plus cautelæ adijcitur in contractibus ſuſpectis, tanto magis præſumitur fraus & dolus. Dec. conſ. 448. incipien. Vis tota propoſitæ conſultationis. nume. 23. Inſolita diligentia ſuſpicionem fraudis inducit. Anchar. conſil. 257. incipien. Si prædicta ſententia colum. 2. Bertrand. conſ. 210. incip. Non ſolum nu. 17. lib. 1. Bald. ex Gloſſ. cap. Ex literis de conſuet. num. 8. Vbi abundantior cautela, ibi abundantior eſt fraus, quem ſequitur Iaſ. in conſ. 170. incip. Quod prædicti col. 2. libr. 2. quem refert & approbat Tyraq. libr. 2. de vtroque retract. in præfatione num. 18. Facit ad idem Gloſ. ordinarie in L. Si quis ſub conditione ff. de condit.

Inſtitut.

Inſtitu.ex renunciationibus inſolitis inſtrumẽtum eſt ſuſpectum, quam vt ſingularem notant & approbant Bald.in cap.Tertio loc. num.15.de probat Felin.in cap.Si cautio nu. 70.de fide inſtrumen. Angel.& Bald.in d.L. Si quis ſub conditione. Gerard. à Petra ſancta in ſingul.77.Couar.lib.3.var.reſol.cap.8. nume.6.ad finem & alij alibi: Ad idem accedit, quod quamuis iuramentum aliàs ſoleat confirmare contractus, ſi tamen apponatur huiuſmodi contractibus cum pacto de reuendendo factis, eos magis reddit ſuſpectos de fraude & ſimulatione Hoſt.& Ioan. And. in c.Illo vos; de pignorib.argum. cap. Super hoc; de renunciation.Gloſſ. in ca.Significauit,in verb. Interdicit, de ſenſib. Ambroſ. à Vignate in cap.Salubriter in quinto iudicio. Bald.conſ.275.incip.præmiſſo ſtatuto col. 2. lib.5.&latè Tyraquel.loc.cit.nume.16.Confirmat,id quod Bartol. annotat in L. Nemo poteſt,col.3.ff.de legat. 1. Quod ſi inſtrumẽto renũcietur exceptioni ſimulationis, tum poterunt dici omnia ſimulata, & ipſa etiam renunciatio.

*Dubium hic eſſe poteſt.* Quid ſi in inſtrumẽto contractus talis,addantur verba.Verè vẽdidit, & non ſimulatè, nec in fraudem vſurarum & ſimilia dicta;prout nunc ſæpe fit apud nos. An per hæc verba cõtractus ſuſpectior reddatur. Pleriq; Doctores reſpondẽt

 quod

quod ſic.Salycet.in L. Emptione.colu. 1. C. Plus valere, quod agitur. Cæpol. in d.præſumpt.9.Ambr.à Vignate vbi ſupra nu.100. Ioan.Immolen.in cap.Ad noſtram de empt. num.8.Anton.Burgen.ibid.num.63.Petrus Anchar.in d.conſ.257.And.Barbat. in conſ. 72.incip.Illud in medium referam col.2. lib. 3.Tyraq.loc.cit.num.19.& alij alibi. Si quis contra hæc omnia obijciat. Gloſſ. cum text. in L.Teſtamentum C.de teſtam. & in L. penult. C. de euiction. Abundans cautela non nocet,nec malam fidem inducit.Reſpondetur locum habere in alijs minimè ſuſpectis, & vbi nulla eſt præſumptio fraudis. At alia ratio eſt in contractibus, qui aliâs ſuſpicioni fraudis ſubiacent, vt patet ex iuribus & allegationibus.

*Decimaoctaua Concluſio.* Licitum eſt contractui cenſus illam apponere clauſulam, vt antequam fiat redemptio, venditor teneatur, per medium annum, aut bimeſtre ante redemptionem denunciare à ſe tali tempore faciendam reluitionem. Hæc Concluſio patet ex Bulla Pij V.& eſt appoſita pro commodo emptoris, vt in tempore poſſit prouidere ſuæ indemnitati,& conſulere ſibi deſtinando pecuniam ſuam alicui honeſtæ negociationi, aut emptioni redituum. Hanc concluſionem etiam tradit Conrard.in d.q. 83.conclu.8.

*Decima*

*Decimanona Concluſio.* Quando non eſt conuentum in celebratione contractus, ſi fiat redemptio annui reditus ante finem anni vt in initio poſt tres, vel quatuor menſes non debet ſolui totus cenſus illius anni, ſed tantum pro rata temporis. Dictum in concluſione, quando non eſt conuentum. Quia conuentio fieri poteſt vt redemptio non fiat niſi in fine anni, & vt tunc penſio ſimul cum capitali ſumma refundatur iuxta Conrard. loco citat. modo in pretio compenſatio fiat. Probatur Concl. De iure eſt libertas redimendi in hoc contractu, quæ non debet eſſe reſtricta. Non autem poſſet quis redimere liberè quandocunque vellet, ſi ſine damno ſuo id non poſſet: Cum is liberè dicatur aliquid facere, qui ſine vllo damno poteſt cap. 1. de regular. lib. 6. Dominic. & Philip. Franc. ibidem Gloſſa in Clem. Dudum in verbo, liberè de ſepult. Atque ſic reſoluit Nauar. in com. de vſur. num. 126. q. 42. Eiuſdem ſententiæ videtur Molinæus de commercijs q. 50. num. 355.

*Dubium hic eſſe poteſt.* Quis teneatur facere expenſas pro ſcriptura inſtrumẽti & eiuſdem expeditione, quando celebratur cõtractus emptionis annui reditus. Reſpondetur ſimpliciter, quod quamuis in contrarium à multis practicetur & afflicto afflictio addatur, tamen de iure communi & receptiſſima

Doctorum ſententia emptor tenetur ſoluere inſtrumentum emptionis, & alias expenſas fieri ſolitas in celebratione talis contractus. Bald. Cynus, Salyce. Angel. Paul. Caſtr. & alij in L. Eos, non longe à fine, in verb. Interdicta, per illum text. C. de vſur. qui ſic habet. Interdicta licentia creditoribus ex pecunia fœnori dandis aliquid detrahere: vel retinere ſiliquarum nomine; vel ſportularum, vel alterius cuiuſcunque cauſæ gratia, vnde colligitur quod creditor tenetur ſoluere tabellioni conficienti inſtrumentũ crediti & non debitor. Paulus Caſtren. in d. L. dicit. Nota conſuetudinem aliquorum fœneratorum qui numerant centũ, & in continenti retinent 10. aut 12. pro vſuris vnius anni, & faciunt cautare inſtrumentum 100. vel aureum pro inſtrumento tenent. Alberic. in L. Diſſolute Cod. de condict. ex Lege, dicit quod ita cõmuniter viderit obſeruari, & in d. L. Eos, ait, quod contrarium faciunt fœneratores Bergomenſes. Cæpol. de ſimulat. contractib. præſumpt. 6. Molin. de commer. & vſur. q. 6. num. 130. in fine breuiter, & alij alibi. Et ratio reddi poteſt. Quia inſtrumentum ſpectat ad probationem ſuorum iuriũ, & manet penes ipſum emptorem capit. 1. de probat. & experientia ipſa docet. Et cum tractetur de eius commodo, ſentire etiam debet incommodum c. Qui ſentit. de reg. iuris

in 6.& L.Secundum naturam ff.eod.tit.Debitor enim nõ tenetur proprijs expenſis aduerſarium inſtruere argument. L. Prætor in fine ff.de edend.

*Vigeſima Concluſio.* In omnibus prædictis concluſionibus ad iuſtitiam annui reditus præſupponitur iuſtum pretium conſideratis varijs conditionibus, de quibus actum. Patet concluſio. Si enim nõ interueniat iuſtum pretium, læditur iuſtitia, & ſimulatur contractus. Quod autem ſit iuſtum pretium dicetur infra q. 14. Nunc breuiter ad argumenta, quæ in principio, quæſtionis ſunt in oppoſitum propoſita. Ad primum conceditur, quod primus propriuſque vſus pecuniæ ſit, vt per eam cæteræ res æſtimentur, & non vt ea ſit, ſuiipſius æſtimatio: ſecundarius tamen & improprius vſus eſt, vt commutetur cũ alia pecunia vt videmus in cambijs, vbi pecunia pro pecunia datur. Eſt enim duplex pecuniæ ſicut etiã quarundam aliarũ rerum vſus. Primarius ille, ad quẽ res ex ſua natura ordinatur: vt vinum ad potum, panis ad cibum, veſtis ad veſtiendum, &c. Secundarius, quo res quatenus talis alteri à primo fine accommodatur exe.gr. calcei primarius vſus eſt ad tegendum pedes, hoc tamen non obſtante, poteſt quis calceum pro pane, aut alia re, prout commodũ ſibi eſt, permutare Quare etſi in redituum emptione pecunia.

cum pecunia permutaretur, non ſequeretur iniquum eſſe contractum. Deinde, vt in ſuperiori doctrina perſiſtamus, pecunia nō eſt ſuiipſius menſura, nec pecunia pecunia emitur in hoc contractu, ſed ius percipiendi annuè reditum, quod ius eſt quid diſtinctum à pecunia, vt ſupra traditum eſt. Ad ſecundũ, nihil ratione mutui vltra ſortem recipitur, cum mutuum nullo modo interueniat in contractu emptionis reditus, ſed ſors alienetur, nec poſſit repeti ab emptore: His accedit quod in mutuo ſub vſuris principalis obligatio eſt ad ſortem, & acceſſoria ad vſuras. In hoc vero contractu principalis obligatio eſt ad annuũ reditum, quam diu enim hic ſoluitur, nullo modo ſors poteſt repeti. Nec vitiat hunc cōtractum, quod pluribus annuis ſolutionibus ſeparatim factis ſors cum tempore in æquiualenti percipiatur: Quia hoc etiam in emptione aliarum rerum contingit. Ad tertium. In emptione annui reditus ſunt omnia requiſita ad ſubſtantiam emptionis & venditionis, vt patet ex dictis. Ad quartum etiam facilis eſt reſponſio. Illi enim Doctores fuerunt in contraria ſententia. Atque hæc pro præſenti difficultate ſufficiant.

QVÆ-

## QVÆSTIO. XIII.

*An ſit licitus cenſus irredimibilis?*

*Conclusio.* Cenſus ſiue annuus reditus irredimibilis, ſi iuſtum pretium accedat, eſt licitus. In hac concluſione non poteſt eſſe controuerſia. Cum enim in hoc contractu ſors omnino alienetur, longius abeſt ab vſuræ ſuſpicione. Deinde omnium ſententia pactum de retrouendendo, ſuſpectum eſt in cõtractibus ex c. Ad noſtram de empt. & vendit. & cap. Illo vos de pignoribus, cum annotatis ibidem à DD. Sed hoc pactum remotum eſt à cenſu irredimibili. Conrard. de contract. quæſt. 82. latiſſimè probat hanc concluſionem; Sed cum res clara ſit diutius non eſt immorandum. *Sed vnum reſtat notabile dubium in hoc loco reſoluendum.* An quando eſt dubium, an annuus reditus ſit redimibilis, vel irredimibilis: ſit cenſendus redimibilis, vel contra? Attingunt ex recentioribus Molin. de commer. quæſt. 20. num. 212. & Didac. Couarru. doctè lib. 3. var. reſol. cap. 10. numer. 4. hanc difficultatem. Poſſit fortaſſe quis hic confugere ad contractum Emphyteuticum, qui aliquam ſimilitudinem cum cenſuali habere videtur. Emphyteuſis autem perpetua præſumitur in dubio iuxta ſententiam Angeli in Authent. de non alienand. §. Emphyteuſin. Baldus & Iaſon.

numer.16.in L.2.C.de iure Emphyt.& aliorum, niſi aliud conſuetudo regionis & loci obtineat. Intelligendum autem hoc eſt de Emphyteuſi, in qua transfertur dominium vtile, cuius translationis ea natura eſt, vt perpetuo fiat & facta intelligatur, vt Didac. latius oſtendit. Sed his omiſſis, cum à diuerſis non fiat illatio, ex alijs capitibus reſolutio difficultatis eſt petenda.

*Prima Concluſio.* Si loquamur de cenſu reſeruatiuo, vtpote quando concedens dat alteri fundum, vel prædium, &c. reſeruata ſibi annua penſione ex re tradita, ſi non ex circunſtantijs appareat, an temporalis, vel perpetuus: preſumendus erit perpetuus. Couar. loc.cit. Quia cum translatio dominij perpetuo facta ſit à tradente, eodem paſſu præſtatio annui reditus incedere iudicandum eſt: ſiquidem ob eandem cauſam res data ad cēſum videtur: Et in hoc cenſu opinio de Emphyteuſi locum habere poterit.

*Secunda Concluſio.* Quod ſi dubium ſit, An cenſus reſeruatiuus, vel eo modo conſtitutus, quo nunc conſtituimus, ſi annua preſtatio cenſus nomen obtineat: pro reſeruatiuo iudicandus erit, niſi aliud vel ex pretio: aut cauſa ſpecifica ſignificetur. Couar. vbi ſupra. Quia ea eſt propria ſignificatio nominis cēſus in iure Canonico, & noſter cenſus incognitus eſt in eodem iure.

*Tertia*

*Tertia Concluſio.* Quoties de annui reditus origine in noſtro cenſu conſtat, nec tamen liquidum eſt per ſcripturam: aut teſtes, aut aliam viam, an conuentum ſit inter ementem & vendentem, an debeat eſſe redimibilis, vel non, cenſendus erit redimibilis. Hæc Conc. eſt contra Couarr. loco cit. qui putat in hoc caſu cenſum iudicandum fore perpetuum ſine pacto redimendi, & probat. In contractu emptionis & venditionis non præſumitur pactum de retrouendendo niſi probetur L.2. de pactis inter emptio. & venditio. & DD. ibidem. Ergo in tali caſu cenſus præſumendus irredimibilis, cum ex ſuppoſito non conſtet de pacto retrouendendi. Probatur nunc Concluſio. In dubio ſemper pro eo, quod leuius & minus eſt, præſumendum L. Semper in obſcuris. ff. de regul. iuris L. Qui concubinam §. Cum ita ff. de legat. 3. cap. Ex parte, de cenſib. & cap. In obſcuris de reg. iur. in 6. & confirmatur, hic contractus eſt odioſus, vt ſupra probatur, & ipſemet Couarru. ſæpe confitetur, vnde interpretandus eſt in fauorem vendentis, ne ei præiudicet, & ſanè cum hic contractus ſit odioſus ex ſua natura non patitur interpretationem exteſiuam, ſed reſtrictiuam. Quod ſanè expreſſe docet Molinæus in d. tractat. quæſt. 5. numero 128. quem citat Couar. ad alium tamen effectum. Sic enim loquitur.

Molin.

Molin. Pręterea tanquam ſuccedanei (intelligit reditus noſtros) vſurarum, & ſeruitutes impoſititiæ, ſemper odioſi ſunt, & fauorabilis redemptio. Quare magis inclinarem, vt ſemper redimi poſſent, etiamſi cautum non eſſet. Imo etiam ſi contra cautum ſit, niſi ſint conſtituti ad rationem viginti quinque pro vno. Hæc dictus auctor, qui præſentem concluſionem etiam tenet in qu. 20. nu. 212. Nec vrget ratio illata in cōtrarium à Couar. ex d. L. 2. & DD. ibidem, quod pactum de retrouendendo non præſumatur, niſi probetur. Quia hoc verum eſt in emptione & venditione rerum corporalium. At alia ratio eſt in emptione redituum quæ odioſa eſt, nec ſequitur naturam rerum corporalium.

*Quarta Concluſio.* Quando pretium annui reditus valde exiguum eſt, ita vt attēto tempore contractus, iniquum fuerit ſecundum conſuetudinem regionis & loci in comparatione ad annuum reditum irredimibilem, etiamſi pactum de redimēdo non fuerit expreſſum, cenſus redimibilis cenſebitur. Molin. & Couar. Quoniam cum hi reditus ſint odioſi, requiritur ad eorum vſum tolerabilem pretij & æſtimationis iuſtitia, ne in vſurarum fraudem cōſtituantur. Quando ergo ex alijs adiunctis non apparet, videndum, an pretium cōueniat cenſui redimibili: vel irredimi-

dimibili pro more patriæ. Sic ſi 25. aureis vnus emptus eſſet, cenſus iudicãdus foret irredimibilis: Si autem 20. vnus, redimi poſſet.

## QVÆSTIO. XIV.

*Quodnam ſit iuſtum pretium annui reditus tam redimibilis, quam irredimibilis?*

MVlta ſparſim à Doctoribus adferuntu de iuſto cenſuum pretio vt igitur clarius pateat, per concluſiones breuiter omnia perſtringentur.

*Prima Concluſio.* Iuſtum pretium requiritur in emptione cenſuum & redituum. Hæc concluſio clara eſt ex ſuperioribus, præſertim ex vltima concluſione quæſt. 12. & nemo eſt qui in ea dubitet. Solum hoc difficultatis reſtat. An etiam in hoc contractu ſecundùm legem ciuilẽ ſit locus L. 2. C. de reſcin. vend. ita vt contractus toleretur, nec reſcindatur, ſi deceptio ſit citra dimedium iuſti pretij; & ſi excedat, ſit reſcindendus contractus, aut ſupplendum pretiũ. Reſpondetur quod non habeat locum d. L. in reditibus annuis. Molin. de commerc. q. 14. & Didac. loco cit. numer. 2. ex Bald. in Rubr. C. de vſur. in fine. Quia d. conſtitutio L. 2. non habet locum in contractibus ſuſpectis, & ita neque in his reditibus.

*Secunda Concluſio.* Non poteſt in omnibus locis vnum idemque eſſe pretiũ iuſtum cenſuum ſiue redituum. Hæc concluſio ſicut etiam ſequentes vſque ad penultimam huius qu. agit de cenſu cum pacto redemptionis. Probatur Concluſio. Annuus reditus eſt merx. Pretium autem omnium mercium diuerſum eſt in diuerſis locis pro varietate gentis, terrarum ac commerciorum diſtinctione, nec non pro copia aut inopia mercium,&c. Sic in Aragonia ſoluuntur 20. pro vno teſte Nauar.in comment.de vſur. num. 104. Idem etiam iuſtum pretium eſt in Delphinali prouincia, vt dicit Guido Papa in conſil.180. In regno Nauarræ 6. emuntur 100. vt ait Nauarr. Apud Hiſpanos in prouincia Betica,& alijs quæ citra Tagum Granatenſi prætorio ſubſunt, annui reditus frequentiſſimè conſtituuntur ad rationem decimæ,eaque conſtitutio nõ improbatur, ſed confirmatur ſententijs Iudicũ. Hiſpani vltra Tagum frequentius conſtituũt ad rationem duodecimæ, vel quatuordecimæ. Auctore Didaco loc. cit. Apud Gallos aliquando 10. emuntur 100. Aliquando etiam conſtituũtur ad rationem duodecimæ, vel decimæquintæ, vt teſtes ſunt Tyraq. libr.1.de retractu §.1.Gloſſ.6.num.17.&Carol.Molin.q.5. num.109.In Italia Romæ 8.vel 9.pro 100.emuntur,vt teſtatur Nauar.loc.cit.num.140.

in fine

in fine.Idem etiam Bononiæ in vſu eſſe dicit Coſmus Philiarc.Theol. Florentinus de officio Sacerdotis lib.5.c.17.vt plurimũ tamen in Italia, nunc 7. emuntur pro 100. Apud Germanos quoſdam aliquãdo ad rationem vnius pro 10. aliquando ad rationem vnius pro 15. aliquãdo ad rationem vnius pro 20. leguntur cõſtituti vt patebit in ſequentibus.

*Tertia Concluſio.* Apud Germanos pretiũ cenſus ſecundum curſum temporum in diuerſis locis fuit varium. Circa annum Domini 1423. & 1323. empti fuerunt cenſus in partibus, Morauiæ, Schleſiæ & vicinis locis Germaniæ ad rationem decimæ, vndecimę, tredecimæ, aut quatuordecimæ, vt colligitur ex conſtitutionibus Martini Quinti & Calixti III.In quibuſdam Germaniæ ciuitatibus aliquando vnus florenis fuit emptus 15. auctore Conrard. q.83.conc.2. Aliquando circa tempora Concilij Conſtantien. in aliquibus Germaniæ partibus vnus florenus emptus fuit 24. In alijs locis 22.vel ad minus 20.vt patet ex caſu propoſito à P.Priore Carthuſiæ Colonienſ. in Concil. Conſtantienſi, quem ad longum inſeruimus ſupra quæſtio.12.Superioribus temporibus,quãdo adhuc charitas paulò feruentior extitit, à multis fuerũt etiam empti 4.pro 100.id eſt vnus pro 25.etiam cum pacto de retrouendendo, vt ex inſtrumentis animaduerſum eſt.Nunc

com-

communiter iuxta conſtitutionem Imperij quinque emuntur pro 100. & vnus pro 20. quamuis nunc auari, quibus nunquam iuſtum eſt, quod legibus, cõſuetudine ac more receptum eſt; incipiant ſex, aut plures accipere.

*Quarta Concluſio.* Quando non eſt aliquid legibus aut conſtitutionibus definitum de pretio cenſus, tunc obſeruanda eſt prouinciæ conſuetudo, & communis hominum æſtimatio attendenda. Guido Papa conſ. 180. Couarru. & alij, & conſtat ex 2. & 3. concluſione.

*Quinta Concluſio.* In prouincjs Germaniç, quæ ſubſunt Imperio iuſtè emuntur 5. pro 100. id eſt, vnus pro 20. Et quicunque ſex aut ſeptem emunt pro 100. non ſolum mortaliter peccant, ſed etiam tenentur ad reſtitutionem exceſſus, quem recipiunt vltra iuſtum pretium. Probatur concluſio. Ad Principes, Rectores prouinciarum & publicam poteſtatem ſpectat rebus iuſta imponere pretia, & id iuſtum cenſetur merito, quod à Principe, & Repub. definitum eſt. L. 1. C. de Epiſcop. audient. cap. 1. de empt. & venditio. & communis ſententia aliter non ſentit. Determinatum autem eſt pretium iuſtum cenſuum in Imperio in conſtitutionibus Caroli V. de Anno Domini 1548. in Comitijs Auguſtanis in ordinat. Polit. capit. 17. &

in

in ordin.reformata à deputatis Imperij Frãcofordiæ Anno Domini 1577. ſub Rudolpho Secundo Imperatore;tit.19. In quibus locis ſtatuitur vt in Imperio in cõtractu emptionis redituum cum pacto de retrouendendo centum florenis quinque tantum, & non amplius annuatim velut vſitatum eſt floreni emantur; & redimendi facultas ex iure redemptionis, penes venditorem,& nõ emptorem exiſtere debet; & quicquid præterea datum, acceptumúe fuerit, aut tractatum, ac omnia alia iniqua pacta, ſeu conuẽtiones pro vſurarijs& inutilibus habeantur; æſtimenturque per iudicem: & puniantur vt ſupra dictum, hæc ex d. conſtitut. cap. 17. Quando autem iuſtum pretium taxatum & conſtitutum à Republ. aut Principe illud tranſgredi ſine peccato nõ licet vt rectè tradunt Gerſon. 2. parte ſuorum operum in tract. de contractib. part. 1. conſideratione 19. & 20. Alphonſ. Caſtren. doctè libr. 1. de lege pœnali cap. 22. Ioannes Medin. in C. de reb. reſtituend. cap. 37. Martin. Nauarr. in Manuali confeſſ. cap. 23. numero 88. & alij alibi. Hinc pretium rerum diuiditur communiter iuxta Ariſtot. doctrinam 5. Ethico. cap. 7. in Legitimum, & Arbitrarium: Legitimum dicitur, quod à Principe & habente poteſtatem taxatum eſt, aut à conſuetudine, quæ vim legis habet, approbata profectum

 eſt,

eſt &dicitur cõſiſtere in indiuiſibili,eo quod vlterius quantũ ad augmentum, non valeat extendi. Et tale pretium in Imperio cõſtitutum,eſt etiã conſuetudini & iuri conforme: conſuetudini. Quia ſuperioribus temporib. in Germania empti ſunt 5. pro 100.vt patet ex caſu propoſito in Conc. Conſtantienſi, alijſq; ſupra allegatis, & ex ipſa conſtitutione Carolina, nam ait, velut vſitatum eſt.Iuri etiã communi cõuenit tale pretium, cum iuſtum pretiũ annui reditus cenſcatur, quãdo penſio in 20. annis ſortem æquat. Gloſſ. in Auctent. de non alienand. reb. Eccleſ. §. Quia vero Leonis. verſicu. Si vero alicuius, collat.2. Gloſſ.in Auctent.Perpetua in verb. Iuſta C.de ſacroſ. Eccl. Angel.& Paul.Caſtr. ibidem Philip. Corneus in conſil.181. incip. Viſis nonnullis actis col. 25.in litt.y. & z.lib. 2.& lib.1.conſil.265.incip. Circa primum in L.F.& dicunt Paul.Caſtr.loc.cit.& Corneus quod quotidie curritur ad dictum Gloſſ. in Auctent. Perpetua ad dignoſcendum, quæ ſit iuſta penſio. Ludouic. Roman. in conſil. 423.incip.Pro pleniori diſcuſſione numer.1. Guido Papa in conſ. 180. incip. Circa proceſſum declarationis. Cæpol. de ſimulat. contract. prçſump.3.colum.1.Stephan.Ber trand.conſ.318. incip. Quamuis tutores impuberum, numer. 2. lib.3.dicit communiter teneri,quod commodum honeſtarum penſionum

ſionum ſaltem ad quinque pro centenario licitè percipiatur, & hæc eſt communis opinio vt etiam ſentiunt Molin. in q. 5. nu. 118. & Didac. d. c. 9. Ioan. Bapt. Lup. in commen. 2. de vſur. §. 2. num. 77. & alij alibi. Confirmo latius generali illa concluſione, quam multis allegationib, oſtendit Anton. Gabr. Romanus lib. 6. comm. concl. in tit. de conſuetud. concl. 1. Contractus recipiunt interpretationem à conſuetudine. Ergo illud eſt iuſtum pretium in noſtro contractu annui reditus, quod conſuetudo approbauit vt in ſpecie tradunt Gerſon. vbi ſupra. Guido Papa, Didac. loc. cit. Fœlix Malleolus in tract. de emptione vnius pro viginti, qui habetur in primo volumine Oceani iuris fol. 6. & alij alibi. Sed à primo tempore, quo incepit emptio reditus ſub ea forma, qua nunc in vſu eſt, receptum fuit vt tantum quinque recipererentur in Germania, vt patet ex caſu propoſito DD. in Conc. Conſtantienſi & Conrard. q. 33. de contractib. concl. 7. dicit quod communiter in emptionibus redituū perpetuorum cum pacto de retrouendendo vnus florenos pro 20. apud communiter cōtrahentes æſtimatur debita proportio. Eadem conſuetudo in vſu fuit eo tempore, quo Carolus V. dictam fecit cōſtitutionem, vt ex verbis conſtitutionis patet, & adhuc apud omnes bonos perſeuerat. Cum ergo

iuſtum pretium annuorum redituum in iure fundetur, conſuetudine approbata & ſalutari, quæ initium neſcit, continuetur, ac demum Imperiali conſtitutione confirmetur, & firmiter decernatur, quis iuſtum negare & tranſgredi audebit, niſi omnem conſcientiam depoſuerit? Funiculus enim triplex ſicut fortius ligat; ita etiam difficilius rumpitur cap.1. de Treuga & pace. Hinc infertur, quod ſi quis plus, quam 5. de 100. in emptione redituum accipiat, peccet contra iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem exceſſus. Quod ſatis in d. conſtitutione Carolina probatur. Quod enim plus accipitur & datur pro vſurario, lucro habetur: ergo obnoxium eſt reſtitutioni. Quare iuſtiſſimè etiam in Camera Imperiali, quando emptio annui reditus excedit iuſtam & conſtitutam penſionem, reductio fit ad legitimum modum, ita vt tantum annuè quinque accipiātur de 100. vt atteſtatur Andreas Gail practicæ Cameræ Spirenſis obſeruantiſſimus li. 2. practicarum obſeruationum, obſeruat. 5. num.11. Cum conſtitutiones, & conſuetudines, & iuri non omnino repugnantes in iudicio omnino ſint obſeruandæ: Iudexque in contrarium iudicans litem ſuam perinde, ac ſi contra ius iudicet, faciat cap. Venientes de iureiur. text. in Authent. Iubemus in fine in verſ. Sententiam legibus & moribus conſonan-

nantem C.de Iudic.Bartol.Bald. & alij in L. fin. de Iudic. qui male iudicat. Circa prædi-ctam concluſionem.

*Primum dubium eſſe poteſt.* Quare cum ante multos annos empti ſint pro centenario 8. vel 9. nunc iuſtè tantum quinque emantur. Reſpondetur in primis etiam ante multos annos tantum quinque emptos fuiſſe, vt patet ex ſuperioribus. Deinde quando 8. vel 9. ſunt empti pro centenario, cenſus annui non erant ſepti tot oneribus & conditionibus, quot nunc muniuntur, ita quod non ſolum penſio nunquam periclitetur, ſed etiam capitale ſemper ſaluum maneat. Res autem quæ multis oneribus & grauaminibus ſubiacet, minus valet. Aliam rationem reddit Molin. de commerc. quæſt. 5. nume. 127. In regionibus, inquit, in quibus rariora ſunt commercia, & minora lucra queſtuaria: quia non ſolent illic homines tam aſſiduè & latè negociari; prout in Italia, Gallia & circumiacentibus locis, neceſſe eſt in prefatis regionibus minorem eſſe vſum, & minorem neceſſitatem, & conſequenter minorem vtilitatem æris alieni, prout vſu venit in Germania ſuperiori. Et conſequenter cum debitor iſthic non ſit tantum ex ſorte: vel eius occaſione lucraturus, ſicut in his locis, non eſt iuſtum creditorem tantum lucrari ex hoc fœnoratitio vſus pecuniæ queſtu, ſicut apud

nos. Vnde non debent ibi vſurę, ſiue reditus emptitij, qui earum loco ſucceſſerunt eſſe tam graues ſicut hic, ſed leuiores, prout ibi pecunia, hoc eſt pecuniæ vſus & quęſtus, qui ex ea fieri poteſt, eſt vilior. Quamobrem in ſuperiori Germania reditus eſt quandocunque redimibilis non iuſtè emeretur ad rationem etiam vnius pro 16. Licet apud nos hæc ratio eſſet iuſtiſſima, & valde moderata, vtpote cum non ſit niſi dodrans duodecimæ, quia adhuc ſecundùm hanc rationem creditor ibi nimis lucraretur ſupra & vltra, quam ſiue in emptione prędiorum, ſiue aliter negociando communiter iſtic ſuperlucrari liceat. Vnde ibi iuſtiſſimè, prudentiſſimè & ſumma æquabilitate in conuentu Wormatienſi publico ſolemnique decreto Germaniæ nobiliſſimæ illius politiæ conceſſum eſt, vt centum florenis quinque floreni annui reditus emantur declaratumque quæſtum vſurarium & illicitum fore, ſi minori pretio emeretur. Hæc ille.

*Secundum dubium.* An quando non ſeruaretur iuſta penſio in emptione reditus, vtpote quis 100. emeret 6. vel 7. contractus ſit reſcindendus, & totus vſurarius iudicandus. Sit ergo.

*Sexta Concluſio.* Quando in emptione annuotum redituum non ſtatur legitimę penſioni pro conſtitutionibus patriæ: aut recepta

cepta coosuetudine, ſed fit exceſſus. exemp. grat. accipiuntur in Imperio 6. de centum, non propterea totus contractus ruit; aut iudicandus vſurarius, ſed quod iuſtam penſionem excedit, reijcitur, & fit reductio ad legitimum modum. Concluſio probatur. In contractibus, vtile per inutile non vitiatur, quando vtile diuidi ſeparariúe poteſt ab inutili cap. Vtile de regul. iuris in 6. L. Sancimus. §. Si quis autem C. de donation. vbi donatio excedens ſummam quingentorum ſolidorum non in totum propter exceſſum vitiatur, ſed tantum id, quod excedit legitimam ſummã pro non adiecto habetur, & in materia vſurarũ probatur L. Placuit ff. de vſur. & L. Cum allegas C. eod. tit. & in d. conſtitutione Imperij iudicatur vſurariũ & inutile, quod iuſtam penſionem 5. florenorum excedit pro 100. Hinc in iudicijs obſeruatur, quod exceſſus reijciatur, & ad legitimã penſionẽ fiat reductio. Sic Spiræ in Camera fiunt reductiones, vt atteſtatur And. Gail. in d. obſeru. 5. num. 10. Sic etiam iudices Calliæ facere conſueuerunt vt fatentur Molin. de commerc. q. 10. nu. 139. & Andr. Tyraq. lib. 2. de vtroque retractu in §. Finis. q. 25. num. 151. Contra prædictam concluſionem tenere videtur Guido Papa in d. conſ. 180. vbi cõcludit contractum eſſe vſurarium, eo quod plus quam quinque de centum ſoluebãtur.

Circa prædictam concluſionem etiam annotãdum cum [redacted] q.d.num.151.quod prædicta moderatio ſiue reductio, ſicut etiam ceſſatio contractus vſurarij, poteſt fieri non ſolum à ſummis tribunalibus,ſed etiam à quibuſcũque inferioribus iudicibus, quoniam tam inferiores quàm ſuperiores Iudices iuſtè iudicare ſecũdùm iuris æquitatem, leges, & cõſuetudines approbatas tenentur. Atque id palam etiam eſt ex d.conſtitutione Carolina in cap. 17. vbi inducitur omnibus iudicibus tam Eccleſiaſticis, quam ciuilibus vt iudicent de vſurarijs contractibus ſecundùm formam præſcriptam.

*Septima Concluſio.* Cenſus perpetuus irredimibilis pluris emitur, quam redimibilis. Probatur in primis ex illo Leuitici 25. Quãto minus tempus numeraueris,tanto minus emptori conſtabit. Deinde: Ea res maioris eſt pretij, quæ minus grauata eſt oneribus. At cenſus irredimibilis eſt minus grauatus, ergo. His accedit quod ſecundum communem ſententiam pactum de retrouendendo cenſetur pars pretij, quod remotum eſt à cenſu irredimibili. Concluſio ex contra Hẽricum de Hoitta de cõtractibus,dub. quinta & ſexta, cuius rationes adfert & ſoluit Conrard.q.84.concl.1.& communiter DD.hanc concluſionem tenent.

*Octaua Concluſio.* In emptione redituum irre-

ſrredimibilium ſeruanda eſt regionis conſuetudo, & receptum bonorum hominum iudicium quantum ad determinationē iuſti pretij. Quia contractus regulantur ſecundum loci conſuetudinem L. Si fundus ff. de euiction. & in L. Si publicanus §. final. ff. de public. & vectig. L. Semper in ſtipulationibus. ff. de regul. iuris. Bartol. in L. Cunctos populos à numero 14. C. de ſumma Trinita. Baldus ibidem numer. 20. & alij alibi. Quandoque enim vnus florenos emitur 35. ex Auctent. de Eccleſ. titulis. §. Sin autem, & hoc eſt ſummum pretium. Quandoque vnus emitur 25. L. 3. §. Item ſi Reipub. ff. ad leg. Falcid. & hoc eſt minimum. Quando vnus comparatur. 30. & hoc eſt moderatum. Sic Ioannes Medina in C. de reb. per vſur. acquiſ. apud Hiſpanos dicit cenſum vnius floreni, ſi irredimibilis ſit, communiter ſolere pro 30. florenis, parum plus minuſque emi. Hiſce temporibus apud nos vix conſtituuntur cenſus irredimibiles. Imo in d. Conſtitutione Carolina videntur excludi cenſus irredimibiles.

***

## QVÆSTIO. XV.

*An licitum ſit emere reditum ſiue cenſum fructuarium, vtpote in frumento, vino, oleo aut alijs ſpeciebus?*

PRima Concluſio. Licitum eſt ex genere ſuo emere reditus fructuarios. Hãc concluſionem tenẽt Theologi & Iuriſperiti. Henr. de Hoitta de contractib. dub. 2. Conrard. q. 72. Gabr. in 4. d. 15. q. 12. concl. 1. Ioan. Maior. ibid. q. 34. Sot. de iuſtitia & iure li. 6. q. 5. artic. 1. Ioan. Medina in d. C. q. 11. & ex Iuriſperitis. Innocent. in hoc c. Ioan. ab Anania & alij ibid. Ambroſ. à Vignate ſuper cap. Salubriter à nume. 74. Guido Papa in tract. de vſur. num. 74. Couar. lib. 3. ca. 7. nu. 2. Nauar. in comm. de vſur. nu. 104. & 120. & alij communiter. Probatur conc. Communis veterum & modernorum opinio eſt, quod in re fructifera debeat inſtitui cenſus ſiue reditus. Ergo quando in fundo, aut agro inſtituitur cẽſus, is poteſt eſſe fructuarius, cum nil tam naturale agro, aut fundo ſit, quam ferre fructum. Idem patet in cenſu reſignatiuo, qui frequẽtiſſimus fuit apud antiquos, & adhuc perſeuerat. Poteſt quis in alterum ſuam trãſferre vineam reſeruata ſibi aliqua fructuum portione vt etiam in Emphyteuſi contingit. In hac re, cum clara ſit non eſt immorandũ. Plures eius rationes videri poterunt apud Conrard.

Conrard. & Petrum Ancharan. in conſ. 30. Dubitari ſolet. Nec etiam per Bullam Pij V. cenſus in ſpeciebus prohibitus eſt vt tradit Nauar. loc. citato.

*Secunda Concluſio.* Vbi nihil lege cautum, ſi olim reditus in frumento aut vino, alijſq; ſpeciebus iuſto pretio pro tempore celebrationis contractus conſtitutus eſt, ſoluendus eſt reditus in rebus, in quibus inſtitutus eſt, ſiue pretium rerum fuerit auctum, ſiue non. Concluſionem tenent Ioan. Medina in C. de rebus per vſur. acquiſ. q. 15. & Nauar. in d. nu. 120. q. 30. & probatur. Primo. pretiũ rei venditæ non debet augeri vel diminui, quando eſt iuſtum tempore vẽditionis, eo quod poſtea eius pretium creſcat, vel diminuatur: Quia aliâs venditiones rerum omnium eſſent mutandæ, & pretium variandum, cum fundus olim in multis locis emptus fuerit 100. aureis, qui tunc emi non poſſet 150. & in multis vrbibus empta ante 25. annos domus extitit 400. aureis, quæ nunc nõ venderetur 800. Iuſtitia enim pretij non attendenda eſt ſecundùm tempus futurum, aut prĉteritum. ſed pro tempore venditionis L. 2. C. de reſcindend. venditio. & L. pretia rerum ff. ad leg. Falcid. At talis emptio annui reditus in frumento iuſta fuit ratione pretij tempore celebrationis contract. ergo. Secundo. Qui ſic emit tam de iure communi quam de

con-

conſuetudine iuſtè emit talem reditum, & venditor rectè vendidit, Ergo in futurum poteſt talem reditum petere, & venditor tenetur ſoluere. Quia mores & conſuetudines, quæ extiterunt tempore contractus, non quæ poſtea ſuperuenerunt, conſiderari debent Bartol. in L. omnes populi numero 39. ff. de iuſtit. & iure, Bald. in L. leges & conſtitutiones C. de legib. Gloſſ. in cap. licet canon. de elect. in 6. Felin. in cap. fin. numero 2. de conſtitut. Futurorum enim caſuum & euentuum contrahentes ſcientiam habere non valent, Tertio, Si pretium frumenti ob annorum longam continuamque fertilitatem valde ſucceſſu temporis diminueretur, vendens non poſſet cogi ad reſtituendum aliquid de pretio accepto, quod erat iuſtum tempore venditionis. Ergo nec ementi cenſus debet diminui ex eo, quod pretium rerum auctum eſt. Quod enim aperatur oppoſitum in oppoſito, hoc propoſitum operatur in propoſito cap. Sciendum. 8. q. 1. Ex dictis reſolui poteſt dubium, de quo aliquãdo memini ſiniſtrè iudicatum à multis ſine diſcretione. An qui ante 25, aut 30. annos, vel circiter emit 100. daleris reditum trium maldrorum vt noſtrates vocant, ſiliginis iuſtè talem penſionem emerit, & ſalua conſcientia nunc poſtquam pretium frumentorum creuit, talem reditum percipere poſſit.

Reſpon-

Reſpondendum cum diſtinctione. Si iuſtum fuit pretium tempore contractus pro more temporum & prouinciæ iuſtè percipit adhuc tam diu, donec præceptum: aut conſtitutio ſuperioris habentis poteſtatem ſuperueniat. Deinde ſi emerit in patria, vbi ſex vel ſeptem annuè emuntur in pecunijs 100. & maldrum frumenti communibus annis etiam duobus daleris, aut dalero cum medio vendatur, etiam rectè percipit, modo nullum, præceptum ſuperioris inhibeat. Ratio liquida eſt. Quoniam etiamſi frumentum in pecuniam reſolueretur adhuc iuſta penſio eſſet. Dictum (communibus annis) Quia non debet fieri reſpectus ad vnum aut duos annos fertiliſſimos, ſicuti neque etiam ad totidem ſteriles : Sed ad id, quod communiter fieri ſolet in prouincia: Aliâs poſſit quis ſpectare vnum annum fertiliſſimum, quando frumentum eſt in vili pretio, & tunc emeret cenſum ad circumueniendum proximum. Quare iuſtius olim, quando adhuc aurea erant ſecula emebantur cenſus in ſpeciebus, quam his infœliciſſimis temporibus, quando omnia in peius tendunt.

*Tertia Concluſio.* Emptio annui reditus etiam redimibilis in frumento, vino, aut alijs ſpeciebus hiſce miſeris temporibus maximè ſuſpecta eſt, maioremque fraudis ac iniqui-

tatis

tatis ſpeciem habet, quam ſi in pecunia reditus conſtituatur. Hanc concluſionem docent Molinæus de commerc. q.21.& Didac. lib.3. variarum reſolut.cap.10.num.3. Quoniam rerum pretia in Repub. frequentiſſimè variantur, & vix duobus annis continuis in eodem ſtatu permanent, nec tempore emptionis certa moraliter ob rerum & temporum mutationem, æſtimatio fieri poteſt. Vnde hæc emptio redituum ad exceſſum iuſti pretij & deceptionem eſt aptior, & periculoſior debitori.

*Quarta Concluſio.* Iuſtiſſimè in Republica annui reditus in frumento, vino, alijſque ſpeciebus conſtituti reducuntur ad pecuniam vel moderantur ſecundùm valorem pecuniæ numeratæ. Hanc concluſionem tenent Molin. Couarr. Nauar. loco cit. & Sotus lib.6.de iuſtit. & iure q.5. artic. 2. ad primum & alij. Eam etiam receperunt diuerſarum regionũ iudicia & conſtitutiones. Hinc in Imperio conſtitutiones ſunt, quæ reducunt penſionem frumenti & vini ad iuſtam pretij æſtimationem: Ita vt in frumento aut vino non plus accipiatur, quam quod reſolutum in pecuniam, faciat valorem vnius pro 20. Vt tum alibi, tum maximè eſt videre in ordinatione Politica reformata à deputatis Imperij Anno Domini 1577. Francofordiæ ſub Rudolph. II. tit. 19. Ratio reddi-

tur

tur tam ſalubris conſtitutionis ibidem in hunc modum. Contingit, quod dum frumenta & vina in vili pretio ſunt, quidam in huiuſmodi ſpeciebus emunt cenſus, qui durant etiam tēpore caritatis annonæ: ita quod quandoque in pretio recipiātur pro 100. 10. aut 20. aut etiam 30. quod non ſolum vergit in damnum pauperum, ſed etiam præiudicium dominorum, quibus pauperes ſubduntur: Cum exhauſti ſubſtantia neceſſaria debitos cenſus perſoluere, & onera conſueta ſubire non poſſint. Atque talis emptio eſt contra diuinas, humanaſque leges, charitatem proximi, bonos mores, & præſertim contra Imperij conſtitutiones. Conceditur nihilominus, quod reditus frumenti, vini, aliarumq; ſpecierum emantur: Ita tamen vt non plus in frumento, vino, aut alijs rebus accipiatur, quam quod reſolutis ſpeciebus in pretium pecunię, nō niſi 20. florenis vnus ematur, & taxatio facienda habito reſpectu ad tempus celebrati contractus: vel ad pretium, quo frumentum & vinum currēti anno venduntur ſpacio 14. dierum poſt tēpus meſſis, aut autumni, & ſemper tamen liberū erit venditori cenſus ſingulis annis redimere. Qui contra hanc conſtitutionem fecerit dolo, aſtutia aut fraude, emptor capitalem ſummam perdet, & aliâs ex officio à magiſtratu punietur ꝑ ratione exceſſus. Hęc ex d.

con-

conſtitutione, quæ ſancta & ſalubris eſt, ſed quod malum eſt, & dolendum, à paucis obſeruatur. Video enim nunc quod magna ſæpe feneſtra aperiatur transgrediendi hanc conſtitutionem ; eo quod nemo ſit, qui transgredientes puniat,& ex alia parte quod quando ſunt penſiones fructuariæ tempore charitatis annonæ reſolutio fiat in pretium, vt ſex recipiantur de 100. cum tamen ſecundùm Imperij conſtitutiones tantum quinque recipiendi eſſent,&hęc reſolutio efficit, quod auari ; qui inhiant tam odioſis lucris magis intendunt emptioni reditus ſpecierum quia in omnem euentũ ſic plus lucrantur, quam ſi pecuniam expenderent in emptionem cenſus pecuniarij: cum reditus fructuarij tẽpore charitatis annonæ ſemper altius taxentur vtpote vbi ex pecunia de 100. tantum 5. perciperent, ex frumentario cenſu reſultant 6. aliquando plures, quod tendit ad interitum pauperum, & violat charitatem proximi. Semper ante oculos habendum, quod cum huiuſmodi reditus ſint odioſi, captioſi, & ſuccedanei veterum vſurarum, multiſque nunc veſtiantur grauibus conditionibus pro onere vẽditoris & commodo emptoris, vt magis reſtringantur, quam dilatẽtur. Et apud Hiſpanos Carolus Quintus, Imperator & Hiſpaniarum Rex Anno Domini 1534. Madritio conuentu in

L.127.

L. 127. ſanxit, vt annui reditus conſtituti in frumēto, vino, vel oleo cum pacto redimēdi in nūmarium ſiue pecuniarium reditum commutentur: ad rationem vnius pro quatuordecim, quod referendum eſt ad pretiū, quo empta fuit ab initio annua penſio. Huius conſtitutionis meminere Sotus, loc. cit. Couarr. & Medina, & Nauarr. in nonnullis Hiſpaniæ regnis dicit ante aliquot annos conſtitutum, vt non emantur cenſus niſi in pecunia numerata. Carol. Molin. de cōmercijs q. 21. atteſtatur Senatum Pariſienſem ſępe areſtis & decretis annuos reditus frumētarios cum pacto redimendi conſtitutos ſtatuiſſe commutandos in pecuniarios ad appreciationem vnius pro 15. eius ſummę, quę data fuit pro ipſo annuo frumenti reditu: ita tamen vt debitori daretur electio vel ſoluēdi reditum ipſum frumētarium: vel penſionem in pecunia ad æſtimationem vnius pro quindecim. Cum enim reditus frumentarij ruſticos, & agricolas, qui ſuis laboribus totam Rempub. nutriunt, exhauriant, merito à bonis omnibus damnantur. Semper enim fuerunt, & ſunt ruſtici, & poſſeſſiones ruri tenentes, vt rectè Molin. loc. cit. nu. 220. ait. pecunia carentes, procliuiores & faciliores, dum occurrit neceſſitas ad conſtituendum reditus in fructibus, quam in pecunia. Quare prudēter moderatores Reipu. ſalutaribus

conſtitutionibus eis proſpexerunt. Non ſecus ac etiam olim Iuſtinianus in conſt. 32. in Authent. Nullum cred.agric.inhibuit exercere antichreſin in agricolas, ne impediretur cultus agrorum & pauperes ruſtici fundis & rebus exuti, locum relinquere cogerentur: Quod etiam pluribus contingit, qui ſe ſubmittunt penſionibus in frumento conſtitutis, vt experiẽtia teſtatur. Quando enim miſeri ruſtici neceſſitate premuntur, cum charitas in exilium miſſa ſit, aliter ęs ſibi comparare nequeunt niſi cõfugiendo ad emptores auaros, & offerendo annui cẽſus in vino, aut frumento venditionem, dulcedine quadam fruũtur, quam diu pecunia in manibus ſplẽdeſcit: At quãdo terminus ſolutionis inſtat, amariſſimos exitus negotium ſortitur, cum tum minus ſint ſoluendo, & eiſdem neceſſitatis anguſtijs cõſtringantur, & penſio penſionem acceleret, & acceſſio acceſſionem cõtinuet, donec fundus etiam conſumptus, vel potius voragine abſorptus ſit.

## QVÆSTIO. XVI.

*Vtrum mons pietatis licitus & iuſtus ſit?*

MAteria montis pietatis olim maximè fuit agitata in Italia, vbi in primis mõtes fuerũt erecti: nunc autem ob conſenſum Doctorum & Pontificum approbationem, nec non conſuetudinem laudabilem mul-

multarum vrbium Italiæ vix ſine temeritate licet in dubium reuocare iuſtitiam montis pietatis.

Vt autem titulus quæſtionis intelligatur; mons pietatis nihil aliud eſt, quam cumulus pecuniæ, vel frumenti: aut alterius rei mutuabilis publicè aſſeruatus ad mutuandum pauperibus & indigentibus tempore neceſſitatis, ad euitandum voraginem grauium vſurarum.

Forma moduſúe inſtitutionis montis eſt talis. Quidem diues, aut potēs pietate & miſericordia motus; quia animaduertit pauperes inopia premi, ne vſura graui exhauriantur & deuorentur, relinquit alicui ciuitati & Reipubl. ſummam aut cumulum pecuniæ vel frumenti ad mutuādum pauperibus ſingulis annis pignoribus acceptis, vt exiguum aliquid ſingulis menſibus ſoluant pro quantitate pecuniæ acceptæ, & pro tempore, quo eam nō reſtituerint, pro victu & ſalario miniſtrorum, qui habent curam cuſtodiendi montem, & colligendi: aut quando neceſſitas exigit, diſtrahendi pignora, aliaque faciendi, quæ ad montis conſeruationem neceſſaria ſunt.

Conditiones montis pietatis hæ ſunt.

*Prima.* Vt non detur pecunia, vel frumentum, niſi ad certum determinatumque tempus ex. g. Ad medium, aut integrum annum.

*Secunda.* Vt non detur ad mutuum niſi dato pignore ſufficienti pro ſumma pecuniæ tradita.

*Tertia.* Si definito temporis ſpacio, ſors non reſtituatur, pignus ſub haſta ſine mora venditur ad reficiendum cumulum montis.

*Quarta.* Vt non mutuo detur niſi infra certam quantitatem vt 100. aut 50. aurei. Aliâs ſi magna ſumma traderetur, cum vtilitate paucorum mons conſiſteret, & potius eſſet pro diuitibus, quam pauperibus: Cum tamen erectus ſit ad communem pauperum vtilitatem.

*Poſtrema.* Non eſt accipiendum plus ratione pecuniæ mutuo datæ, quam neceſſarium eſt ad faciendum expenſas pro cuſtodia conſeruationeque montis. Ex his colligitur, quæ natura talis montis ſit.

De materia huius montis ſcripſerũt, Latiſſimè omnium Fr. Bernardinus de Buſti in defenſorio montis pietatis. Caiet. in opuſculis tom. 2. tract. 5. Dominicus Sotus lib. 6. de iuſtitia & iure q. 1. artic. 6. Ioan. Medina in C. de rebus per vſuram acqu. q. 10. Martin. Nauar. in commentario de vſur. à num. 59. Carolus Molin. de commer. q. 72. à numer. 581. Ioan Baptiſta Lup. de Vſur. comment. 3. §. 3. à num. 80. & alij alibi.

Caietan. & Dominicus Sotus ex recentioribus impugnarunt montem pietatis, & docue-

docuerũt lucrum eſſe vſurarium, quicquid vltra ſortem recipitur, quando pecunia mutuo datur ex hoc monte.

Vt montis pietatis iuſtitia melius intelligatur, attendendum, quod quicquid recipitur à monte pro rata pecuniæ mutuo datæ, id eſt pro expenſis & intereſſe damni emergentis: Cum enim nemo teneatur ſuis ſtipendijs militare iuxta Apoſtolicam doctrinam, & iuſtum ſit vt is ſtipendium conſequatur, qui pro tempore ſuum reperitur obſequium commodare, cap. Charitatem 13. q. 2. & cap. Iam nunc 28. q. 1. & c. Cum ex officij de præſcript. cõtingit vt qui inſeruiũt monti pietatis gaudeant ſua mercede pro laboribus. Merces autẽ debetur ab eis, quorum negocium agitur, & in quorum commodum labor impenditur. Ad pauperes autem ſpectat emolumentum montis pietatis, cum mons pro ſalute eorum inſtitutus ſit, & ſi mons interiret, damnum ipſis emergeret: Quare pauperes, qui pecunias à monte in neceſſitate habere volunt, debent etiam cõtribuere vt conſeruetur. Qui enim ſentit commodum, onus quoque ſentire debet. Quandoquidem ergo mons talis pauperum eſt, ipſi debent eum cuſtodire & gubernare, omniaque facere, quę pro eius conſeruatione requiruntur. Non expedit autem quod ipſi pauperes in ſuis manibus habeãt cuſto- 1. Cor. 9.

diam montis, cum facile mons periclitaretur nec pauperes habeant vt recompenſent, & propter inopiam multi delinquũt Eccleſiaſt. 27. Quapropter montis ipſius cura & prouidentia à rectoribus & gubernatoribus ciuitatũ aut Reipubl. principaliter adminiſtratur, qui alios officiales & miniſtros præficiunt, vt miniſterium fideliter adimpleant, atque hi pro ſuo labore ſtipendium poſtulant. Qui ergo gaudẽt beneficio montis debent retribuere etiam pro conſeruatione. Æqua autem & iuſta cõtributio melius fieri non poteſt, quam inſtituendo, vt quiſq; qui mutuũ accipit pro rata portionis quam accipit, & pro tempore quo detinet, moderatũ aliquid pro expenſis refundat. Si ergo verè velimus examinare rationem, quare vltra ſortem in hoc monte aliquid dandum ſit, referemus in verum & propinquum damnum emergens. Nunc ſit.

*Prima Concluſio.* Montis pietatis erectio, & inſtitutio eſt licita, iuſta & ſalubris pauperibus. Probatur ex auctoritate Summorum Pontificum, qui huiuſmodi montes non ſolum approbarunt, ſed etiam Chriſti fideles adhortati ſunt ad ſubueniẽdum huiuſmodi montibus Paulus II. Anno Domini 1467. 11. Octobris.

Sixtus IIII. Anno Domini 1472. 18. Kal. Maij, & Idem Anno 1479. 4. Non. Iunij. Innocent.

nocent.VIII.Anno 1486.3.Kal. Decemb.& Idem Anno 1488.6.Idus Maij, & alij Pontifices diuerſos Italiæ montes approbarunt, quos ad longum cum multorum DD. auctoritate & conſilijs adducit. F. Bernardin. in d. Defenſorio tract.2.part.4. Idem confirmatur ex Bulla Leonis X.in Concil. Lateranen.ſeſſ.10. quæ quoniam doctrinam montis pietatis rectè declarat atque determinat, de verbo ad verbum adiungitur.

*LEO Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio. Inter multiplices noſtræ ſolicitudinis curas, illam in primis ſuſcipere pro noſtro paſtorali officio debemus: vt quæ ſalutaria ſunt & laudabilia, ac Catholicæ fidei conſona, & bonis moribus conformia, noſtro tempore non ſolum enucleentur, verum etiam ad poſteros propagentur: & quæ materiam ſcandali præbere poſſent, penitus ſuccidantur, & radicitus extirpentur, nec pullulare vſquam ſinantur in agro dominico, & vinea Domini Sabaoth; duntaxat cenſeri permittendo, quibus fideliũ mentes paſci ſpiritualiter poßint, eradicatis Zizanijs, & oleaſtri ſterilitate ſuccisa.*

*Sanè cum olim inter nonnullos dilectos filios, ſacræ Theologiæ magiſtros, ac iuris vtriuſq; Doctores, controuerſiam quandam, non ſine populorum ſcandalo, & murmuratione exortam, & nuper his diebus innouatam eſſe compererimus, circa paupe-*

diam montis, cum facile mons periclitaretur nec pauperes habeant vt recompenſent, & propter inopiam multi delinquũt Eccleſiaſt. 27. Quapropter montis ipſius cura & prouidentia à rectoribus & gubernatoribus ciuitatũ aut Reipubl. principaliter adminiſtratur, qui alios officiales & miniſtros præficiunt, vt miniſterium fideliter adimpleant, atque hi pro ſuo labore ſtipendium poſtulant. Qui ergo gaudẽt beneficio montis debent retribuere etiam pro conſeruatione. Æqua autem & iuſta cõtributio melius fieri non poteſt, quam inſtituendo, vt quiſq; qui mutuũ accipit pro rata portionis quam accipit, & pro tempore quo detinet, moderatũ aliquid pro expenſis refundat. Si ergo verè velimus examinare rationem, quare vltra ſortem in hoc monte aliquid dandum ſit, referemus in verum & propinquum damnum emergens. Nunc ſit.

*Prima Concluſio.* Montis pietatis erectio, & inſtitutio eſt licita, iuſta & ſalubris pauperibus. Probatur ex auctoritate Summorum Pontificum, qui huiuſmodi montes non ſolum approbarunt, ſed etiam Chriſti fideles adhortati ſunt ad ſubueniẽdum huiuſmodi montibus Paulus II. Anno Domini 1467. 11. Octobris.

Sixtus IIII. Anno Domini 1472. 18. Kal. Maij, & Idem Anno 1479. 4. Non. Iunij. Innocent.

nocent. VIII. Anno 1486.3.Kal. Decemb.& Idem Anno 1488.6.Idus Maij, & alij Pontifices diuerſos Italiæ montes approbarunt, quos ad longum cum multorum DD. auctoritate & conſilijs adducit. F. Bernardin. in d. Defenſorio tract.2.part.4. Idem confirmatur ex Bulla Leonis X. in Concil. Lateranen. ſeſſ.10. quæ quoniam doctrinam montis pietatis rectè declarat atque determinat, de verbo ad verbum adiungitur.

*LEO Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio. Inter multiplices noſtræ ſolicitudinis curas, illam in primis ſuſcipere pro noſtro paſtorali officio debemus: vt quæ ſalutaria ſunt & laudabilia, ac Catholicæ fidei conſona, & bonis moribus conformia, noſtro tempore non ſolum enucleentur, verum etiam ad poſteros propagentur: & quæ materiam ſcandali præbere poſſent, penitus ſuccidantur, & radicitus extirpentur, nec pullulare vſquam ſinantur in agro dominico, & vinea Domini Sabaoth; duntaxat cenſeri permittendo, quibus fideliũ mentes paſci ſpiritualiter poſſint, eradicatis Zizanijs, & oleaſtri ſterilitate ſuccisa.*

*Sanè cum olim inter nonnullos dilectos filios, ſacræ Theologiæ magiſtros, ac iuris vtriuſq; Doctores, controuerſiam quandam, non ſine populorum ſcandalo, & murmuratione exortam, & nuper his diebus innouatam eſſe compererimus, circa paupe-*

*ram releuationem in mutuis eius publica authoritate faciendis, qui Montes pietatis vulgo appellantur; quiq́ in multis Italiæ ciuitatibus, ad ſubueniēdum per huiuſmodi mutuum pauperum inopiæ, ne vſurarum voragine deglutiātur, à ciuitatum magiſtratibus, & alijs Chriſti fidelibus ſunt inſtituti; atq́ à ſanctis viris diuini verbi præconibus, & laudati, & perſuaſi, ac à nonnullis etiam ſummis Pōtificibus, prædeceſſoribus noſtris probati & confirmati, ſintné præfati montes à Chriſtiano dogmate diſſonantes, vel non, vtraq́ parte diuerſimode ſentiente atq́ prædicante.*

*Nonnullis enim Magiſtris & Doctoribus dicentibus, eos montes non eſſe licitos, in quibus aliquid vltra ſortem pro libra, decurſo certo tempore, per miniſtros huius montis, ab ipſis pauperibus quibus mutuum datur, exigitur; & propterea ab vſurarum crimine, iniuſtitiaúe, ſeu ab aliqua certa ſpecie mali mundos non euadere. Cum Dominus noſter, Luca Euangeliſta atteſtante, aperto nos præcepto obſtrinxerit, ne ex dato mutuo quicquam vltra ſortem ſperare debeamus; ea enim propria eſt vſurarum interpretatio, quando videlicet ex vſu rei, quæ non germinat, nullo labore, nullo ſumptu, nulloúe periculo lucrum, fœtusq́ conquiri ſtudetur. Addebant etiam ijdem Magiſtri & Doctores, in his montibus nec commutatiuæ, nec diſtributiuæ iuſtitiæ fieri ſatis; cum tamen iuſtitiæ terminos cōtractus huiuſmodi excedere non debeant, ſi debeāt approbari. Idq́ propterea probare nitebantur, qui*

impen-

*impenſæ pro huiuſmodi montium conſeruatione, à pluribus (vt aiunt) debitæ, à ſolis pauperibus quibus mutuum datur extorqueantur, pluraq́ interdum vltra neceſſarias, & moderatas impenſas, non abſque ſpecie mali, ac incentiuo delinquendi, quibuſdam alijs perſonis (vt inferre videtur) exhibeantur.*

*Alijs vero pluribus Magiſtris, & Doctoribus cõtra aſſerentibus; & in multis Italiæ Gymnaſiis, verbo & ſcripto clamãtibus, pro tanto bono, tamqúe Reipublicæ neceſſario, modo ratione mutui nihil petatur, nec ſperetur; pro indemnitate tamen eorundem montium, impenſarum videlicet miniſtrorum eorundem, ac rerum omnium ad illorum neceſſariam conſeruationem pertinentium (abſq́ montium huiuſmodi lucro) idq́ moderatum & neceſſarium, ab his qui ex huiuſmodi mutuo commodum accipiunt, licitè vltra ſortem exigi, & capi poſſit, non nihil licere. Cum regula iuris habeat, quod qui commodum ſentit, onus quoq́ ſentire debeat, præſertim ſi Apoſtolica accedat authoritas. Quam quidem ſententiam à fœlicis recordationis, Paulo II. Sixto IIII. Innocentio VIII. Alexandro VI. & Iulio II. Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris probatam à ſanctis quoque, ac Deo deuotis, & in magna ob ſanctitatis opinionem, exiſtimatione habitis, Euangelicæ veritatis prædicatoribus, prædicatam eſſe oſtendunt.*

*Nos ſuper hoc, prout nobis eſt conceſſum ex alto, opportunè prouidere volentes, alterius quidẽ partis*

*iuſtitiæ Zelum ne vorago aperiretur vſurarum; alterius pietatis & veritatis amorem, vt pauperibus ſubueniretur; vtriuſque vero partis ſtudium commendantes; cum hæc ad pacem, & tranquillitatem totius Reipublicæ Chriſtianæ, ſpectare videantur, ſacro approbante Concilio, declaramus, & definimus Montes pietatis ſupradictos, per Reſpublicas inſtitutos, & authoritate ſedis Apoſtolicæ hactenus approbatos, & confirmatos; in quibus pro eorum impenſis, & indemnitate, aliquid moderaderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad illorum conſeruationem (vt præfertur) pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat, vltra ſortem abſque lucro eorũdem Montium recipitur, nec ſpeciem mali proferre, nec peccandi intentionem præſtare, nec vllo pacto improbari. Quinimo meritorium eſſe, ac laudari & probari debere, & tale mutuum minime vſurarium putari, licereq; illorum pietatem & miſericordiam populis prædicare etiam cum indulgentijs à Sancta ſede Apoſtolica, eam ob cauſam conceſſis; ac deinceps alios etiam ſimiles montes cũ Apoſtolicæ ſedis approbatione erigi poſſe. Multo tamen perfectius, multoq; ſanctius fore, ſi omnino tales montes gratuito conſtituerentur; hoc eſt, ſi illos erigentes, aliquos cenſus aſſignarent, quibus ſi non omnino, ſaltem vel media ex parte, huiuſmodi miniſtrorum ſoluantur impenſæ, vt ad leuioris æris ſoluendi portionem, medio hoc pauperes grauari contingat. Ad quos cum huiuſmodi cenſus aſſignatione, pro impen-*

*impenſarum ſupportatione erigendos, Chriſti fideles maioribus indulgentijs inuitandos eſſe decernimus. Omnes autem Religioſos, & Eccleſiaſticas & ſæculares perſonas, quæ contra præſentis declarationis, & ſanctionis formam, de cætero prædicare, ſeu diſputare, verbo vel ſcriptis auſi fuerint excõmunicationis latæ ſententiæ pœnã Priuilegio (quocunq; non obſtante) incurrere volumus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, definitionis, decreti, & excommunicationis, infringere vel auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotẽtis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, in Publica ſeſſione in Lateranenſi ſacroſancta Baſilica ſolenniter celebrata. Anno incarnationis Domini. 1515. Quarto Nonas Maij Pontificatus noſtri, Anno Tertio. Placent vobis Patres, quæ per me lecta ſunt? Fuit reſponſum per omnes, Placet.*

*Secunda Concl.* Perfectius ſanctiuſue foret ſi montes pietatis omnino conſtituerentur vt nihil acciperetur ab eis quibus mutuum datur: ita vt inſtituentes montes etiam aſſignarent quoſdam reditus pro miniſtrorũ impenſis: In hac concluſione Doctores conueniunt, & merito. Tunc enim nulla poſſet eſſe vſuræ, aut iniuſtitiæ ſuſpicio, cum tantum

ſors

ſors reſtitueretur, & pauperes in nullo grauarentur,& ſatis conſtat ex Bulla.

*Tertia Concluſio.* Non eſt licitum tantum in hoc monte accipere à pauperibus, vt cumulus augeatur,& annuè creſcat.Hanc Cõcluſionem docent Medina,& Ioſeph. Angles in florib. Theolog. qq. in 4. Sentent. 2. par. in q. de Cambijs,7. difficultate,& colligitur etiam ex dicta Bulla in verbis C. Abſque montium huiuſmodi lucro, & ratio eſt euidens. Aut illud additum ſoluetur ratione expẽſarũ pro montis conſeruatione: aut cauſa mutui: Non primum, quia ſine illo ſoluitur pro expenſis: Non ſecũdum: cum tum eſſet vſura & cõſtitueretur mons impietatis. Nec releuat bona intentio, quia tunc vſurarij per ſimilem intentionem excuſari poſſent.

# ALEXANDER III. GENVENSI ARCHIEPISCOPO.

*Vſurarius monitus non deſiſtens, ſi clericus eſt, ab officio & beneficio ſuſpenditur: Si laicus, excommunicatur.*

## CAP. VII.

PRÆTEREA *parochianis tuis vſuras recipere interdicas: Qui ſi parēre contempſerint: Si clericis*

*rici ſint, eos officio beneficioq́; ſuſpendas. Si vero laici vſque ad dignam ſatisfactionem ipſos vinculo excommunicationis aſtringas.*

ADuertendum ex hoc capit. quod laici quantum ad crimen vſurarum etiam ſubſunt foro Eccleſiaſtico: Cum excommunicatione poſſint compelli, vt deſiſtant à tali crimine, & reſtituant vſuras illis, à quibus extorſerunt. Tandē quærunt cum Glo. DD. An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum clerico, qui exercuit vſuras, & ſatisfecit, vt reſtituatur beneficio & officio. Reſpondent quod ſic: Quia hic non prohibetur, ideo videtur permiſſum. Nihil ſingulare circa hoc cap. diſcutiendum eſt, proinde non eſt inhærendum.

## IDEM ALEXANDER AD ABBATEM ET FRAtres S. Laurentij.

Fructus rei pignoratę computari debent in ſortem, & excipitur vnus caſus.

CONQVESTVS *eſt nobis C. clericus, &c. & infra. Dilectioni veſtræ mandamus, quatenus ſi terram ipſam titulo pignoris detinetis, & de fructibus eius ſortem recepiſtis: prædictam terram clerico*

*rico memorato reddatis. Niſi terra ipſa de feudo ſit monaſterij.* Materia huius capituli pro maiori parte declarata eſt in cap. 1.

## QVÆSTIO. I.

*An in mutuo liceat aliquid vltra ſortem ratione damni emergentis, ſeu intereſſe, vt vocant, accipere?*

PRo declaratione tituli quæſtionis præſupponendum, quod nomine intereſſe, quo multę maximæque vſuræ ſæpe pallian-tur, intelligitur damnũ emergens, & lucrum ceſſans: Ita quod nomẽ intereſſe ſit generale comprehendẽs hæc duo, vt clarũ eſt ex DD. cum text. in L. vnica. C. de ſentẽtijs, quæ pro eo, quod intereſt, proferuntur.

Intereſſe, vt Conrar. in q. 30. de contract. alijs latius explicat, eſt perdere aliquod bonum temporale iam habitũ, vel non aſſequi bonum temporale, quod obtineri poteſt. Et dicitur intereſſe, quia is, qui bonum temporale iam habitum perdit, vere dicit, mea intereſt id perdere, cum illud eum cõtingat. Et qui lucrum de proximo ſperat, quod habere valet, ſua intereſt, ne perdat occaſionẽ quęrendi. Hinc rectius intelligitur, quomodo intereſſe diuidatur in damnum emergẽs & lucrum ceſſans. Damnum emergens eſt, quando aliquis priuatur re ſua pecunia æſtimabili ex eo, quod alteri mutuo dat, & dici-

tur emergens, quia ex mutuo emergit, ex.g. habeo pecuniam ad emptionẽ frumenti neceſſarij pro mea re familiari paratam. Venit Ioannes amicus meus circa Natiuitatis Ioãnis feſtum, petit pecuniam ſibi mutuo tradi, vſque ad feſtum Martini, quando ego deſtinaui mea pecunia emere, eo quod conſideratis circũſtantijs rerum & temporum, frumentum vendetur bono pretio. Adueniente termino, Ioannes non eſt ſoluendo. Ego pecuniam aliter habere non poſſum, vt meæ neceſſitati conſulam, niſi ab Vſurario, cui de centum mutuo acceptis vſq; ad feſtum Paſchæ debeo ſoluere 6. hoc mihi damnum exurgit ob mutuationem.

Lucrum ceſſans eſt, quando quis lucraturus de præſenti & proximo eſt, cũ illis pecunijs, quas mutuo dat, & quia mutuo dat, verè priuatur tali lucro. Vel ſic cum aliquibus definiri poteſt, eſt amiſſio lucri facta à creditore propter pecuniam ſibi non redditam in tempore conuento, & dicitur ceſſans, eo quod aliquid fieri ceſſat ob mutuum datum ſecundùm mentem Glo. in L. 1. in verb. Poſſibile C. de ſent. quæ pro eo, &c.

Exemplũ huius intereſſe ſit. Sũ mercatór, habeo pecuniẹ ſummã ad manũ, qua in proximis nundinis Francofordien. volo ad negociandũ merces cõparare, mutuo Ioãni, & ob talẽ mutuationẽ, quia alias pecunias non habeo,

habeo, dormit mea negociatio pro magna parte, & conſequenter pro rata ceſſat aliquod lucrum, quod veriſimiliter habere potuiſſem.

Præterea obſeruandum, quod non eſt eadem ratio intereſſe damni emergentis, & lucri ceſſantis, ideoque vtrumque per ſe conſiderandum vt annotarunt. Caietanus tomo 2. opuſcul. tract. 8. q. 6. Dominicus Sotus de iuſtit. & iure lib. 6. q. 1. articu. 3. Bald. in conſ. 182. incip. Locata fuit, nume. 2. lib. 1. & Andreas Gail lib. 2. practic. obſeruat. obſe. 6. nu. 1. & plenius in ſequentib. patebit. Quare in hac q. etiam ſeparatim de intereſſe damni emergentis agetur, & in ſeq. de ratione lucri ceſſantis.

Poſtremò ſupponendum, quod mutuo dans dupliciter poteſt pati intereſſe. Aut ante moram mutuatarij, ſiue eius qui mutuum accepit, ſic nimirum vt illud patiatur ex mutuatione etiamſi mutuatarius ſoluat ſortem in termino præſcripto, & illud eſt intereſſe ante moram: Aut poſt moram, vt quando non reſtituitur mutuum tempore præſtituto ad ſoluendum, & iſtud dicitur intereſſe poſt moram, ſiue ex mora, & cum hic terminus, moræ aliquoties in hac quæſtione occurrat; aduertendum quod mora incurritur, cum quis non facit, id quod facere tenetur, & eo tempore quo debet ex

DD.

DD. capit.vlt.de Locato,& quando dies eſt appoſita obligationi,vt quis conſtituatur in mora,non requiritur monitio:Quia dies interpellat pro homine ex d. capit. vltim. & L. Magnam C. de contrahend. & committenda ſtipul.

*Prima Concluſio.* Intereſſe non poteſt metiri ex parte debitoris ſed creditoris, nec etiam ex neceſſitate; aut lucro debitoris. Molinæus de commerc.numer.26. & probatur. Mutuum enim debet eſſe gratuitum, & fit in vtilitatem recipientis, nō credentis: Qua de cauſa quantumcunque conſtet debitorem ſuper lucraturum ex mutuo, vel damnum maximum euaſurum, non eſt cauſa iuſta & releuans, vt creditor poſſit aliquid vltra ſortem exigere. Quanquam debitorem monere poſſit ad antedoralem beneficentiam, de qua infra.

*Secunda Concluſio.* Creditor ſi quod patitur damnum propter morā debitoris in ſoluendo, vtpote quia in termino non ſoluit, poteſt illud repetere à debitore, qui etiam in foro cōſcientiæ tenetur reſarcire. S.Thomas 2.2. quæſt. 87. artic.2. ad primum.Caietan. ibidem S. Antonin. 2.part.titu. 1. cap.7. §.19. Conrard. q. d. Gabriel. in 4.d.15. q. 11. artic. 1. Adrian. in 4. in q. de vſura. §. Qui tactum eſt de intereſſe. Angel.in verb. Vſura 1.§. 15. & 16. Syllueſt. eod. verb. qu. 19. ſe.

quuntur Canoniſtæ in hoc cap. Bald.in L.2. C.de vſur.Salycet. ibidem Iaſ.in L.Cunctos populos C.de ſumma Trinit.in prima lect.à num.50. Ambroſ. à Vignate in cap.Salubriter,& hæc eſt communis ſententia Theologorum & Iuriſperitorum. Ratio eſt clara. Nemo enim extra caſum, in quo de præcepto tenetur dare Eleemoſynam, obligatus eſt cum damno proprio mutuare alteri, & qui mutuum dat poteſt ſe indemnem ſeruaue,& ſi mutuatarius tempore præſtituto nõ reddat mutuum , vnde mutuans damnum patiatur merito recompẽſare tenetur: Cum enim qui damni cauſam dat, de iure damnum dediſſe dicatur.

*Tertia Concluſio.* Creditor ſine peccato poteſt in pactum deducere cum eo, qui mutuum accipit , recompenſationem damni, quod ob cauſam mutui dati incurret etiam ante moram. San. Thom. S.Antonin.Conrard.Gabriel.Adrianus.Hoſtien. in cap. Salubriter.Panormitan.ibidem numer.3.Ioan. ab Anan.in hoc cap.nume.16. & hæc opinio communis eſt, vt atteſtantur, [redacted] de commerc.nume.34.quem ſequitur Couarr. lib.3.variar.reſolut.cap.4.num.5. & Nauarr. in comment. de Vſuris num.42. Ratio. Debitor de iure tenetur creditorem ſeruare indemnem, quando ſui cauſa damnum incurrit ſiue ante moram, ſiue poſt: quia qui cau-
ſam

ſam damni dat tenetur damnum reſarcire. Ergo poteſt deducere in pactum; cum pactũ cadat ſuper materiam licitam, & ideo nihil iniquitatis addat.

*Quarta Concluſio.* Quando fit conuentio in initio de intereſſe, ſiue damno emergenti, non debet fieri ſub certa quantitate, ſed incerta, id eſt mutuãs poteſt cum mutuatario conuenire, quod reſarciet omne damnũ, quod creditor incurret vi mutuationis. Hæc Conc. veritatem habet: Quia fraudis ſuſpicio adeſſet, ſi certa quantitas, quæ nec cognoſcitur, in pactum deduceretur. L. Cum quis decedens §. Codicillis & §. Titia ff. de Legat. 3. Bald. in L. Rogaſtis. §. Si tibi ff. Si certum petatur, & in L. Cunctos populos C. de ſumma Trinit. colum. 4. Ioan. ab Anania. in cap. fin. infra charta penult. Decius in conſ. 116. incip. In cauſa Aluiſij. nume. 3. Alexand. in conſil. 26. incip. Viſo themate libr. 4. Molin. vbi ſupra num. 35. & Didac. loc. citat. & alij alibi: & illa incerta quantitas poſtea probanda erit. Si tamen certa quantitas deducta fuerit in pactum, quæ veriſimilibus coniecturis conueniat quantitati, quæ verè interſit, valebit conuentio in vim probationis deductæ ex veriſimilibus coniecturis. Decius in capit. Cum venerabil. de except. numero 14. Molin. & Didac. vbi ſupra.

*Quinta Concluſio.* Debitor non tenetur de iuſtitia ad recompenſationem damni emergentis creditori ante moram, ſi non fuit in initio de hoc conuentum. Hæc Concluſio eſt contra Ioannem à Turrecrem.in ſumma 14.q.3.& Rebuffum in L.vnica C.de ſenten. quæ pro eo, quod intereſt, in principio nu. 24. Concluſionem tradũt Molin.in d. tract. num.33.Nauar.in d.comm.num. 55. Couar. loc. cit. Coſmus Philiarcus libr. 5. de officio ſacerd.cap.7.concl. 5. & probatur. Debitori gratis & ſine onere fuit mutuatum, nec tenebatur ante tempus reſtituere, cum id non fuerit conuentum,& ſi ſciuiſſet ſibi fore ſoluendum intereſſe, forte non accepiſſet mutuum, & vſque ad præfinitum tempus debitor cum conſenſu & voluntate pecuniã mutuatam retinet. Ergo non tenetur ad intereſſe, ſi non ſit promiſſum.Quemadmodum etiam donatarius non tenetur donatori reſarcire damnum ei contingens propter donum. Verum tamen eſt quod ex quadam æquitate & gratitudine debitor teneatur, ſi cauſa mutui dati creditor aliquod damnum non præuiſum ante moram incurreret, ad antidora antidoraliter pro ratione accepti beneficij & proportione damni: Non tamẽ hæc antidoralis obligatio ad aliquid ſoluendum ſtringeret in conſcientia, cum non ſit iuſtitiæ ſed liberalitatis.

*Sexta Concluſio.* In foro exteriori, quando petitur damnum emergens, probãdum eſt, niſi ſit liquidum. Alexand. conſil. 141. incip. Viſo themate cum dubijs. col. 1. Dec. conſ. 489. incip. In caſu occurrenti in terra Vexani num. 11. Bald. in L. Etiam colum. 2. de execut. rei iudi. Iaſ. in L. 1. C. de ſumm. Trinit. in 1. lect. à num. 50. And. Gail lib. 2. practic. obſeru. 6. obſeruat. & alij alibi. Probatur autem hoc modo, quod mutuans ex cauſa expediẽte: vel vrgente ob non ſolutam pecuniam ſuo tempore pecunias ſub vſuris acceperit, vel aliud damnum inciderit, vel in pœnam aliquam condemnatus fuerit. vt Alexan. declarat in d. conſilio.

## QVÆSTIO. II.

*An mutuo dans pecuniam alteri poßit aliquid vltra ſortem accipere ratione lucri ceſſantis?*

PRima *Concluſio.* In mutuo poteſt etiam aliquis ab initio conuenire de vero lucro ceſſanti. Hæc concluſio eſt contra Innocen. in cap. fin. infra, quem ſequitur Dominic. Sotus lib. 6. de iuſt. & iure q. 1. articul. 3. qui tamen tandem ibidem conclu. 5. docet hanc non carere probabilitate. Pro hac concluſione ſunt S. Antonin. 2. part. titul. 1. cap. 7. §. 15. & 19. Conrard. d. quæſt. 30. Gabriel. vbi ſupra & Adrian. Caietan. 2. 2. q. 78. art. 2. Angel. in verb. Vſura 1. §. 16. Sylueſt. eod. verb.

q.19.Gloſſ.Panormitan.&Anan in hoc cap. Hoſtienſis in cap.Salubriter. Dec.in c.Cum venerabilis de except. & in conſ. 111. incip. Pro tenui facultate mea, Ludouic. Roman. conſil.517.incip. In caſu præpoſitæ conſultationis.& hanc communem modernorum Theologorum & Canoniſtarum eſſe,ait Adrianus, eam etiam communem eſſe opinionem atteſtantur.Sylueſt.d.q.19.Sotus ipſemet.Couar.loco cit. & Nauar.in d.comm. à nume.43.

*Secunda Concluſio.* Lucri ceſſantis ratio non habetur niſi poſt moram L.2.§. Si nauis ff.ad Legem Rhodiam de iact. L. lecta verſ. Non enim ff.Si certum petatur.Leg. 1. C.de ſent.quæ pro eo,&c. Gloſſ.in hoc cap. Ioan. Andr.in capit. Nauiganti, Anton. à Butrio & alij in cap. Salubriter & communiter omnes Iuriſtæ. Hæc concluſio videtur potius ad forum exterius ſpectare, vbi præſumptiones locum habent. Nam Theologi omnes vt eſt videre apud Adrianum Ioan. Medin. in q.3.C.de reb.per vſur.acq. Caietanus & alios volũt etiam lucri ceſſantis rationem haberi ante moram, quod verum quando in rei veritate lucrum ceſſat ob mutuationẽm,&aliæ ſeruantur conditiones,quas ponunt Latiſſimè Conrard. & breuius Angel. Syluest. Gabriel. & alij, eaſque examinant Nauarr. & Medina,ad quos breuitatis ergo

lecto-

lectorem remitto. Tantum enim ex Theologorũ & aliorum doctrina colligitur, quod exercitium lucri ceſſantis ſit res periculoſa, & ideo melius, vt huiuſmodi cõtractus diſſuadeantur, vt in ſpecie docent S. Antonin. Conrard. Hoſtien. & Nauar.

*Tertia Concluſio.* Intereſſe omne tum maximè lucri ceſſantis debet fundari in cauſis veris efficacibus & propinquis. Hæc Concluſio elicitur ex doctrina Theologorum locis cit. qui ponunt conditiones lucri ceſſantis, in quibus virtualiter concluſio continetur: & eam ſentiunt Decius in d. ca. Cum venerabilis colu. 5. de except. & in L. Quatenus ff. de reg. iuris. & Carol. Molin. de commercijs nu. 28. Dicitur in concluſione (veris efficacibus) ad excludendum ſimulatas, quales plurimas ſolent vſurarij & auari mercatores fingere: cum tamen nulla earum ſit vera cauſa & efficax amiſſionis lucri. Qua de cauſa quando aliquis in arca alias habet pecunias, quibus æquè bene poteſt lucrum acquirere ſine damno, nõ poteſt ſecundùm communem Doctorum ſentẽtiam ratione mutui acquirere lucrum ceſſans: quia in tali caſu mutuatio non eſt efficax cauſa lucri ceſſantis. Quod valde obſeruandum pro multis, qui ſæpe allegant lucrum ceſſans, dum minime ceſſat. Dictum (propinquis) ad excluſionẽ cauſarum remotarum in infinitũ.

Exempli gratia, vt memini quod quidam in cauſa beneficiali allegauerat, & articulauerat intereſſe lucri ceſſantis ratione fructuũ ab altero preceptorum, ſi eos habuiſſet, potuiſſet ſtuduiſſe, & fieri doctor, & multa acquiſiuiſſet aduocando, & conſilia vendendo, quibus pecunijs iterum lucrum habuiſſet & ſic in infinitum procedendo, & fortaſſe ſi tales fructus habuiſſet, conſumpſiſſet potitando & alijs vanitatibus indulgendo, & fuiſſet factus ſtultus: cum aliâs non nimiũ ſaperet. Nec opus eſt tanta diſtinctione intereſſe: an ſit intra rem, vel extra rem, vel ex ipſa re, vt Bartol. alijque diſtinguunt in d. L. C. de ſent. quæ pro eo, quod intereſt, quod rectè obſeruarunt Alciat. in tractatu d. Leg. vnica, & Molin. ibidem, & de commerc. numer. 31. modo ſit circa rem, id eſt non longè, ſed propinquum coniunctum & immediatum. Ad idem facit, quod Doctores tradũt non ſufficere lucrum fuiſſe in potentia remota, ſed in actu, vel quaſi in actu, quod eſt in potentia propinqua. Gabriel. in 4. d. 15. quæſt. 11. articul. 1. in lit. F. Angel. in verb. Vſura 1. §. 15. Sylueſt. eodem verb. quæſt. 19. & alij ſecuti. Panormitan. in hoc cap. Paul. Caſtren. in L. Non vtique §. Nunc de officio ff. de eo quod certo loco, & Decius in conſil. 322. incipien. Viſis conſilijs clariſſimorum Doctorum numero 5. & clarius latiuſque

que Molin. tract.de comm.numer. 29. Et vt hæc rectius intelligantur, aduertendum id, quod Caietanus 2.2. quæſt. 78.articul.2. pro more ſuo acutiſſimè explicat, in quæſtione qua quærit. Num liceat expetere damnum lucri ceſſantis, quod potentia ad lucrum ex pecunia eſt duplex. Quædam conſequens ipſam pecuniam abſolutè, quatenus pecunia eſt inſtrumentum ad lucrãdum, ſiue per viam negociationis: ſiue per viam emptionis agri, armenti, &c. Quædam potentia ad lucrum ex pecunia eſt conſequẽs pecuniam non abſolutè, ſed vt ſubſtat tali induſtriæ negociatoris, vel emptoris tali tempore, in tali loco & commoditate. Prima potentia communis eſt pecuniȩ à quocunque habeatur. Idem eſt iudicium de ipſa pecunia, & de eius potentia, & ita ſicut non licet ratione pecuniæ accipere vltra ſortem: ita non licet addere aliquid plus ratione ſuæ potentiæ. Secunda potentia adiungitur pecuniæ ex hoc, quod ſubeſt tali induſtriæ, & non pecuniæ abſolutè. Vnde etiam ſuſcipit magis & minus iuxta approximationem ad lucrũ & quantitatem negocij,induſtriæ & aliarum circunſtantiarum. Declarat Cardinalis Caietanus ememplo. Granum tritici dupliciter poteſt conſiderari. Primo abſolutè, & ſic quamuis ſit in potentia ad ſeminandum, quatenus aliquis vti eo poteſt ad ſeminan-

dum, tamen nihil plus valet ob illam potentiam, quam abſolutè cōſideratum, in quantum eius vſus, vel victui, vel ſemini inſeruire poteſt.

Secundò poteſt conſiderari, vt ſerendum, & iam applicandum tali vſui, & ſecundùm hanc conſiderationem etiam ſuſcipit incrementum, quatenus propius tali vſui applicatur: & ex hac radice deſcendit, quod quādo lucrum ceſſans in pecunia expetitur, quod adhuc eſt in potentia non licet totum id deducere in pactum, quod eſt poſſibile acquiri. Quia quod in potentia eſt, nec dum actu, poteſt adhuc impediri ne ſuam perfectionem conſequatur: Sicut ſi quis in agro deſtruat ſemen, non tenetur ad tantam reſtitutionem, ac ſi frumenta iam matura deſtruxiſſet. Quod etiam Sanctus Thom. 2.2. quæſtion. 62. articulo quarto, ad primum & ſecundum innuit, vbi de reſtitutione agitur, cum ait. Nam ille, qui ſemen ſparſit in agro nondum habet meſſem in actu, ſed ſolum in virtute. Et ſimiliter ille qui habet pecuniam, nondum habet lucrum in actu ſed ſolum in virtute, & vtrumque poteſt multipliciter impediri. Hæc ille.

*Quarta Concluſio.* Lucri ceſſantis exactio non conuenit niſi mercatoribus & negociatoribus. Vnde etiam niſi ipſis in foro

fori

ſori adiudicatur. Hæc eſt communis Iuriſperitorum ſententia. Baldus cum text.in L. 3.§.final.ff.de eo,quod certo loco dari oportet, pulchrè ibidem Paulus Caſtren. Iaſon. in L.1.de ſumma Trinitat. numero 50. Cyn. in Authentica C. de vſuris quæſtione 3. Alexander conſ. 141. in principio. incipien. Viſo themate cum dubijs volum. 5. Dec. in capit. Cum venerabilis de exceptione & ibidem Panormitanus à numero 16. & Felin. à numero 7. Dec. in conſ. 322. incipien. Viſis conſilijs clariſſimorum, &c. Et aliorum multorum in diuerſis conſilijs,quos ad longum congerunt Andreas Gail. libro ſecundo obſeruat. practicarum obſeruat. 6. à numero 2.& Iacobus Menochius libro 2.de arbitrarijs Iudic. qq. caſu 119. & hæc eſt communis opinio, vt atteſtantur Iaſon in dict. Leg. 3. §. Nunc in officio & Couarru. 3. variarum reſolut. capit. 4. numero ſecundo, & ſecundum hanc iudicatur in ſummo Imperij Iudicio Spiræ, vt teſtis eſt Gail. loc. d. Ex hac concluſione & etiam Theologorum doctrina infero id, quod alijs expreſſius tradit Nauarrus in dicto comment. numero 58. quod non poſſunt quicquam iuſtè capere lucri ceſſantis illi, qui nolunt: aut non poſſunt negociari, aut res frugiferas emere.

Quinta

*Quinta Concluſio.* Qui in iudicio petit lucrum ceſſans in libello, articulare, & deinde etiam probare debet, quod ſit mercator ſolitus mercaturam exercere, & tãtum communiter lucrari potuiſſet ex pecunia mutuata, quantum nomine lucri ceſſantis exigit. Hanc practicam & concluſionem docent pleriq́ue DD. allegati pro quarta concluſione.

*Sexta Concluſio.* Neque ſufficit prædicta probare, ſed etiam oportet docere ad conſequendum lucrum ceſſans, præ manibus & in promptu merces fuiſſe, quas emere intendebat. Vnde lucratus fuiſſet, & quia pecunia ſua, tempore conſtituto non fuit reddita, nõ potuit emere. Paulus Caſtren. in d. L. 3. §. fin. Decius in L. Quatenus, in fine ff. de reg. iur. Anton. Rubeus in conſil. 20. & 88. Purpurat. in L. Rogaſti §. Si tibi nume. 4. ff. Si certum pet. & Bartol. etiam in d. L. 3. ſatis indicat, dum ait, quod non ſufficit aliquem eſſe conſuetum negociari & lucrari, vt ex mora ei præſtetur lucrum ceſſans, niſi illud ſit certum; hoc eſt, certum ſit quod illo tempore fuiſſet ex re debita, ſi illam recepiſſet, lucratus, vt Paulus Caſtren. ibidem & Molin. de contractibus numero 28. in fine interpretantur. Plures pro hac concluſione allegat Menoch. loc. cit. Argumentum aliqui DD. formant pro hac concluſione maximè Caſtren.

ſtren. Non ſequitur, Conſuetus eſt aliquando lucrari. Ergo ſi habuiſſet, fuiſſet lucratus tantum: Quia poſſibile eſt quod non: cum multa potuerint euenire in contrarium, & ad hoc allegat text. in L. Quemadmodum. §. Item Labeo ff. ad Leg. Aquil.

*Septima Concluſio.* Taxatio & æſtimatio lucri ceſſantis iudicis arbitrio relinquitur. per notata à Bartolo in L. vnica de Colon. Illyric. Iaſ. in d. §. fin. nu. 6. ff. de eo, quod certo loco, & alij, quos citant Menoch. loc. cita. num. 6. Andr. Gail. vbi ſupra num. 5. Sed hęc concluſio intelligēda, vt Iaſon limitat, quādo illud intereſſe lucri ceſſantis non eſt ſpecificè probatum. Difficile enim eſt probare lucrum ceſſans, cum ſit non ens, & non entium nullæ ſunt cauſæ, probandum ergo ex coniecturis & à ſolitis & veriſimilibus, vtpote quia veriſimiliter ſolebat mercator tantum lucrari ex tantis mercibus, quas emiſſet. Gloſſ. & Iaſo. in d. §. fin. Andr. Alciat. in L. vnica C. de ſenten. quæ pro eo, quod intereſt. Menoch. & alij alibi.

*Octaua Concluſio.* Intereſſe tam damni emergentis, quam etiam lucri ceſſantis non ſolum habet locum in pecunia ſtrictè ſumpta, ſed etiam in alijs mutuabilibus, vt frumento vino, &c. Hæc concluſio eſt contra communem Legiſtarum ſententiam. in d. L. 3. de eo, quod certo loco. & in L. Numis ff. de

ff. de litem iurando. Sequuntur enim Legiſtæ literam legum, & non ſenſum, nec rationem, quæ anima legis eſt, & ita reſtringunt ad pecuniam ſtrictè ſumptam: Cum tamen nomine pecuniæ omnis res vtilis etiam intelligatur iuxta illud Auguſtini apud Gratianum 1.q.3. can. Totum quicquid habēt homines in terra, quorum Domini ſunt, pecunia vocatur. Concluſionem tenent Raphael Fulgoſius in d. L. Numis, dubitatiúe tamen & Molinæus in tract. de commer. nu.31. eam probat, & nu.512. prope finem. Sanè mirabile eſſet, ſi darem alicui mutuo 20. modios tritici, & quia non reſtitueret in termino dānum paterer, vtpote quia carè pro mea neceſſitate emere deberem, non teneretur ad intereſſe, & is cui totidem aureos mutuaſſem, & nō reddidiſſet in termino ad recompenſationē intereſſe obligaretur: cum ratio & definitio intereſſe vtrobique locum habeat, vt patet ex ſuperioribus. Ex contraria ſententia ſequitur, vt dicit Fulgoſ. in d. Leg. Numis, quem etiam refert Iaſon. in practica mirabilis deciſio, & valde dura. Quid ſi enim apud amicum depoſui, exempli gratia centū ſaccos frumēti pro canone trium annorum ſoluendo Domino rei meæ Empheuteoticæ, & quia ipſe depoſitarius nō reddidit frumentum in termino præſcripto, cauſam efficacem dedit, quod amiſi ius rei Empheu-

teote-

teotecæ, cui non iniquum videbitur, huius damni non haberi rationem. Atque ab hac ſententia alieni non ſunt Theologi, etſi in ſpecie rei non meminere: nam in genere quærunt. An liceat mutuatori aliquid vltra ſortem exigere, aut recipere ratione damni emergẽtis, aut lucri ceſſantis. Vnde præſupponere videntur, quod interëſſe locum etiam habeat iu omnibus, in quibus mutuum. Vt eſt videre apud Conrard. S. Thom. Sotum, Medinam & alios.

## QVÆSTIO. III.

*An liceat in mutuo vltra ſortem ratione pœnæ cõuentionalis aliquid exigere à moroſo debitore?*

VT titulus intelligatur in primis formetur caſus. Petrus indiget pecunia pro ſua neceſſitate, accedit Franciſcum vicinum ſuum, ac petit mutuum ab eo, & quia Franciſcus nouit Petrum tardum in ſolutione, niſi excitetur, vult quidem mutuo dare, ſed vt Petrus vigilantior ſit in obſeruatione termini: conuenit cum eo, vt ſi non ſoluat in termino in pœnam vltra 100. quos in ſortẽ recepit, debeat ſex ſoluere: quæritur nunc an licita ſit appoſitio talis pœnæ.

Præterea aduerteudum, quod pœna eſt triplex. Legalis, quę à lege, aut conſtitutione eius,

eius, qui poteſtate fungitur, impoſita eſt. Iudicialis, quę à Iudice contra debitorem conuictum & moroſum, ſi non ſoluerit præſcripto termino, ſtatuitur: & Conuentionalis, quæ de conſenſu partium in mutuo, vel alio contractu contra moroſum debitorem imponitur, & de hac pœna, quæſtio præſens interrogat.

Legiſtæ vt plurimum conueniunt in L. Cum allegat. C. de vſur. poſt Alexandrum in L. ſtipulatio iſta. §. Alteri de verbor. obliga. quod omnis pœna appoſita dationi quãtitatis, prę̃ſumatur in fraudem vſurarum adiecta, ſed Theologi latius diſcutiunt hanc quæſtionem.

*Prima Cõcluſio.* Si pœna adijciatur in principio mutuationis ad hoc, vt mutuator ſe conſeruet indemnem, quantum ad damnum emergens, aut lucrum ceſſans, licitè apponitur, modo terminos damni emergẽtis & lucri ceſſantis non egrediatur. In hac concluſione non eſt difficultas. Quia quilibet iuſtis medijs ſibi poteſt prouidere, ne damnum incurrat.

*Secunda Concluſio.* Ad corrigendam euitandamq́ue debitoris negligentiam ac moram, licitum eſt pœnam imponere, modo intentio non ſit corrupta. Gloſſ. & DD. in hoc cap. S. Antonin. 2. part. titu. 1. cap. 7. §. 21. Scot. in 4. d. 15. q. 2. articu. 3. Gabr. ibid. q. 11. art. 1.

arti.1. in litt.E. Conrard. de contract.quæſt. 31. ad longum, Angel. in verb. Vſura 1. §.31. Sylueſt.eodem verb.qu.28. Ioan. Medina in C.de reb.per vſur.acqu. q.3. prope finem,& hęc eſt communis Theologorum ſententia, vt rectè etiam ſentiunt Carol. Molin.de cõmercijs nume. 35. & Martin.Nauarr.in Manuali Confeſſar.cap.17.num.215.Iuſtè enim conſenſu partium pœna ſtabiliri poteſt contra eum, qui rem alterius inuito Domino poſſederit, & non ſuo tempore reddiderit, cum talis poſſeſſio ſit iniuſta & mereatur pœnam tam apud Deum, quam homines, nec eſt talis pœna prohibita, nec grauis mutuanti,quia in eius fauorem imponitur: nec etiam iniurioſa mutuum capienti: Quia volenti & conſentienti non fit iniuria præſertim in re licita: præſupponitur autem quod mutuatarius conſenſum dederit in talem pœnam.

*Tertia.* Quando mutuator mutuo dat appoſita pœna ei, quem à principio probabiliter nouit non ſoluturum in termino præfixo, vſura committitur, & ex conſequenti talis pœna non poteſt exigi, & ſi accipiatur manet obligatio reſtituendi. Scot. & alij in 4. d.15. Conrard. Angel. Syluest.& Nauarr. locis cit.

*Quarta.* Quando debitor non ſoluit in termino ex impotentia, quæ prouenit ſine

culpa ſua, pœna impoſita ad euitandam negligentiam non poteſt exigi. Eſt communis Theologorum & Summiſtarum loc. citato. Quia vbi non eſt culpa non debet peti pœna.

*Quinta.* Cum creditor mauult debitorem pœnam propter ſolutionis moram incurrere, quam mutuum reddere, vſuram palliare videtur, maximè quando conſueuit fœnerari ſecundùm communem: Si autem eſt indifferens mutuatori, vt creditor in termino, vel ſortem ſoluat: vel pœnam incurrat, peccat quidem contra charitatem: cum ei indifferens ſit proximum peccare, vel non: non tamen peccato vſuræ, niſi pœnam per modum lucri intendat, vt Medina docet.

*Sexta Concluſio.* Siue pœna imponatur propter intereſſe, quod mutuans propter moram incurret: ſiue propter negligentiam debitoris, ſemper debet eſſe moderata, vt ſit licita. Sic Theologi communiter ſentiunt loc. cit. probatur. Si apponatur propter intereſſe, non debet quantitatem intereſſe excedere: aliâs exceſſus meritò iudicabitur vſurarius, cũ alia ratione nõ accipiatur, quam ob mutuum: Si ad euitandum negligẽtiam debitoris, debet commenſurari culpæ: Ita tamen, vt non nimis grauis ſit debitori: aliâs præſumptio erit vſuræ.

*Septima*

*Septima Concluſio.* Multum intereſt, an pœna imponatur pro intereſſe: an vero propter culpam & moram debitoris. Quia quando pœna appoſita pro intereſſe, ſi mutuatarius in termino non ſoluat propter impotentiã probabilem, tenebitur ad ſatisfaciendum, quàm primum poterit: Si autem pœna pro negligentia adiuncta ſit, impotentia inuincibilis excuſat, ita vt etiam poſtea non teneatur ad pœnam: Cum in recompenſatione pro intereſſe facienda, non requiratur culpa recompenſantis, qualis requiritur in pœna ſoluenda pro negligentia, vt rectè Medina annotat.

*Octaua Concluſio.* Mutuatarius quando ſoluit in termino partẽ debiti & nõ poteſt totũ ſoluere, mutuator nõ poteſt ab eo exigere totam pœnam, ſi obligatio ſit diuidua: Alia autem eſt ratio quando eſt indiuidua. Angel. in verb. Pœna. §. 14. Sylueſt. ibidem q. 19. Aurea armilla ibidem num. 6. ſecuti Panor. in cap. Suam de pœnis. Nauar. loco citat. & alij: Quæ autem obligatio ſit diuidua, vel non, tradit Bartol. in L. Stipulationes non diuiduntur ff. de verbor. obligat. Diuidua propriè dicitur, quando ſolutio partis tantum valet reſpectu partis, ſicut ſolutio totius, reſpectu totius obligationis: Indiuidua, quãdo ſolutio partis nõ tantũ valet reſpectu partis, ſicut tota reſpectu totius; exemplo oſtendit:

 in pri-

in primis de diuidua obligatione. Promiſi tibi ſcribere Biblia & decretum, & ſcripſi Biblia, quia Biblia per ſe valent ſecundùm totũ ſuum ad omnem ipſius commoditatem & tantam vtilitatem adfert, ſi ſola reddatur, ac ſi cum decreto redderetur. Exemplũ indiuiduæ obligationis. Si promiſi ſcribere Biblia, & ſcripſi tantum aliquot quaterniones.

Quando pœna huiuſmodi contractibus apponitur, ſemper cauẽdum ei, qui pœnam imponit, vt ſcandalum abſit, vel ne occaſio infamiæ tribuatur, quod facile fieri poſſet, quando aliâs argumenta cõtra ipſum eſſent de ſiniſtra de præſumptione.

## *ALEXANDER III.*

### *AD EPISCOPVM PLACENTINVM.*

Hæres Vſurarij filius, vel extraneus vſuras extortas per defunctum reſtituere compellitur.

### CAP. IX.

TVA *nos duxit* F. *conſulendos, quid ſit de vſurariorum filijs obſeruandum: qui eis in crimine vſurarum defunctis ſuccedunt: aut de extraneis, ad quos bona vſurariorum aſſeris deuoluta. Tuæ igitur quæſtioni literis præſentibus, reſpondemus,* quod

*quod filij ad reſtituendas vſuras ea ſunt deſtructione cogendi qua parentes ſui, ſi viuerent, cogerentur. Idipſum etiam contra hæredes extraneos credimus exercendum.*

Nota ex hoc cap. quod res tranſit ad ſucceſſorem cum ſuo onere.

## QVÆSTIO. I.

*An & quomodo hæredes vſurarij teneantur ad reſtitutionem vſurarum?*

PRima *Concluſio.* Hæredes vſurarij in conſcientia tenentur reſtituere bona vſura extorta à parentibus. In hac cõcluſione tam Theologi quã Iuriſperiti conueniunt: Cum ſit aperti iuris in hoc ca. & c. In literis de raptorib. & c. fin. de ſepult. Gloſſ. in c. Quanquã de vſur. in 6. in verb. facultates, & probatur. Quicunque tenet bona malè acquiſita reſtitutioni obligata, tenetur ea reſtituere. Res enim tranſit cum ſuo onere. Sed filij & hæredes vſurarij tenent bona reſtitutioni obligata, quando parentes eorum vſura acquiſiuerunt, nec tamen reſtitutionem fecerunt, quando in hæreditate ſuccedunt cap. Cum tu. & per text. huius cap. Deinde hæres tenetur ex delicto defuncti ad damni illati compenſationem, vt cõmunis Canoniſtarum eſt opinio in d. ca. Ex literis & c. fin. de ſepult. & hanc communem eſſe ſententiã atteſtantur.

Parnor.in d.cap.fin.à num.6.de ſepult. Ant. Burgen.in cap.1.de empt. & vendit. Sylueſt. in verb. Hæreditas 3. Iulius Clarus libr. 5. receptar.ſentent.Iuris §.fin.quæſt.51. numero 16.Didac.libr. 3. variar.reſolut.capit.3.& alij quos Clarus ad longum allegat. Hæres enim in conſcientia tenetur ſatisfacere debitis defuncti. Quis autem negare audebit bona vſuraria non eſſe debita? Pro illuſtratione huius doctrinæ pulchrum exemplum refert S.Antoninus 2. part.titu.1.capit.6.§.3. Legitur,inquit,de quodam vſurario, quod cum infirmatus eſſet,& quidem grauiter, ac filios duos haberet, viſitatus à confeſſore confeſſus eſt,& nõ negauit peccatum ſuum. Cui cum declaraſſet confeſſor, quod oporteret eum omnia malè ablata reſtituere, aliâs ſaluari, & abſolui non poſſet, & filij eum ad hoc hortarentur: vt poſſet & ſacramenta ſuſcipere,& animam ſaluam facere: ſciebant enim vſurarios eius contractus. Reſpondit ille miſer. Ego non poſſum, quia ſi ſuperuiuerem non haberem ad manducandum; ſed oporteret me mendicare. Si morerer, & vos oporteret ire ad Hoſpitale; nihil enim vobis remaneret, quia omnia de vſuris ſunt. Cui illi. Non curetis de nobis, prouideatis ſaluti veſtræ. Tacete, ait ille, volo ire potius, & ad miſericordiam Dei ſtare; quam mercedem hominum: quia inhumani & immiſericor-

ricordes ſunt: Deus autem clementiſſimus. Sicque in ſua obſtinatione migrauit. Quod attendens vnus ex filijs hortatus eſt germanũ ad reſtituendum, ne ſequerentur patrem in damnatione, cui ille. Si pater meus vſuras fecit, ego illas non feci: volo portione mea gaudere dum viuo: de futuro neſcio, quid erit: Permanſit ergo in vitio patris detinendo partẽ ſuam. Alius vero reſtituit certa certis perſonis: & incerta pauperibus irrogauit. Cum autẽ in bonis duceret dies ſuos ex ſubſtantia funebri prior in puncto ad inferna deſcendit moriens: Alter vero qui ſtatũ religioſum aſſumpſerat facta reſtitutione de parte ſua, quadã die cũ oraret, vidit in viſione terram apertam, & in profundũ ignẽ maximum immenſam flammam extendẽtem. Et in profundo inferni, inter cæteros vidit patrem ſuũ & fratrem ſuum ſuper eum, quẽ pater frequẽter maledicebat, dicens Maledictus, &c. quia propter te, vt diuitẽ te dimitterẽ huc deueni. Et filius reſpõdebat: Imo tu maledicaris, quia ꝓpter te huc veni. Si enim nõ dimiſiſſes mihi male acquiſita: Ego me cauiſſẽ ab alijs vitijs. Et ſic ſtabãt in illa altercatione. Quod ille cernens dominũ laudauit de ſua illuminatione: quia reſtituerat. Vnde clarè patet, quomodo bona vſura acquiſita cũ ſuo onere & incõmodo tranſeãt ad hæredes, alioſq; poſſidẽtes. Hinc patet, quod alia

eſt ratio peccatorum,quę contra charitatem committuntur,vt ſunt ira,inuidia,ſuperbia, &c. Alia eorum, quibus iuſtitia læditur, vt ſunt rapina,furtum, vſura, omniſque illicita vſurpatio rei alienæ. Priora non excedunt auctores ſuos, ſed vnuſquiſque morietur in iniquitate ſua; In poſterioribus vero filius portabit iniquitatem patris, quando ſuccedit in bonis paternis,quæ reſtitutioni obnoxia ſunt, & non reſtituit.

*Secunda Concluſio.* Hæres tenetur ad reſtitutionem vſurarum etiamſi is, cui ſuccedit in hæreditate, impœnitens ex hac vita diſceſſerit. Hæc concluſio videtur contra Panormita.in d.cap.fin.de ſepult.qui exiſtimat hæredem defuncti teneri ad ſatisfactionem damni &lęſionis illatę per defunctum.Quia defunctus pœnitens & cum ſignis cõtritionis decedens tacitè promittit &iniungit hęredi damni recompenſationem &ita hæres potius ratione tacitæ promiſſionis & præcepti, quam ex delicto tenetur. Cõcluſionem præſentem tenent Panormitan. ipſemet in hoc cap.& Ioan. ab Anan. Bald. in L. 1. C.Si ex dilect.defunctor.numer.13.Couarru.loc. cit.num.7. & alij & conſtat ex hoc cap.& exemplo allato ſupra ex S.Antonino. Non enim aliter tenetur hæres vſurarij, quam hęredes furis, raptoris, aut alterius iniuſtè poſſidentis, qui profecto tenentur ad damni illati

lati recompenſationem etiamſi defunctus impœnitens deceſſerit, vt latius Couar. deducit

*Dubium hic eſſe poteſt.* Ex Gloſſ. in hoc cap. An quando vnus hæredum redditur impotens ad ſoluendum; alter qui manet potens teneatur in ſolidum reſtituere. Gloſſa tenet, quod ſic, & hæc fuit communis antiquorũ Canoniſtarũ opinio, vt videre eſt apud Sylueſtrum in verb. Vſura 6. qu. 10. & Iulium Clarum loc. cit. numer. 18. Ratio potiſſima eorum fuit, quia bona omnia vſurarij, ſunt eis, à quibus vſuræ extortæ ſunt, ſpecialiter hypothecata idque in odium vſuræ, & per conſequens ad quemcumque hæredem talia bona perueniant, tenebitur iuxta vires hæreditatis ad eum peruenientis, & inde cõtingit, quod altero hærede facto impotente ad ſoluendum, potens teneatur in ſolidum. Idem poteſt confirmari ex hoc cap. vbi dicitur, quod filij vſurarij defuncti teneantur reſtituere eo modo, quo defunctus, ſi viueret: ſed defunctus ſi viueret, & medietas ſuorum bonorum deſtructa eſſet, de alia reſidua dimedietate teneretur integrè vſuras reſtituere. Igitur etiamſi medietas bonorum defuncti in parte vnius hæredis pereat: altera dimedietate apud hæredem remanente, de illa is totum tenebitur reſtituere, quod etiã

defunctus,ſi viueret,teneretur. His non obſtantibus, ſit.

*Tertia Concluſio.* Quando plures hæredes ſunt vnuſquiſque tenebitur pro debitis defuncti iuxta portionem & quantitatem, quę ad ipſum peruenit. Hanc Conc. tenent Ioā. Anan. hic Caietan. tom. 2. tract. 8. q. 5. Medina & alij qui nolunt bona vſurariorum eſſe tacite hypothecata. Ratio, quia in diuiſione hæreditatis vſurarij non ſolum bona defuncti diuiduntur, ſed etiam æs alienum. Vſuræ autem inter æs alienum referuntur: quia eis à quibus extortę, debentur. Ac proinde ſi vnus eſſet ſolus hæres defuncti, ad eum etiam ſolum æs alienum perueniret: Si plures, inter plures diuiditur. Æs autem alienum in hoc caſu inter plures hæredes diuidi, non eſt aliud, quam obligationem, qua defunctus creditoribus ſatiſfacere tenebatur, inter ſuos hæredes diuidi: quemadmodum & eiuſdem bona inter eos diuiduntur. Ac proinde non tenetur quilibet hęres in ſolidum, ſed pro parte hæreditatis ipſum contingentis, & per conſequens ſiue cohæres efficiatur impotens, ſiue non: alter ſatisfaciet, ſi pro ſua portione, quæ ad ipſum peruenit, reſtituat, in foro conſcientiæ, vt optimè Ioannes Medina deducit in C. de rebus per vſur. acqu. quæſt. 4. Ad ea, quæ pro contraria ſententia allata ſunt, facilis eſt reſponſio.

Ad

Ad primum conſtat ex quæſtio.4. cap. Cum tu, ſupra, vbi traditũ falſum eſſe, quod omnia bona vſurarij ſint ſpecialiter hypothecata eis, à quibus extorta: Cum id nullo iure probetur & ideo dicendum non ſit cap. Incorporalia de translat. Epiſcop. Nec cogit hoc cap. quod adducitur; quia ex eo aliud non colligitur, quam quod obligatio reſtitutionis à defuncto tranſeat in hæredes. Quod autem ita tranſeat, vt vnuſquiſq; hæredum in ſolidum, aut ad plus, quam hæreditatis portio ad eum pertinens, poſtulet teneatur, nequaquam elicitur.

*Quarta Concluſio.* Hæres vſurarij etiamſi inuentarium non confecerit, non tenetur ex delicto defuncti vltra vires hæreditarias. Hæc concluſio eſt contra Aretinum in Rub. ff. de acquir. hæred. probatur ex cap. Quanquam de vſur. in 6. vbi vult, quod vſurarius, ſi de vſuris nõ ſatisfecerit, det cautionem de ſatisfaciendo pro viribus ſuarum facultatũ. Præterea ſecũdum communem ſententiã ex delicto defuncti in alijs criminibus non tenetur hæres de iure Canonico vltra vires hæreditarias non confecto hæreditario, quicquid dicat Panormitan. in d. cap. In literis. Ergo nec in crimine vſuræ, quod Aretin. excipit. Quod etiam DD. annotant in d. cap. Quanquã, Ioan. Andr. Dominic. Philippus Francus.

Digitized by Google

Quando enim lex non excipit, nec nos excipere debemus, niſi ratio aliud poſtulet. Gloſſ. in L. fin. C. de accuſat. Salycet. ibid. Bertrand. conſ. 268. lib. 3. Marſil. in conſ. 22. num. 13. & alij alibi. Quod vero Aretin. in d. Rubr. ob id excipiat vſuræ crimen, eo quod vſurarum reſtitutio deſcendat ex contractu, & peti poſſit cõdictione indebiti, refelli poterit vt optimè Couar. loco cit. num. 8. refellit. Quia debitor ſcienter vſuras indebitas ſoluit, & ideo cõdictio indebiti minimè cõgruit iuxta annotata L. 1. ff. de condict. indebit. Et ſi dixerit debitorem coactum iuramento quandoque vſuras indebitas ſoluiſſe cap. Debitores de iureiurand. tunc non magis competit ei condictio indebiti, quam ſoluenti debitum per metum. Et deinde etiamſi condictio indebiti hac in ſpecie detur, ea eſt irregularis & extraordinaria potius ex delicto, quam ex contractu deſcendens; quemadmodum ſæpiſſimè cõtingit aliquid recipi indebitum quidem ob iuris diuini, vel humani prohibitionem, ab eo, qui ſcienter ſoluit.

## QVÆSTIO. II.

*Qui cooperantes vſurario teneantur ad reſtitutionem?*

PRo tituli declaratione recogitandum, quod cũ vſurario in ſuo exercitio aliqui

poſſunt

poſſunt concurrere, qui ei cooperantur ad conſequendum ſuum effectum, vt ſunt mediatores, vel proxenetæ, miniſtri, ſcribæ, notarij conficientes inſtrumēta, auctoritatem præſtantes ſigillando, Iudices compellentes ad ſolutionem vſurarum, & ſimiles, quæritur ergo num tales peccent, &etiam teneantur ad reſtitutionem.

Secundò obſeruandum cum IoanneMedina in d.q.4.pag. penult. Aliud eſſe cooperari vſurario ad mutuationem vſurariam: Aliud ad lucri acceptionem, ſeu non reſtitutionem. Ex primo nō naſcitur obligatio reſtituendi, ſed ex ſecundo: eo quod per ſolam mutuationem ante lucri acceptionem mutuatarius nullum damnum incurrat.

*Prima cōcluſio generalis*. Quicunque eſt verè & efficaciter cauſa vt proximus per vſurā damnum incurrat tenetur ad reſtitutionem in integrum. In hac concluſione conueniūt Doctores S. Antonin. 2. part. titul. 1. capit. 9. Gabr. in 4. d. 15. q. 11. articu. 2. Angel. in verb. Reſtitutio 1. Sylueſt. in verb. Vſura 7. Dominic. Sotus lib. 6. de iuſt. & iur. q. 1. articu. 4. Ioan. Medin. loco citat. & alij alibi. & probatur ex illa regula iuris. Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe dicitur cap. Si culpa. de iniurijs. Dictum in concluſione. (verè & efficaciter) Quia dupliciter aliquis poteſt eſſe cauſa, vt proximus damnū patiatur. Vno modo,

Digitized by Google

modo, quod dat quidem occaſionem, ſed non efficacem cauſam, ita vt neceſſario effectus ſequatur. Alio modo, ita vt non ſolum det cauſam ſufficiētem, ſed etiam efficacem, ita quod poſita tali cauſa ſequatur effectus.

*Secunda Concluſio.* Qui mutuatario cooperatur, vt vſuram ſoluat, vtpote quia verè intendit rem eius vtiliter agere animaduertēdo, quod niſi ſoluat, aliud incommodum incurret, non peccat, nec tenetur ad vllam reſtitutionem. Conſtat concluſio. Quia talis nec contra charitatem, nec contra iuſtitiam peccat; cum vtiliter negotium proximi ſui agat promouendo eius vtilitatem. Secus autem eſt, ſi vſurarij vtilitatem prætendat, & tegat fraudem contra mutuatarium.

*Tertia Concluſio.* Proxenetæ ſiue mediatores, qui concurrunt pro parte vſurarij tenentur ad reſtitutionem vſurarum, quarum ſunt vera cauſa, vt ſoluantur, & non reſtituantur. S. Antonin. loco citat. §. 13. Angel. Sylueſt. Sotus locis alleg. Gloſſ. Bartol. & Angel. in L. Si ſciente ff. ad Leg. Pompeiam de Paricid. Nauarr. in Mauuali confeſſ. cap. 17. numero 267. Ratio ſumitur ex 1. & 2. concluſ.

*Quarta Concluſio.* Miniſtri vſurariorum, qui vocantur agentes & factores, atque vſurariorum negotium agunt in exponendo pecunias ad vſuram, & extorquēdo lucrum vſu-

vſurarum, etiam tenentur ad reſtitutionem. S.Antonin. vbi ſupra §. 14. Angel. Syluest. Sot.& alij. Serui autem alij: qui ſolum pecuniam portant, aut nudum ſeruitium præſtant non tenentur.

*Quinta Concluſio.* Tutores, aut curatores, ſi nomine pupillorum vſuras exercent, extorquent, aut recipiunt, tenentur etiam ad earundẽ reſtitutionem. Quia ſicuti quis prohibetur malum facere nomine ſuo: ita etiam alieno d.46.c.Sicut non ſuo, & ſic DD. allegati & alij communiter ſentiunt.

*Sexta Concluſio.* De Iudicibus, qui vſurarijs vſuras adiudicant: aut requiſiti ad reſtitutionem earundem non compellunt idem eſt iudicium, cap.Michael. & c. Poſt miſerabilem eod.tit. Gabr.Medina, Nauarr. & alij loc.allegatis.

*Septima Concluſio.* Procuratores & aduocati, qui patrocinium præſtant ad exactionẽ vſurarum, vel impediunt repetentem, ne vſuras petitas conſequatur, etiam tenentur ad reſtitutionem. Ratio ſumitur ex prima concluſione generali. Syluester, Medina, Nauar.& alij.

*Octaua Concluſio.* Notarij, ſiue ſcribæ auctoritate publica conſtituti, ita vt eorum inſtrumenta, & ſcripturæ fidem faciant, ſi ſcienter in inſtrumentis ſuis, aut ſcripturis palliant vſuras, vtpote ſcribunt, quod

ſit;

ſit contractus venditionis, vbi eſt mutui: aut ponunt in inſtrumento quod Petrus Ioanni mutuo dedit 100. poſt annum reſtituendos, cum ſciat niſi 90. dediſſe, vt in fine anni pro 90. accipiat 10. pro vſuris, tenentur etiam ad reſtitutionem eorum omnium, quæ virtute talium inſtrumentorum exiguntur. Et notarius etiam ſcienter cōficiens inſtrumētum de contractu vſurario communiter fit periurus, quoniam ſolent iurare, quod non facient, in principio, quando creantur. vt docet Panormit. ab alij, receptus in cap. Sicut. Ne clerici vel monachi, & ſtylus multorum locorum obſeruat. Si autē notarius, aut ſcriba ſcribit in veritate, vt res contigit, & contractus celebratus fuit, nō peccat, nec tenetur ad reſtitutionem, dummodo ſciens non ſcribat contra iuramentum factum, vt dictum eſt. Cauſa autem quare non teneatur ad reſtitutionem, quando verum inſtrumentum facit etiamſi contineat vſuram, eſt, quia talis ſcriptura ex ſua natura nō dat cauſam efficacem exactioni, aut extorſioni vſurarum, aut non repetitioni, ſed eſt velut teſtimonium veritatis, tam pro commodo recipientis, quam dantis mutuum. Nec vſurarius poteſt virtute talis ſcripturæ debitorē cogere ad ſolutionem vſurarum, niſi conueniendo coram competenti iudice, qui viſo inſtrumento abſoluet debitorem à ſolutione

tione vſurarum, niſi cæcus conſcientia & intellectu ſit. Alia tamen ratio eſt, ſi tales ſcripturæ fierent in loco, vbi eſſet abuſus, aut iniquum ſtatutum, quod vigore mutui debitor obligaretur ad ſolutionem vſurarum. De materia huius concluſionis tractant S. Antonin. loc. cit. §. 6. Angelus in verb. Reſtitutio 1. Sylueſt. in verb. Vſura 7. q. 7. Nauarr. in d. c. 17. num. 276. Ioan. Medina vbi ſupra, & alij alibi. Quod de notario dictum, idem de teſtibus ſtatuitur. Quia inſtrumenta ſine teſtibus non merentur fidem in iudicio.

*Nona Concluſio.* Prælati, qui ſubſcribunt cum ſcientia literis continentibus contractus vſurarios: aut ſigillando auctoritatem præſtant: ita vt tales literæ efficaces ſint ad extorquendum vſuram, tenentur ad reſtitutionem omnium vſurarum, quæ virtute talium literarum extorquentur: aut in iudicio repeti non valent: S. Antonin. vbi ſupra §. 7. Angel. loco cit. Goffrid. & Hoſtien. ab eo citati, Sylueſt. verb. Vſura 7. qu. 8. & alij. Concluſionis probatio etiam liquida ex prima generali.

*Decima Concluſio.* Domini in terris ſuis concedentes, aut per ſtatuta facultatem auctoritatemq; Iudæis: aut alijs vſurarijs conferentes, vt vſuram exercere & exigere valeant, etiam tenentur ad reſtitutionem vſurarum, quas tales extorquent. Dictum (fa-

cultatem & auctoritatem conferentes) quia alia eſt ratio, quando ſolum tolerant, & ſimpliciter permittunt, vt infra dicetur. Concluſio patet ex dictis.

*Vndecima Concluſio.* Omnes dictæ concluſiones intelligendæ, quod nominatæ perſonæ teneãtur ad reſtitutionem, quando principalis non eſt ſoluendo, aut non reſtituit: ſi autem principalis, qui vſurarium lucrum recepit, reſtituat: Cum iam damnum per illũ reparetur, non tranſit obligatio in alios cooperatores, niſi fortè ad eos aliquid peruenerit de vſurario lucro.

## VRBANVS III.

*Mutuans ea mente, vt vltra ſortem aliquid recipiat: tenetur in foro animæ ad illud reſtituendum: ſi ex hoc aliquid conſecutus eſt. Idem in non dante parabolam iuramenti: niſi aliquid inde recipiat. Et idem in vendente rem plus, quam valeat: quia ſolutionem differt.*

## CAP. X.

CONSVLVIT *nos tua deuotio; an ille in iudicio animarum, quaſi vſurarius debeat iudicari: qui non aliâs mutuo traditurus, eo propo-*

*ſito mutuam pecuniam credit: vt licet omni conuentione ceſſante, plus tamen ſorte recipiat. Et vtrum eodem reatu criminis inuoluatur: qui vt vulgo dicitur non aliter parabolam iuramenti concedit, donec (quamuis ſine exactione) emolumentum aliquod inde percipiat. Et an negociator pœna conſimili debeat condemnari, qui merces ſuas longe maiori pretio diſtrahit, ſi ad ſolutionem faciẽdam prolixioris temporis dilatio prorogaretur, quam ſi ei in continenti pretium perſoluatur. Verum quia quid in his caſibus tenendum ſit, ex Euangelio Lucæ manifeſtè cognoſcitur: in quo dicitur. Date mutuum, nihil inde ſperantes. Huiuſmodi homines pro intentione lucri, quam habent (cum omnis vſura & ſuperabundantia prohibeatur in lege) iudicandi ſunt malè agere; & ad ea, quæ taliter ſunt accepta reſtituenda: in animarum iudicio efficaciter inducendi.*

Pro capituli intelligentia notãdum cum Gloſſ. & DD. quod tres caſus hic Pontifici proponuntur. Primus. Aliquis mutuat pecuniã ſine pacto, eo tamen animo, vt aliquid vltra ſortẽ recipiat, & niſi ſperaret ſe aliquid accepturum, non mutuaret, quæritur, an talis in foro conſcientiæ, iudicandus ſit vſurarius. Secundus. Aliquis mutuauit pecuniam ad certum terminum, quo adueniente creditor non vult dare parabolam, donec aliquod commodum recipiat; non tamen petit: aut exigit aliquid à debitore, quæſtio eſt,

an talis etiã inuoluatur crimine vſuræ. Tertius caſus. Quid ſi negociator vendit merces ſuas longe maiori pretio propter dilatam ſolutionem; quam ſi pretium ſtatim ſolueretur, quæritur, an talis eadem pœna debeat condemnari. Reſpondet Pontifex ex illo Lucæ 6. Mutuum date, nihil inde ſperantes, ad propoſitos caſus, quod tales in iudicio animæ ſint iudicandi vſurarij, & inducẽdi ad reſtitutionem eorum, quæ ſic acceperunt.

Pro literæ declaratione aduertendum, quod parabola iuramenti in canone dicitur, quando aliquis tenebatur debitum ſoluere creditori in aliquo termino præſcripto, idque virtute iuramenti præſtiti: adueniente termino, quia non erat ſoluendo, petebat prorogationem termini, quem creditor prorogare nolebat, niſi aliquid daret, nõ tamen ex pacto, prorogatio talis termini vulgo dicebatur pro conſuetudine patriæ, parabola iuramenti. Hinc infertur ſecundùm communem Doctorum ſententiam, quod eſt vſura aliquid recipere propter prorogationem termini, quando debitor non eſt ſoluendo, niſi id fiat ratione damni emergentis, aut lucri ceſſantis: & tunc videndum, an ſeruentur conditiones intereſſe.

QVÆ-

## QVÆSTIO. I.

*An vſura mentalis obliget in conſcientia ad reſtitutionem?*

QVæſtio hæc ſolemnis eſt apud Doctores propter hoc capitulum, Conſuluit. Duæ ſunt Doctorum celebres ſententiæ. Vna eſt affirmans, S. Antonin. 2. part. titul. 1. cap. 7. §. 35. qui dicit, quod contraria opinio, quam attribuit Alexandro Lombardo & Scoto non ſit tenenda. Quia periculoſa animæ, cum iura & rationes & Doctores quaſi omnes Theologi & Canoniſtæ ſint contra talẽ opinionem. Adriani in 4. Sent. in tract. de vſura. Innocent. Panorm. Ioan. ab Anan. & aliorum in hoc cap. Ioan. And. in reg. Peccatum de reg. iur. in 6. Gloſſ. in cap. fin. de Simonia Cardin. Zabarellæ in Clem. 1. de vſur. q. 24. & 25. Laurentij à Ropulphis in 2. part. huius cap. q. 3. Alexand. in conſ. 96. incipien. Repetitus in cauſa. lib. 6. Guid. Papę in tract. de vſur. num. 15. Ancha. in reg. Peccati venia col. 6. q. 1. in 6. & aliorum alibi. Alia eſt negãs opinio quæ aſſerit vſurarium mentalem nõ teneri ad reſtitutionẽ: hæc attribuitur Scoto in 4. d. 15. q. 2. arti. 2. Richardo ibidem art. 5. q. 5. Angel. in verb. Reſtitutio 1. verſi. Vſurarius mentalis vtrum teneatur. Gabr. in 4. d. 15. q. 2. artic. 2. dub. penult. Sylueſt. in verb. Vſura 6. q. 3. Anton. Butr. in conſ. 17. incip.

occurrentibus. Bald. in L. penult. ff. de conditio. ob turpem cauſ. Alex. in L. Si non ſortem §. 1. ff. de condict. indeb. & hanc opinionem magis communem eſſe Theologorum ait Molin. de commerc. num. 6. in qua re tamen decipitur vt patet ex teſtimonio D. Antonini.

Deinde aduertendum id, quod in Rubr. notabil. 11. ſignificatum, quod per vſuram mentalẽ, quando agitur de reſtitutione non intelligitur peccatum vſuræ purè mentale, ſed lucrum principaliter intẽtum cauſa mutui ſine pacto tacito & expreſſo.

*Prima Concluſio.* Non ſpes ſecundaria, ſed principalis & primaria conſequendi aliquid ex mutuo conſtituit aliquem vſurarium. Contra ſingularem opinionem Dominici Soti lib. 6. de iuſtit. & iure q. 1. artic. 2. & 4. vt egregiè contra eundem probat Martinus Nauarr. in comment. de vſur. à numer. 19. In primis hæc concluſ. eſt Gloſſæ & Innocent. in hoc cap. quos ſequuntur Theologi & Canoniſtæ: & hæc eſt cõmunis ſententia vt auctores ſunt Couar. lib. 1. variar. reſol. cap. vlt. num. 4. & Nauar. Secundo probatur à ſimili ca. Si officia 59. d. & c. Quid prodeſt 61. d. per quæ DD. & Gloſſæ tradunt licitum eſſe ſeruire prælato Eccleſię cum ſpe minus principali obtinendi aliquod beneficium, licet nõ cũ principali & primaria. His accedit, quod

licitum

licitum eſt frequentare diuina officia & horas canonicas minus principaliter propter quotidianas diſtributiones iuxta Gloſſam communiter receptam cap. 1. de cleric. non reſidentib. in 6. Adde quod etiam licitum eſt Deo minus principaliter inſeruire propter remunerationem iuxta illud Pſalmi. Inclinaui cor meum ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas propter retributionem. Non tamen rectum eſt principaliter talem finem intendere. Sotus autem vult ſpem etiam minus principalem conſequendi aliquid ob mutuum reddere vſurarium. Communis autem opinio, quod tantum ſpes principalis: pro cuius explicatione, cum non careat ſua difficultate, notandum cum Caietan. tomo 2. tract. 8. q. 2. & 3. Ioan. Medin. in q. 1. C. de reb. par vſur. acq. Couar. loc. cit. & Nauar. quod lucrum ſperatum duplici modo poteſt eſſe cauſa mutui. Vno modo finalis, ita quod principaliter in agente actu conſideretur, ipſumque præcipuè moueat ad agendũ, & ab eodem intendatur. Licet enim cauſa finalis vltima ſit in executione, eſt tamen prima in intentione. Alio modo impulſiua, quæ non principaliter intenditur, mouet tamen etiam & impellit aliquo modo ad agendum, & eſt quaſi cauſa ſine qua non fieret actus, præparationemque quandam dat actui. Ex quibus infero cum Couar. non eſſe

*Pſal. 118.*

firmam ſolidamque in argumentando collectionem. Hoc non contingente actus non fieret, ergo hoc quod modo contigit eſt cauſa finalis, aut principalis huius actus. Sicut nec iſta illatio valet: hoc remoto, non agerem iſtum actum, ergo hoc eſt cauſa finalis actus, poteſt enim eſſe cauſa impulſiua. Hinc intelligitur, quomodo multi actus fiat principaliter, aut minus principaliter ob aliquid. Ad propoſitum noſtrum ſubtilius & quidẽ latius explicat Medina in hunc modum. Lucrum ſperatum dicitur cauſa finalis, quando mutuatio fit propter lucrum ipſum, ex cuius effectu procedit ipſa mutuatio, & hoc dicitur lucrum intentum, & non ſolum ſperatum. Aliud enim eſt intendere, aliud ſperare. Multa ſperamus euentura, non tamen intendimus, quando ſcilicet non ideo aliquid operamur, vt illa eueniant, quamuis ſciamus, & credamus ex noſtro opere illa eſſe euentura. Et lucrum taliter intentum, tanquam finis concupitus & ſperatus vitiat mutuationem & reddit eam vſurariam, & eſt cauſa principalis ipſius mutuationis: Cum tale lucrum principaliter finaliterque ſit intentum. Eſt autem lucrum ſperatum cauſa impulſiua ipſius mutuationis & non finalis, quando lucrum huiuſmodi ex gratitudine, beneuolentiaque mutuatarij ſperatum mouet mutuantem ad illi mutuandum: qualiter

ter non moueretur, ſi ſciret mutuatarium fore ingratum, & hoc fieri poteſt abſq; hoc, quod effectus mutuantis tendat in lucrum, & hoc modo lucrum eſt cauſa impulſiua, & ſine qua non. Subtilia quidem ſunt hæc & ſimilia in ſpeculatione, ſed periculoſa in praxi. Nouimus enim omnes tum ex ſacris literis & Doctoribus, tum experientia, quomodo iniquitas ſępe in effectibus pręſertim eis, qui ſpectant ad cupiditatem radicem omnium malorum, concupiſcentiam oculorũ, & ſuperbiam vitæ, ſibi mentiatur, & pauci qui pecunijs negociantur, ac abundant, tam claram habent conſcientiam, vt diſtinguant, quomodo lucrum intendant, cum ſæpe vbi eorum eſt theſaurus, ſit etiam cor. Lucri odor, cum ſuauiſſimus ſit omnibus, qui pecunijs inhiant, nec norunt affectibus dominari primo loco ſe offert. Hanc doctrinam Theologi poſteriores, altius perſcrutati ſunt ad intelligentiam. Gloſſ. in hoc capit. in verbo Sperantes, quando vult mutuantem pecuniam principali cauſa ob amicitiā alterius, & vt ei indigenti ſubueniat, minus tamen principali ratione ob ſpem conceptam conſequendi aliquid vltra ſortem à debitore non committere nec mentalem vſuram, etiamſi non concepta tali ſpe non fuiſſet mutuaturus. Gloſſam DD. ibidem ſequuntur.



Digitized by Google

*Secunda Concluſio.* Mutuatio vſuraria mentalis nullam inducit reſtitutionis obligationem, quam diu nihil acquiritur per eam. Quia vbi nihil iniuſtè acquiſitum, ibi nõ eſt locus reſtitutioni. Aliter tamen ſentiẽdum, quantum ad rationem peccati.

*Tertia Concluſio.* Mutuans proximo, ſi prauam ſuam mentem indirectè quouis modo exterius ſignificet, exempli gratia, dicendo, mutuo tibi eo modo, quo ſoleo alijs, quando alijs non mutuat niſi ſub vſuris: vel vt te geras, more aliorum, qui aliquid ſolent dare, &c. non mentalem, ſed realem vſuram committit, & ideo tenetur ad reſtitutionem eius, quod ſic recipit: & probatur. Vſura realis eſt, quando pactum intercedit. Sed in caſu huius concluſionis pactum intercedit tacitum, quod ad hunc effectum tantum operatur, quantum expreſſum; Ergo eſt vſura realis, & ex conſequenti obligat ad reſtitututionem eius, quod ſic acquiritur, & fundatur etiam in hoc c. Conc. vbi in primo caſu vſurarius mentalis etiam ſecernitur ab illo, qui ſigno mentem expreſſit in ſecundo, vtpote quia parabolã iuramenti noluit concedere, niſi aliquod emolumentum conſequeretur.

*Quarta Concluſio.* Quando mens mutuantis praua eſt, ita vt velit aliquid vltra ſortem ratione mutuationis, & accipiens mutuum, dat

dat pro mutuatione, vſura mentalis cõmittitur etiam ſi nulla conuentio intercedat, & tale lucrum eſt obnoxium reſtitutioni. Probatur ex hoc cap. quod propriè in hoc caſu intelligitur, vt teſtantur Angel. in verb. Reſtitutio 1. Caiet. 2. 2. q. 78. art. 1. & alij, & liquidum eſt ex definitione vſuræ. Vſura eſt in qua ratione mutui vltra ſortem principaliter lucrum intenditur: Sed in caſu huius cõcluſionis id verum eſt. Quod etiam obnoxium ſit reſtitutioni patet. Illud lucrum eſt vſura acquiſitum & contra iuſtitiam; ergo reſtituendum: & idem probatur ex auctoritate Lucæ 6. hic inducta, vbi lucrum vſurarium prohibetur, vt conſtat ex allegatione eiuſdem, & ſecundum hanc concluſionem procedit optimè communis opinio Innocẽtij & aliorum, & in hac communiter DD. conueniunt.

*Quinta Concluſio.* Quando mutuator recipit vltra ſortem ab eo cui mutuum dedit, quod putat ſibi gratis ex liberalitate datum, mutuatarius autem dedit ratione mutui, non peccat, nec tenetur ad vllam reſtitutionem, quam diu bona fide putat ſibi gratis datum. Quam primum autem cognouerit, aut rationabiliter prẹſumpſerit ratione mutui tanquam debitum ſibi perſolutũ, tenebitur ſic acceptũ mutuatario reſtituere; ſi adhuc poſſidet, nec durante bona fide cõſumptum

ptum ſit: aut id in quo ditior factus Conrar. q.29. Sylueſt. in verb. vſura 6. q. 4. qui alios ad hoc allegat. Caiet. Medin. Sot & alij. Ratio, quam diu bona fide gratis ſibi datum exiſtimat, tam à peccato, quam obligatione reſtituendi, cum bono titulo poſſideat excuſatur. Tenetur autem ad reſtitutionem poſtquam cognouerit mutuatarium ratione mutui dediſſe, quia tunc cognoſcit non fuiſſe gratuitam donationem, nec iuſtam accepti translationem. Tenetur autem ad reſtitutionem eius tantum quod poſſidet, & in quo factus eſt ditior: Quia talis obligatio non naſcitur ratione acceptionis, ſed rei acceptæ: Bona enim fide & recta intentione accepit, exiſtimans beneuolentię ergo datum.

*Sexta Concluſio.* Quando mutuatarius dat aliquid gratis vltra ſortem ex beneuolentia: mutuator autem accipit tanquam ſibi debitum ratione mutui, problema eſſe poſſit, an tum teneatur ad reſtitutionem. Pro vtraque parte ſunt DD. & militat ratio. Conrard. q. 29. concl. 3. Tertio caſu. Medina in d. C. q. 4. in ſecundo argumento. Hoſtien. & Panorm. in hoc cap. & Gloſſ. in ca. fin. de Simonia exiſtimant, quod niſi prauam intentionem mutet & corrigat affectum, ita vt tanquam donatum accipiat, ad reſtitutionem teneatur. Quia ſi non ratione donationis illud accipit,

cipit,aut retinet, ſed propter mutuum quaſi debitum, non videtur donationem acceptare, ratione cuius ſolum erat ſibi licitum illud accipere & retinere. Igitur tenetur ipſi donanti reſtituere, eo quod donatio non ſit perfecta, cum non ſit acceptata per donatarium, vt præſupponitur. Sotus in q.d.articu. 4. & alij, tenent quod non teneatur ad reſtitutionem. Quia reſtituēdi obligatio ex nulla alia cauſa naſcitur, quam ex damno alteri dato. Ergo quando mutuatarius ex beneuolentia quidpiam dat alteri, ei non fit iniuria, nec damnum: Ergo qui accipit non tenetur reſtituere: Alias omnis donatio obligaret ad reſtitutionem. Ad idem facit, quod illud reſtituendum, quod inuito Domino retinetur. At in præſenti caſu nihil inuito Domino tenetur: Cum propria voluntate per donationem liberam tranſtulerit. Plures Doctores pro vtraque partis huius problematis allegaui in principio quæſtionis, & in caſu huius concluſionis intelligenda quæſtio principalis.

*Dubium hic eſſe poteſt.* Cui talis vſurarius mentalis teneatur reſtituere. An pauperibus, vel ei qui dedit. Quidam vt meminit S. Antonin.2.part.titu.1.cap.7.§.36. tenent talem reſtitutionem faciendam pauperibus. Quia qui dedit, donando liberè tranſtulit. Hæc opinio tribuitur cuidam Rainerio in ſumma

ſumma tit. de vſur.&eandem opinionem tenent Iacob.Almani in 4.ſentent. d.15.q.2.ac Caiet.2.2.q.87.artic.1.Alij vero vt S. Anton. Medin. Couarr. & alij communiter tenent, quod reſtitutio ei facienda qui dedit , quia hæc reſtitutio faciēda in vſura eſt ratione iniuſtę acceptionis,quę damnum proximo intulit. Is autem damnum paſſus, qui dedit, & hoc vt ait S. Anton. ſonat nomen reſtitutionis. Dicitur enim reſtituere rem in ſtatū priſtinū ſtatuere,quod fit dum redditur ei, à quo data eſt. 14.q.6. can. Si res. Rationem longiorem ad probationem huius rei facit Didac.in Relectione regulæ peccatū de reg. iuris in 6.2.part.in initio nume.6.

*Septima Concluſio.* Mutuans alteri ſpe aliquid conſequendi vltra ſortem ex beneuolentia &gratitudine mutuatarij,non cōmittit vſuram mentalem,nec tenetur ad reſtitutionem eius,quod ſic recipit. S.Thom. in q. de malo q. 13. artic. vltimo ad 13. & 2.2.q.78. artic.2.ad 3.Caiet. in d.tractat.8.q.2.& 3.Sot. lib.6.q.artic.2.Nauar.in d.comm. nume. 21. & alij alibi. Ratio etiam clara eſt. Mutuans per hoc, quod mutuat non fit peioris conditionis, quam ſi non mutuaſſet. At ſi non mutuaſſet licuiſſet ſibi ex alterius beneuolētia ſperare donum, & potuiſſet oblatum recipere. Quod autem mutuatarius excitetur ad gratitudinem ob beneficium mutui, & mutuans

mutuans ſperet eum gratum fore, nec ſit extra caſum neceſſitatis ita promptus ad mutuandum ingrato, ſicut grato, ſunt mala, cũ ex mera liberalitate pendeant, atque ad ea natura & ipſum beneficium incitent.

*Dubium hic eſſe poteſt.* An liceat alicui mutuo dare regi aut principi, vel magno Domino, vt gratiam ipſius conſequatur, & mediante gratia ſiue beneuolẽtia aliquod officium, aut commodum temporale. Conrard. de contractib. q. 29. concluſione 2. Dicit ex Ariſtotele 7. & 9. Ethico. quod ſint tres ſpecies amicitiæ. Honeſta, vtilis, & delectabilis. Amicitia honeſta eſt virtus, nec æſtimabilis pecunia. Amicitia autem vtilis eſt æſtimabilis pecunia, ſicut alia humana vtilitas nec eſt virtus, & ideo propter talem amicitiam mutuare principaliter, eſt peccatum vſuræ non ſic de amicitia honeſta. Reſpondetur ſimpliciter, ſi quis principaliter & finaliter mutuaret tali ſpe vt amicitiam & beneuolentiam mutuando conſequeretur, & ea mediante aliquod temporale commodum, eſſet vſurarius; in ea enim ſpe maior eſt cura de temporali quam de beneuolentia, & beneuolentia ordinatur in temporale tanquam in finem. Sic Conrardus d. concluſ. Sylueſt. in verb. vſura 1. quæſt. 5. Ioſeph. Angel. in floribus Theolog. qq. in 2. part. in 4. Sentent. in tract. de contractu mutui articul. 2. & alij alibi.

alibi. Licitum autem eſt ſpe ſecundaria ita mutuare.

*Aliud dubium.* Cõtra prædicta fortiſſimum videtur argumentum ex ca. Mandato, quod eſt vltimũ de Simonia. Vbi declaratur, quod Simoniacus mentalis non teneatur ad reſtitutionem. His verbis.

*Mandato noſtro recepto: vt cum Monachis qui per Simoniã dato aliquo, locum in Monaſterijs ſunt adepti ſecundùm conſtitutionem generalis concilij diſpenſares: & primum Conſultationi tuæ breuiter reſpondentes dicimus mandatum Apoſtolicum etiam ab Abbates extendi. Et ad reſignationes ſpiritualium & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente: vtrinq; taliter acquiruntur: in quo caſu delinquentibus ſufficit per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori: Eos pro Simonia huiuſmodi non teneri.* Cap. eſt Gregorij Noni. In hoc autem cap. Conſuluit, text. cum Glo. & DD. volunt, quod vſurarius mentalis teneatur ad reſtitutionem. Qui negant etiam vſurarium mentalem teneri ad reſtitutionẽ non torquentur hac difficultate, quæ quærit quare Simoniacus mentalis non teneatur ad reſtitutionem, & Vſurarius mentalis teneatur. Varij ſunt DD. in aſſignanda ratione diuerſitatis, vt liquidum eſt apud Panor. Cardinal. Anton. Butrium, & alios in d. cap. Mandato.

Prima opinio poteſt attribui Hoſtienſi in d.

in d.cap.Mandato,quod hæc diuerſitatis ratio, quia vſura eſt prohibita vtroque teſtamento,nec Papa in eo diſpenſare poteſt.Sed Simonia in beneficio eſt prohibita ex ſola conſtitutione Eccleſiæ & in ea Papa diſpenſat.Sed hæc ſolutio parum ſubſiſtere poteſt. Primum quia Pontifex loquitur de Simonia de iure diuino prohibita, ſcilicet quæ committitur pro religionis ſtatu. Diuino namq; iure reprobatur venditio ſtatus religionis, cum omnino ſit ſpiritualis, & extra ſtatum rerum, quæ ſub contractus merè humanos cadunt. Deinde etiam nimis reſtringit ſine ratione hæc ſententia textũ.His addi poteſt, quod in antiquo teſtamẽto etiam Giezi cõmiſit Simoniam,& ideo percuſſus lepra. 1.q. 1.c.Cito turpem,&in nouo teſtamento,gratis date,gratis accepiſtis.

Secunda opinio poteſt eſſe Ioan.Andreę, quod magis vulneratur bonum charitatis in vſura mentali, quam in Simonia. Deinde in vſura ſola mens vſurarij eſt deprauata, exigentis videlicet aliquid vltra ſortem, non autem ſoluentis, ideo ei debet fieri reſtitutio. In Simonia autem vtriuſque animus eſt corruptus: cum tam emi,quam vendi ſpiritualia ſit prohibitum. Sed hæc reſponſio etiam non inſeruit ad propoſitum. In primis, cum Simonia deteſtabilius ſit peccatum, quam vſura, magis lædit bonum charitatis:

quia maius peccatum maius vulnerat. Deinde mens deprauata nemini debet ſuffragari: Ergo cum in Simonia ſecundum opinionem dictam mẽs vtriuſque ſit corrupta, multo minus debet acquiri dominiũ, quam in Simonia, vbi corruptio tantum eſt ex vna parte.

Tertia ſententia aliorum, vt refert Panormit. qui dixerunt quod in Simonia non ſit reſtitutio, quia concernit actum exteriorem & venditionem, ſed vſura cõcernit animam iuxta illud Euangelicum. Mutuum dantes nihil inde ſperantes. Sed hæc ratio valdè infirma, vt etiam innuit Ioan. Andr. quia non redditur ratio, quare vſura magis concernat animam, quam Simonia, cum potius contrarium dici debeat, eo quod Simonia grauius peccatum ſit.

Quarta Panormitani, qui cum oſtendiſſet aliorum rationes non eſſe ſatis efficaces, dicit non malè poſſe reddi rationem, illud inductum eſſe in odium vſurarum, quia ſi hoc eſſet permiſſum daretur ſæpè materia figmentis, vt ſine pacto ſoluerent vſuras. Vel vt reſtringatur hoc ca. de Simonia ad Simoniam prohibitam ex conſtitutione Eccleſiæ: vel vt intelligatur in effectu, & ſpe ſecundaria, &non ptimaria & hoc putat tutius tenẽdum, vt vbi intentio fuit principalis immineat reſtitutio. Hæc Panormitanus. Prima

ratio

ratio ab eo aſſignata parum vrget, cum maius odium ſit Simoniæ, quam vſuræ, cum Simonia grauius & peius ſit peccatum, quam vſura. Deinde Pontifex in d. capit. de Simonia non inducit ius nouum, ſed id quod iuris eſt declarat, vt patet. Secunda etiam ratio confutatur eo modo, quo ratio ſecundæ opinionis reiecta eſt. Poſtrema, quam alijs tutiorem exiſtimat, præſupponit falſum, vt rectè indicat Nauarr. in Manuali confeſſariorum capit. 23. numero 103. videlicet, quod capit. loquatur, de illo, qui non dat, vel facit temporale principaliter pro ſpirituali, ſed minus principaliter & ſecundario. Quia illud cap. agit de Simonia, quæ eſt peccatum mortale, tale autem nõ eſt facere aliquid minus principaliter & ſecundario pro ſpirituali.

Quinta eſt Adriani in 4. de Reſtitut. §. Aggredior caſus ſpeciales, verſ. Ad rationes ante oppoſitum, qui ſuo iudicio, vt ait videtur ſibi deprehendiſſe magis probabilem rationem diuerſitatis, nempe quod reſtitutio ſimoniacè acquiſitorum fieri debeat Eccleſiæ, quæ in hoc facultatem habet ius ſuum remittendi, ſed reſtitutio vſurarum debita eſt perſonis priuatis, à quibus vſuræ fuerunt extortæ: quam obligationem neque etiam Eccleſia vniuerſalis ſine illorum aſſenſu remittere poteſt. Hæc

ſolutio etiam Adriani infirma: quia Pontifex in d.c. fin. nullam facit remiſſionem, aut diſpenſationem, ſed tantum de iure interrogatus reſpondet, & dicit propter Simoniam affectu animi conceptam nõ teneri aliquos ad reſignationem temporalium & ſpiritualium, ſed ſufficere delinquẽtibus, vt per pœnitentiam creatori ſatisfaciant.

Sexta eſt Ioan. Medinæ, in C. de reb. per vſur.acq.q.4.in 2.arg.principali, quod ſicut vſura mentalis in iudicio animarum ſiue foro conſcientiæ reſtitutionem inducit, vt ca. Conſuluit ait: Ita & Simonia mentalis cæteris paribus, nec eſt diſcrimen inter hæc aſſignandum. Ad text. autem, qui videntur contrarij dicendum, quod ca. Conſuluit, procedit in foro conſcientiæ vt ex ipſo conſtat. ca. autem fin. de Simonia locum habet in foro exteriori in quo nõ tenentur ſimoniaci mẽtales ad reſignationes beneficiorum, & reſtitutiones temporalium, & ita nulla repugnãtia videtur. Hæc reſponſio etiam non eſt ad mentem canonis. Nam ille loquitur etiam de foro conſcientiæ, cũ expreſſe dicat, quod in caſu vſuræ mentalis delinquentibus ſufficiat per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori, nec ad illud pro Simonia huiuſmodi teneri, puta vel ad reſignationem aut reſtitutionem. Ergo hæc reſolutio etiam non facit ad propoſitum.

Septi-

Septima eſt Caietani 2.2.q.100. art. 6. cui adhærent Franciſcus Victoria in 2. parte numer. 4. Relectionis de Simonia,& Nauarr. in Manuali confeſſ. cap.23. nume. 103. quod qui vſuram ſoluit non ſponte, ſed inuitus & inuoluntarius dat, redimendo vexationem, & ſic eſt ibi voluntarium miſtum inuoluntario & patet ex 3. Ethicor. Quod autem datur ſimoniaco mentali, datur voluntariè, quoniam datur animo emendi, vel vendendi. Emptio autem & venditio contractus ſunt voluntarij abſq; inuoluntario miſto, vt ex 5. Ethico. habes. Tota ergo ratio differentiæ in hoc ſtat, quod datum in vſura inuoluntarium eſt, & ideo reſtituendum. In Simonia autem voluntariè datum, & ea de cauſa nulli reſtitutioni obnoxium. Dominicus Sot. lib.9. de iuſtitia & iure quæſt.8. artic. 1. ad 6. inſtat contra hanc Caietani ſententiam. Perinde Simoniacus inuoluntariè dat pro beneficio pretium, atque ille, qui accipit ad vſuras: ſiquidem ſimoniacè accipiens beneficium mallet gratis accipere, & dat etiam redimendo aliquo modo vexationem, ſi modo Caietani loqui velimus, ſi enim ei conferretur, eo modo quo debet, nullo modo vellet pecuniam dare, ideo etiam inuoluntarium cum voluntario videtur miſceri in Simonia, vt experientia omnibus compertiſſimum eſſe videtur. Nullus enim, vt

facilè creditur, in mundo reperitur tam malus Eccleſiaſticus, qui ſi ſperaret, quod gratis beneficium conſequeretur, non offerret voluntariè pecuniam. Nauarrus contra Soti obiectionem defendit Caietanum in hũc modum. Ad hoc, vt conſenſus dantis impediat reſtitutionem, non ſufficit, quod mallet habere gratis, quam pretio: quoniam alioqui etiam omnis venditor teneretur reſtituere pretium ementi, ſed ſufficit conſenſus præſtitus via contractus approbati: Et quod datur per viam Simoniæ, datur per viam commutationis, quæ de ſe iure probatur: non autem quod datur per viam vſuræ. Hæc Nauarri defenſio ſua non caret difficultate, præſertim ſi ſua dicta accommodamus præſenti textui, vbi etiam ſecundum ipſum Caietanum loquitur Pontifex de ſtatu religionis, qui neutiquam poteſt cadere ſub commercia rerum temporalium. Falſum igitur omnino videtur ſtando in determinatione Pontificis, quod id quod hic datur, datur per viam commutationis, quæ de iure probetur. Nemo enim tam ſimplex eſt, qui neſciat contractum emptionis & venditionis in genere eſſe licitum: aut ignoret emptionem aut venditionem ſtatus perfectionis eſſe illicitam & iniuſtam. Alia autem ratio in via Caietani, ſi loquamur in genere

de

de beneficio, aut præbenda Eccleſiaſtica,nõ applicando textui fin. de Simonia, quia Caietano viſum eſt, vt etiam meminit Sotus quod prębenda ſuapte natura pretio ſit æſtimabilis: quod tamen ſecundum dicta neutiquam cõcedere poterit de ſtatu religionis, de quo in d.c. fin.

Octaua poteſt attribui Nauar. loco citat. quam nouam putat, & efficaciorem præcedenti,quæ à Caietano in primis inuenta, & eſt hæc quod vſura bene ſoluitur, & malè recipitur. Nam vſuram ſoluere non eſt peccatum cap. Debitores, de iureiurando,recipere autem ſic cap. Quoniam de vſur.& qui malè recepit ab eo, qui bene dat, tenetur id reſtituere danti cap. Non ſanè, cum Gloſſ. 14. quæſtion. 5. At qui per Simoniam mentalem accipit ab eo, qui malè dat, bene ſuſcipit ob ignorantiam malæ intentionis: aut ſaltem accipit à malè dante: & conſequenter nemini tenetur illud reſtituere, ſaltem ſi præſtet id propter quod datum eſt, &c. Hæc ratio etiam non caret ſua difficultate.

Nona ratio diuerſitatis eſſe poteſt, quæ & vera & lepida eſt Ioannes ab Anania in fine dict. capit. fina. Quia reperitur iure diuino & humano cautum, quod nihil debeat ſperari ex mutuo. At non ſic in Simonia. Si quis petat eius rei rationem,

ſumma tit. de vſur.&eandem opinionem tenent Iacob. Almani in 4.ſentent. d.15.q.2.ac Caiet.2.2.q.87.artic.1. Alij vero vt S. Anton. Medin. Couarr. & alij communiter tenent, quod reſtitutio ei facienda qui dedit, quia hæc reſtitutio faciẽda in vſura eſt ratione iniuſtę acceptionis,quę damnum proximo intulit. Is autem damnum paſſus, qui dedit, & hoc vt ait S. Anton. ſonat nomen reſtitutionis. Dicitur enim reſtituere rem in ſtatũ priſtinũ ſtatuere,quod fit dum redditur ei, à quo data eſt. 14.q.6. can. Si res. Rationem longiorem ad probationem huius rei facit Didac.in Relectione regulæ peccatũ de reg. iuris in 6.2.part.in initio nume.6.

*Septima Concluſio.* Mutuans alteri ſpe aliquid conſequendi vltra ſortem ex beneuolentia &gratitudine mutuatarij,non cõmittit vſuram mentalem,nec tenetur ad reſtitutionem eius,quod ſic recipit. S.Thom. in q. de malo q. 13. artic. vltimo ad 13. & 2.2.q.78. artic.2.ad 3.Caiet. in d.tractat.8.q.2.& 3.Sot. lib.6.q.artic.2.Nauar.in d.comm. nume. 21. & alij alibi. Ratio etiam clara eſt. Mutuans per hoc, quod mutuat non fit peioris conditionis, quam ſi non mutuaſſet. At ſi non mutuaſſet licuiſſet ſibi ex alterius beneuolẽtia ſperare donum, & potuiſſet oblatum recipere. Quod autem mutuatarius excitetur ad gratitudinem ob beneficium mutui, & mutuans

mutuans ſperet eum gratum fore, nec ſit extra caſum neceſſitatis ita promptus ad mutuandum ingrato, ſicut grato, ſunt mala, cũ ex mera liberalitate pendeant, atque ad ea natura & ipſum beneficium incitent.

*Dubium hic eſſe poteſt.* An liceat alicui mutuo dare regi aut principi, vel magno Domino, vt gratiam ipſius conſequatur, & mediante gratia ſiue beneuolẽtia aliquod officium, aut commodum temporale. Conrard. de contractib. q. 29. concluſione 2. Dicit ex Ariſtotele 7. & 9. Ethico. quod ſint tres ſpecies amicitiæ. Honeſta, vtilis, & delectabilis. Amicitia honeſta eſt virtus, nec æſtimabilis pecunia. Amicitia autem vtilis eſt æſtimabilis pecunia, ſicut alia humana vtilitas nec eſt virtus, & ideo propter talem amicitiam mutuare principaliter, eſt peccatum vſuræ non ſic de amicitia honeſta. Reſpondetur ſimpliciter, ſi quis principaliter & finaliter mutuaret tali ſpe vt amicitiam & beneuolentiam mutuando conſequeretur, & ea mediante aliquod temporale commodum, eſſet vſurarius; in ea enim ſpe maior eſt cura de temporali quam de beneuolentia, & beneuolentia ordinatur in temporale tanquam in finem. Sic Conrardus d. concluſ. Sylueſt. in verb. vſura 1. quæſt. 5. Ioſeph. Angel. in floribus Theolog. qq. in 2. part. in 4. Sentent. in tract. de contractu mutui articul. 2. & alij alibi.

alibi. Licitum autem eſt ſpe ſecundaria ita mutuare.

*Aliud dubium.* Cōtra prædicta fortiſſimum videtur argumentum ex ca. Mandato, quod eſt vltimū de Simonia. Vbi declaratur, quod Simoniacus mentalis non teneatur ad reſtitutionem. His verbis.

*Mandato noſtro recepto: vt cum Monachis qui per Simoniā dato aliquo, locum in Monaſterijs ſunt adepti ſecundùm conſtitutionem generalis concilij diſpenſares: & primum Conſultationi tuæ breuiter reſpondentes dicimus mandatum Apoſtolicum etiam ab Abbates extendi. Et ad reſignationes ſpiritualium & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente: vtrunq; taliter acquiruntur: in quo caſu delinquentibus ſufficit per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori: Eos pro Simonia huiuſmodi non teneri.* Cap. eſt Gregorij Noni. In hoc autem cap. Conſuluit, text. cum Glo. & DD. volunt, quod vſurarius mentalis teneatur ad reſtitutionem. Qui negant etiam vſurarium mentalem teneri ad reſtitutionē non torquentur hac difficultate, quæ quærit quare Simoniacus mentalis non teneatur ad reſtitutionem, & Vſurarius mentalis teneatur. Varij ſunt DD. in aſſignanda ratione diuerſitatis, vt liquidum eſt apud Panor. Cardinal. Anton. Butrium, & alios in d. cap. Mandato.

Prima opinio poteſt attribui Hoſtienſi in d.

in d.cap.Mandato,quod hæc diuerſitatis ratio, quia vſura eſt prohibita vtroque teſtamento,nec Papa in eo diſpenſare poteſt.Sed Simonia in beneficio eſt prohibita ex ſola conſtitutione Eccleſiæ & in ea Papa diſpenſat.Sed hæc ſolutio parum ſubſiſtere poteſt. Primum quia Pontifex loquitur de Simonia de iure diuino prohibita, ſcilicet quæ committitur pro religionis ſtatu. Diuino namq; iure reprobatur venditio ſtatus religionis, cum omnino ſit ſpiritualis, & extra ſtatum rerum, quæ ſub contractus merè humanos cadunt. Deinde etiam nimis reſtringit ſine ratione hæc ſententia textũ.His addi poteſt, quod in antiquo teſtamẽto etiam Giezi cõmiſit Simoniam,& ideo percuſſus lepra. 1.q. 1.c.Cito turpem,&in nouo teſtamento,gratis date,gratis accepiſtis.

Secunda opinio poteſt eſſe Ioan.Andreę, quod magis vulneratur bonum charitatis in vſura mentali, quam in Simonia. Deinde in vſura ſola mens vſurarij eſt deprauata, exigentis videlicet aliquid vltra ſortem, non autem ſoluentis, ideo ei debet fieri reſtitutio. In Simonia autem vtriuſque animus eſt corruptus: cum tam emi,quam vendi ſpiritualia ſit prohibitum. Sed hæc reſponſio etiam non inſeruit ad propoſitum. In primis, cum Simonia deteſtabilius ſit peccatum, quam vſura, magis lædit bonum charitatis:

quia maius peccatum maius vulnerat. Deinde mens deprauata nemini debet ſuffragari: Ergo cum in Simonia ſecundum opinionem dictam mẽs vtriuſque ſit corrupta, multo minus debet acquiri dominiũ, quam in Simonia, vbi corruptio tantum eſt ex vna parte.

Tertia ſententia aliorum, vt refert Panormit. qui dixerunt quod in Simonia non ſit reſtitutio, quia concernit actum exteriorem & venditionem, ſed vſura cõcernit animam iuxta illud Euangelicum. Mutuum dantes nihil inde ſperantes. Sed hæc ratio valdè infirma, vt etiam innuit Ioan. Andr. quia non redditur ratio, quare vſura magis concernat animam, quam Simonia, cum potius contrarium dici debeat, eo quod Simonia grauius peccatum ſit.

Quarta Panormitani, qui cum oſtendiſſet aliorum rationes non eſſe ſatis efficaces, dicit non malè poſſe reddi rationem, illud inductum eſſe in odium vſurarum, quia ſi hoc eſſet permiſſum daretur ſæpè materia figmentis, vt ſine pacto ſoluerent vſuras. Vel vt reſtringatur hoc ca. de Simonia ad Simoniam prohibitam ex conſtitutione Eccesiæ: vel vt intelligatur in effectu, & ſpe ſecundaria, &non ptimaria & hoc putat tutius tenẽdum, vt vbi intentio fuit principalis immineat reſtitutio. Hæc Panormitanus. Prima

ratio

ratio ab eo aſſignata parum vrget, cum maius odium ſit Simoniæ, quam vſuræ, cum Simonia grauius & peius ſit peccatum, quam vſura. Deinde Pontifex in d. capit. de Simonia non inducit ius nouum, ſed id quod iuris eſt declarat, vt patet. Secunda etiam ratio confutatur eo modo, quo ratio ſecundæ opinionis reiecta eſt. Poſtrema, quam alijs tutiorem exiſtimat, præſupponit falſum, vt rectè indicat Nauarr. in Manuali confeſſariorum capit. 23. numero 103. videlicet, quod capit. loquatur, de illo, qui non dat, vel facit temporale principaliter pro ſpirituali, ſed minus principaliter & ſecundario. Quia illud cap. agit de Simonia, quæ eſt peccatum mortale, tale autem nō eſt facere aliquid minus principaliter & ſecundario pro ſpirituali.

Quinta eſt Adriani in 4. de Reſtitut. §. Aggredior caſus ſpeciales, verſ. Ad rationes ante oppoſitum, qui ſuo iudicio, vt ait videtur ſibi deprehendiſſe magis probabilem rationem diuerſitatis, nempe quod reſtitutio ſimoniacè acquiſitorum fieri debeat Eccleſiæ, quæ in hoc facultatem habet ius ſuum remittendi, ſed reſtitutio vſurarum debita eſt perſonis priuatis, à quibus vſuræ fuerunt extortæ: quam obligationem neque etiam Eccleſia vniuerſalis ſine illorum aſſenſu remittere poteſt. Hæc

ſolutio etiam Adriani infirma: quia Pontifex in d.c. fin. nullam facit remiſſionem, aut diſpenſationem, ſed tantum de iure interrogatus reſpondet, & dicit propter Simoniam affectu animi conceptam nō teneri aliquos ad reſignationem temporalium & ſpiritualium, ſed ſufficere delinquētibus, vt per pœnitentiam creatori ſatisfaciant.

Sexta eſt Ioan. Medinæ, in C. de reb. per vſur.acq.q.4.in 2.arg.principali, quod ſicut vſura mentalis in iudicio animarum ſiue foro conſcientiæ reſtitutionem inducit, vt ca. Conſuluit ait:Ita & Simonia mentalis cæteris paribus, nec eſt diſcrimen inter hæc aſſignandum. Ad text.autem, qui videntur contrarij dicendum, quod ca. Conſuluit, procedit in foro conſcientiæ vt ex ipſo conſtat. ca. autem fin.de Simonia locum habet in foro exteriori in quo nō tenentur ſimoniaci mētales ad reſignationes beneficiorum, & reſtitutiones temporalium, & ita nulla repugnātia videtur. Hæc reſponſio etiam non eſt ad mentem canonis. Nam ille loquitur etiam de foro conſcientiæ, cū expreſſe dicat, quod in caſu vſuræ mentalis delinquentibus ſufficiat per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori, nec ad illud pro Simonia huiuſmodi teneri, puta vel ad reſignationem aut reſtitutionem. Ergo hæc reſolutio etiam non facit ad propoſitum.

Septi-

Septima eſt Caietani 2.2.q.100. art. 6. cui adhærent Franciſcus Victoria in 2. parte numer. 4. Relectionis de Simonia, & Nauarr. in Manuali confeſſ. cap. 23. nume. 103. quod qui vſuram ſoluit non ſponte, ſed inuitus & inuoluntarius dat, redimendo vexationem, & ſic eſt ibi voluntarium miſtum inuoluntario & patet ex 3. Ethicor. Quod autem datur ſimoniaco mentali, datur voluntariè, quoniam datur animo emendi, vel vendendi. Emptio autem & venditio contractus ſunt voluntarij abſq; inuoluntario miſto, vt ex 5. Ethico. habes. Tota ergo ratio differentiæ in hoc ſtat, quod datum in vſura inuoluntarium eſt, & ideo reſtituendum. In Simonia autem voluntariè datum, & ea de cauſa nulli reſtitutioni obnoxium. Dominicus Sot. lib. 9. de iuſtitia & iure quæſt. 8. artic. 1. ad 6. inſtat contra hanc Caietani ſententiam. Perinde Simoniacus inuoluntariè dat pro beneficio pretium, atque ille, qui accipit ad vſuras: ſiquidem ſimoniacè accipiens beneficium mallet gratis accipere, & dat etiam redimendo aliquo modo vexationem, ſi modo Caietani loqui velimus, ſi enim ei conferretur, eo modo quo debet, nullo modo vellet pecuniam dare, ideo etiam inuoluntarium cum voluntario videtur miſceri in Simonia, vt experientia omnibus compertiſſimum eſſe videtur. Nullus enim, vt

facilè creditur, in mundo reperitur tam malus Eccleſiaſticus, qui ſi ſperaret, quod gratis beneficium conſequeretur, non offerret voluntariè pecuniam. Nauarrus contra Soti obiectionem defendit Caietanum in hũc modum. Ad hoc, vt conſenſus dantis impediat reſtitutionem, non ſufficit, quod mallet habere gratis, quam pretio: quoniam alioqui etiam omnis venditor teneretur reſtituere pretium ementi, ſed ſufficit conſenſus præſtitus via contractus approbati: Et quod datur per viam Simoniæ, datur per viam commutationis, quæ de ſe iure probatur: non autem quod datur per viam vſuræ. Hæc Nauarri defenſio ſua non caret difficultate, præſertim ſi ſua dicta accommodamus præſenti textui, vbi etiam ſecundum ipſum Caietanum loquitur Pontifex de ſtatu religionis, qui neutiquam poteſt cadere ſub commercia rerum temporalium. Falſum igitur omnino videtur ſtando in determinatione Pontificis, quod id quod hic datur, datur per viam commutationis, quæ de iure probetur. Nemo enim tam ſimplex eſt, qui neſciat contractum emptionis & venditionis in genere eſſe licitum: aut ignoret emptionem aut venditionem ſtatus perfectionis eſſe illicitam & iniuſtam. Alia autem ratio in via Caietani, ſi loquamur in genere

de

de beneficio, aut præbenda Eccleſiaſtica, nõ applicando textui fin. de Simonia, quia Caietano viſum eſt, vt etiam meminit Sotus quod prębenda ſuapte natura pretio ſit æſtimabilis: quod tamen ſecundum dicta neutiquam cõcedere poterit de ſtatu religionis, de quo in d.c. fin.

Octaua poteſt attribui Nauar. loco citat. quam nouam putat, & efficaciorem præcedenti, quæ à Caietano in primis inuenta, & eſt hæc quod vſura bene ſoluitur, & malè recipitur. Nam vſuram ſoluere non eſt peccatum cap. Debitores, de iureiurando, recipere autem ſic cap. Quoniam de vſur. & qui malè recepit ab eo, qui bene dat, tenetur id reſtituere danti cap. Non ſanè, cum Gloſſ. 14. quæſtion. 5. At qui per Simoniam mentalem accipit ab eo, qui malè dat, bene ſuſcipit ob ignorantiam malæ intentionis: aut ſaltem accipit à malè dante: & conſequenter nemini tenetur illud reſtituere, ſaltem ſi præſtet id propter quod datum eſt, &c. Hæc ratio etiam non caret ſua difficultate.

Nona ratio diuerſitatis eſſe poteſt, quæ & vera & lepida eſt Ioannes ab Anania in fine dict. capit. fina. Quia reperitur iure diuino & humano cautum, quod nihil debeat ſperari ex mutuo. At non ſic in Simonia. Si quis petat eius rei rationem,

quærat à conſtitutoribus. Plures adhuc inueniri poſſent, ſed hæ præcipuè ſunt, ex quibus conſtat, quomodo DD. ratio talis difficultatis torſerit, deciſio eſt clara, etſi eius claram cauſam reddere nequeamus, vnde ei adhærendum eſt.

*Octaua Concluſio.* Spes concomitans mutuum nullo modo vitio vſuræ afficit mutuationem, ſed impertinenter ſe habet ad eandem, vt rectè tradit Medina in q. 1. prope finem. C. de reb. per. vſur. acqu. Quia ea etiam ſecluſa fieret mutuatio.

In hac quæſtione, quæ ſatis intricata eſt, niſi omnia bene conſiderentur, vt ex concluſionum ordine animaduerti poteſt, haud difficile eſt in errorem incidere in lectione Doctorum. Cum ergo in mutuatione duæ perſonæ interueniant, mutuator, id eſt, mutuo dans, & mutuatarius, id eſt mutuum accipiens, mens vtriuſque, aut poteſt eſſe recta ita vt mutuator ratione gratitudinis ſine pacto accipiat aliquid à mutuatario, quod etiã gratitudinis ergo donat, & tunc non eſt peccatum: aut vterque prauam habet mentem, mutuatarius dat nomine mutui, & etiã mutuator ita accipit, & tunc mutuator peccat & tenetur ad reſtitutionẽ: aut mutuatarij mens eſt corrupta, quod dat mutuanti tanquam debitum ratione mutui: mutuãs autem bona fide tanquam ſibi meræ gratitudinis cauſa da-

ſa datum accipit, tunc durante bona fide ad nihil tenetur nec peccat. Ceſſante autẽ bona fide, reſtituendum, ſic acceptum. Aut mens dantis ad mutuum ſola corrupta eſt, vtpote mutuat, vt ratione mutui accipiat aliquid, ſine pacto: mutuum autem accipiens dat animo grato & liberali, & tunc controuerſia eſt inter DD. an mutuator teneatur ad reſtitutionem vt patet ex dictis.

## QVÆSTIO. II.

*An liceat obligationem antidoralem pacto in ciuilem deducere?*

PRo intelligentia tituli præcognoſcendũ, quod antidotum dicitur quaſi contra datum, vel contra donum ex Gloſſ. in Clemen. vnica de iureiurand. §. Cæterum, in verb. Antidotum, & Glo. cum text. in L. Sed etiam lege §. Conſuluit, verſic. Planè ſi antidota. ff. de petitione hæred. Vocatur autem obligatio antidoralis, quæ naſcitur ex beneuolentia, aut grati animi ſignificatione mutuantis, eo quod mutuat, cui meritò in mutuatario correſpondet aliqua gratitudo. Vnde quando liberaliter & gratis do mutuo pro ſua neceſſitate proximo meo 300. aureos, quibus notabile aliquod lucrum acquirit: aut damnum imminens euadit, gra-

titudo poſtulat, vt aliquid contra donet, quod vocatur antidotum,& obligatio ad tale donum antidoralis: quæritur nunc an ſit licitum, naturalem talem obligationē (quæ naturalis merito vocari poteſt, eo quod natura inclinat ad benefaciendum eis, qui nobis benefaciunt) pacto ducere in ciuilem. Multum enim differt obligatio illa antidoralis à ciuili, quia hęc eſt ęſtimabilis pecunia, virtute cuius debitor poteſt compelli ad ſatisfaciendum: Illa autem eſt amicitiæ,& ſimplex debitum beneficentiæ, ratione cuius debitor nunquam poteſt compelli, ad ſolutionem. Ducitur autem hoc modo exempli grat. antidoralis obligatio in ciuilem, ego do Nicolao mutuo 200. aureos pro ſua neceſſitate, ratione cuius mutui gratitudinis ergo obligatur, vt mihi in ſimili neceſſitate ſi poſſit remutuet, do illi mutuo meos aureos cum pacto, quod mihi etiam in neceſſitate remutuet, iam naturalis obligatio ducta eſt in ciuilem.

*Concluſio vnica.* Non eſt licitum, ſed vſurarium, obligationem antidoralem pacto deducere in ciuilem. Concluſio eſt communis tam Theologorum, quam Iuriſperitorum. S. Thom. 2.2. quæſt. 78. art. 2. ad 2.3.& 4. S. Anton. 2. par. cap. 7. §. 5. Conrard. de contract. quæſt. 46. conclu. 4. Gabr. in d. 4. d. 15. quæſt. 11. articu. 1. Sylueſt. in verb. vſura 1. q. 2.

& alio-

& aliorum in eodem verb. Archidiac. cum Gloſſ. 14. q. 3. cap. Si fœneraueris. Panormit. Anan. & Cardin. in hoc cap. Laurent. à Rodulph. in 2. par. huius ca. Conſuluit. in 2. oppoſ. Calde. in cap. Nauiganti. q. 5. Anchar. in reg. Peccati venia. q. 8. de reg. iur. in 6. Bald. in Rubric. C. de vſur. colum. 1. Salyc. ibidem in Authent. Ad hæc q. 18. Decij in L. Rogaſti. §. Si tibi colum. fin. ff. Si certum petatur, & aliorum alibi. In contrarium Angelus in ſumma, verb. Vſura 1. §. 4. eſſe videtur, qui allegat ad idem propoſitum Hoſtienſem in ſumma: ſed in re fortaſſe, ſi bene ſe explicaſſet, diuerſum non ſentit. Ratio concluſionis eſt euidens. Cauſa mutui aliquid accipere aut exigere vltra ſortem pecunia æſtimabile eſt vſurarium ex definitione vſuræ & communi ſententia. Sed obligatio ciuilis æſtimatur pecunia, qui ratione eius, quis poteſt conueniri coram iudice. Ergo vltra ſortem non licet eam in mutuo deducere in pactum.

## QVÆSTIO. III.

*An ſit vſura, ſi quis mutuet alicui, vt ad ſuum molendinum veniat, & molat: aut ad ſuam officinam, & emat: aut in ſuo agro laboret: ſemper tamen præſuppoſita iuſta mercede pro labore?*

De

DE caſibus ſimilibus, qui varij apud Doctores in diuerſis locis proponuntur, ſimile poteſt eſſe iudicium.

Fuit quorundam Doctorũ opinio, quod ſi mutuũ ſic accipiens in nullo damnum patiatur, non ſit vſura. Cum ex tali pacto nullum damnum immineat debitori, nec creditori lucrum vllum accedat: quia, vt præſupponitur, iuſtum pretium perſoluit. Prior qui hanc opinionem tenuit referente Syl-ueſtro in verb. Vſura 1.q.7. fuit frater Nicolaus de Auſmo auctor ſupplementi: Eum ſequuntur. Angel. & Roſella, & Adrian. in 4. in q. de vſura §. Sed dubium. Videtur, an promiſſa, &c. colum. penult. Eandem opinionem Nauarr. in Manu. Confeſſ. capit. 17. num. 220. tribuit Gabri. in 4. d. 15. q. 11. artic. 3. qui tamen in libro, quo ego vtor, apertè contrarium tenet, vt patet ex conciliatione ſententiarum, quam non longe à principio articuli facit.

*Prima Concluſio.* Qui mutuo dat alicui cũ pacto: vt ad ſuum molendinum veniat: aut in ſua officina emat: aut in ſuo agro laboret, etiamſi iuſtum pretium intercedat, cõmittit vſuram. Hæc eſt communis opinio teſte Syluestro loco cit. & eam tenent tam Theologi quam Iuriſperiti: D. Antonin. 2. par. tit. 1. cap. 7. §. 8. Conrard. q. 36. Gabr. & Syluest. Sotus lib. 6. q. 1. articul. 2. Caietan. in ſumma

verb.

verb. vſura exterior.& 2.2.q.78. art. 2. Ioan. Medin.in d.C.q.4. Panorm. Ioan. ab Anan. Cardin.& Anchar.in c.fin.eod.tit. Laurent. à Rodulph.in hoc c.2.par.q.38.Couar. lib.3. variar.reſolut.cap.2.num.5.Nauar.loc.citat. & alij alibi. Probatur. In talibus caſibus obligatione ciuili ratione mutui vltra ſortem debitor obligatur ad aliquid, quod agere non tenebatur. Talis autem obligatio eſt pretio æſtimabilis. Ergo vſura eſt: Præterea in huiuſmodi contractibus accipiens mutuum vigore eiuſdem alteri ſuam libertatem vendit, quæ omnium rectè ſentientium iudicio pretio æſtimari poteſt iuxta illud. Non bene pro toto libertas venditur auro. Antea enim poterat molere, emere, & laborare, vbi volebat: nunc ſtante tali pacto obligatus eſt mutuanti.

*Secunda Concluſio.* In dictis cōtractibus etiam in foro exteriori debitor nō debet cogi ad obſeruationem talium pactorum. Couar. loco d.& probatur. Talia pacta ſunt iniqua & vſuraria vt probatum in 1.conclu. Sed nemo cogendus eſt in iudicio, vt vſurarias iniquaſque conditiones ſeruet.

*Tertia Concluſio.* Mutuans vicino ſuo, quādo mutuat, poteſt ſperare, quod is mutuo accepto præſtabit in dictis caſibus ſe gratū, quando in nullo læditur. Quia poteſt licitè id ſperare, ad quod mutuatarius naturaliter obliga-

obligatur, modo in aliam obligationem ciuilem non deducat. Obligatur autem mutuatarius naturaliter, vt ſit gratus, & benefaciat benefacieti: Cum hoc etiam Ethnici faciant, vt Euangelica auctoritas eſt. Tali etiã obligatione non adimitur libertas: cum virtute eius non poſſit cogi ad ſeruandum, ſed ſemper manet facultas ſe liberandi, vt Gabriel deducit.

*Quarta Concluſio.* Quando debitor in hiſcè contractibus, quibus tales conuẽtiones apponuntur aliquod damnum patitur ob pactiones appoſitas, creditor tenetur illud reſarcire. In hac concl. omnes cõueniunt. Qui enim cauſam damni dat contra iuſtitiam, tenetur illud reſarcire.

*Quinta Concluſio.* Mutuans, qui mutuando acquiſiuit tales obligationes aduerſus mutuatariũ, tenetur eas remittere. Medi. Caiet. in verb. vſura exterior. Couar. Nauarr. Quia tales obligationes ſunt vſurariæ. Quod ſi nolit, in foro exteriori ad hoc compelli poteſt, vt Couar. tradit.

*Sexta Concluſio.* Etſi nullum damnum datum fuit debitori ex tali mutuatione, tamen creditor tenebitur ei reddere tantum, quantũ boni viri arbitrio debitores interfuit coactum fuiſſe virtute mutuationis præfatas pactiones obſeruare, libertatemque cum alijs contrahendi amiſſam fuiſſe. Med. Caiet.

Couar.

Couar. Naua. & alij. Quia creditor in huiuſmodi contractibus debitorem aliquo priuauit contra iuſtitiam pecunia æſtimabili, ſcilicet libertate ſua. Ergo tenetur ſatisfacere. Item obligauit ipſum ad indebitum. Ergo tenetur reſarcire, ſed puto, quod pauci inueniantur tam mollis cõſcientiæ, qui multum cogitẽt de reſtitutione eius, quod in hac cõcluſione ſtatuitur: cum nũc homines deglutiant camelos: nec cogitent de reſtitutione, taceo, quod nitantur excolare culices. Quis enim ſe offert ad reſtitutiones vſurarum etiam pluſquam cẽteſimarum, quæ fere indies committuntur carius vendendo ob dilatam ſolutionem: aut vilius emendo ob anticipatam. Nigro cigno hic rarior eſt. Ad clariorẽ ſuperiorum intelligentiam notandum cum Caieta. in d. verb. Vſura exterior, in dictis & ſimilibus caſibus duo lucra interuenire. Alterum vſurariũ, & aliud licitum. Vſurarium lucrũ eſt obligatio ad molẽdum in hoc molendino: ad emendum in hac officina: ad laborãdum in hoc agro, &c. Licitum verò eſt merces debita pro molę vſu, pretium rerum venditarũ, ſtipẽdium pro labore, & ſic de ſimilibus. Iſtud enim lucrũ poſterius nõ venit ex mutuo, ſed alijs cõtractibus laboribus & ſeruitutibus. Ideo in huiuſmodi contractibus, qui ſic mutuauit nõ tenetur reſtituere mercedẽ, quã pro molendini opere accepit,

nec

nec pretium rerum venditarum, ſed ad pœnitendum, quod proximum obligauit vi mutui, atque etiam ad relaxandum vinculũ talis obligationis, quæ vſurarium lucrum cenſetur. Deinde ad recompenſandum illi pro iſta obligatione, quæ vendibilis eſt. Hæc Caietan.

*Septima Concluſio.* In dictis caſibus reſtitutio facienda eſt mutuatario: & non pauperibus. Concluſio eſt contra Ioan. Andr. in reg. Peccatum de reg. iur. in 6. & Panorm. ca. fin. infra, cui etiam fauere videtur Sylueſt. qui tamen tandem dicit eſſe cõſilij: hi enim volunt huiuſmodi reſtitutionem eſſe faciendã pauperibus: Concluſionem tradunt Caieta. Medina & Couarru. & ratio in promptu eſt. Reſtitutio facienda eſt ei, qui iniquè grauatus eſt, quando cognoſcitur, nec in eis damnum eſt. Sed mutuatarius indebitè fuit grauatus tam oneroſa obligatione, quæ pretio æſtimatur. Ergo merito ei reſtitutio eſt facienda.

## QVÆSTIO. IV.

*An ſit vſura, ſi quis mutuo det prælato Eccleſiaſtico, vt ſibi, vel alteri beneficium Eccleſiaſticum conferat?*

VIDETVR quod non. Quia licitum eſt mutuanti ratione lucri exigere ea, quæ pecunia

pecunia non æſtimantur iuxta doctrinam S. Thomæ 2.2.q.78.artic.2.communiter receptam. Sed beneficium Eccleſiaſticum non æſtimatur pecunia ex Gloſſ.celebri in c.Coram de offic.deleg.& Panorm. ibid. Qua ratione ſecundùm communem DD. ſententiam beneficia Eccleſiaſtica, nec vendi, nec emi poſſunt ſine labe ſimoniæ.

*Prima Concluſio*. Non eſt licitum mutuare prælato Eccleſiaſtico cum pacto, vt ſibi aut alteri conferat beneficium Eccleſiaſticũ. Nauar.in comment.de vſur.nume.16. & 17. & Sot.lib.6.de iuſtit.& iure,q.1.art.2. Ratio, quia etſi tale beneficium non ſit iure pecunia æſtimabile, vt in arg. contra probatum, eſt tamen ſuapte natura tale;cum ſit ius percipiendi fructus & prouentus iuxta Calderinum receptum, ca. In noſtra de reſcriptis. Ad hoc autem, vt vſura committatur ſufficit, vt accipiatur; aut ſperetur principaliter vi mutui aliquid ſuapte natura pecunia æſtimabile,licet à commercio rerum æſtimabilium à iure ſeparetur.

*Secunda Concluſio*. Licitum eſt principaliter mutuare Prælato ad conciliandam amicitiam beneuolentiamque; aut ad alium finem honeſtum, & minus principaliter ſperare ex gratitudine & amicitia beneficium. Probatur. Licitum eſt ſecundùm communem DD. ſententiam, quam probant ca. Si

Ee officia

officia 59.d. & cap. Quid prodeſt. 61. d. cum ſuis Gloſſis, & Gloſſ. in c. Cum eſſent, de Simonia, prælato Eccleſiaſtico inſeruire cum ſpe minus principali conſequendi aliquod beneficium Eccleſiaſticum. Sic tradunt Angel. in verb. Simon. 5. §. 5. Adrian. quodlib. 9. artic. 2. Sotus lib. 9. de iuſt. & iure q. 7. articu. 3. Panormitan. Anan. & Gloſſ. in d. cap. Cum eſſent. Nauarr. in Manuali in confeſſarior. ca. 23. num. 101. & in d. comm. de vſur. num. 19. fatetur communẽ eſſe ſententiam. Quare in Manuali dicit ſe pridẽ reſpondiſſe, non commiſiſſe Simoniam eum, qui Epiſcopo nouè prouiſo bonam pecuniæ ſummã mutuauerat principaliter & immediate, vt ei benefaceret, & ad ineundam amicitiam, ſperans ſecundario ſibi, aut alteri gratiam beneficij: Quia non mutuauerat pro pretio, neque pro cauſa principali, nec immediata rei ſpiritualis, vt in definitione Simoniæ accipitur. Si ergo non committitur ſic Simonia neque etiam committetur vſura, ſi quis mutuet pecuniam, principaliter ad comparandam amicitiam Epiſcopo, ſpe minus principali, quod ex hac conſequetur beneficium.

*Tertia Concluſio.* Si quis ex mutuatione pactionali beneficium acquireret, teneretur ſic acceptum reſignare. Probatur. Tale beneficium eſt aliquod commodum vſura partum.

tum. Nihil autem taliter acquiſitum poteſt retineri aut accipi vt ſupra traditum. Alia ratio huius concluſionis poteſt deſumi à natura Simoniæ, quæ quando realis eſt, obligat ad reſtitutionem ſecundum communem ſententiam.

Si quis obijciat contra primam concluſionem. Videtur quod potius ſic mutuando committatur Simonia, quam vſura: quia accipitur ſpirituale pro tẽporali, vt videtur ſentire Angelus in ſumma verb. officium, §. 4. Reſondeo cum Nauarro in dict. commentar. numero 17. quod hoc non obſtet, quia eo, quod eſt Simonia, non deſinit eſſe vſura, ſed eſt vſura Simoniaca, vel Simonia vſuraria, & conſequenter erit duplex peccatum: aut vnum cum circunſtantia neceſſariò confitenda. Ad argumentum in principio factum. Ad maiorem reſpondet Sotus, quod S. Thom. intelligendus de his, quæ in humana ciuilitate ad gratiam & vrbanitatem pertinent, nec ſub obligationem veniunt, ſed ſolent gratis dari, Spiritualia vero, vt beneficia Eccleſiaſtica, alia ratione non ęſtimantur pecunia, nempe quia non ſunt eorum propria, qui conferunt; ſed ſunt eis à Deo gratis commiſſa, vt tanquã eius bona gratis diſpenſent: Quare res huius generis, crimen eſt pretio tam dare, quã recipere. Ad maiorẽ patet ex dictis in prima cõcluſione.

Beneficium Eccleſiaſticum iure quidem nõ æſtimatur pecunia; ſuapte tamen natura poteſt pecunia æſtimari, quod ſufficit ad conſtituendam vſuram. Sicut omnes res conſecratæ iure inæſtimabiles ſunt L. Inter ſtipulantem §. Sacram ff. de verbor. oblig. & alibi, ſuapte tamen natura ſunt æſtimabiles.

*Dubium aliud hic eſſe poteſt.* An etiam eſſet vſura, ſi quis mutuaret principaliter Principi ſeculari, vt aliquod beneficium aut officium ſeculare conſequeretur: Reſpondetur ſimpliciter quod eſſet vſura, vt ſentiunt Sylueſt. in verb. vſura. q. 5. & Medina in d. C. q. 4. & alij alibi. Ratio eſt plana. Talia beneficia & officia ęſtimãtur pecunia. Ergo cauſa mutui non poſſunt exigi nec recipi. Et qui ſic reciperet ex mutuatione pactionali, teneretur reſtituere & reſignare ei, qui dedit: Quia omne commodum temporarium per vſuram acquiſitum eſt obnoxium reſtitutioni, & dicit Medina, quod ſit concluſio Doctoris ſancti.

INNO-

# INNOCENTIVS III. AD PRAELATOS IN REGno Franciæ conſtitutos.

*Manifeſtus vſurarius appellans ad ſubterfugiendum reſtitutionem non eſt audiendus.*

## CAP. XI.

QVAM *pernitioſum: & infra. Mãdamus quatenus manifeſtos vſurarios (maximè quos vſuris publicè renũciaſſe conſtiterit) cum aliquis eos conuenerit de vſuris, nullius permittatis appellationis ſubterfugio ſe tueri.*

Circa literam, notãdus caſus, in quo ſubtrahitur appellationis beneficium. Quidam dicunt hoc hic eſſe ſpeciale in odium vſurariorum, qui delinquunt contra vetus & nouum teſtamentum: Nam & raptori non interdicitur appellationis remedium, ca. In literis de reſtitut. ſpoliator. Sed communiter à Doctoribus tenetur, vt hic Panorm. atteſtatur, quod in hoc nulla ſit differentia, nec poſuit hîc quid ſpeciale in vſurario, cum loquatur de manifeſto. Quilibet autem criminoſus manifeſtus repellitur ab appellatione ca. Cum ſit Romana de appellat. & intelligitur text. quando appellatio eſt manifeſtè friuola, vtpote cum dicit ſe nõ eſſe vſurarium:

cum tamen euidenter conſtet de contrario: Vel appellat ne cogatur reſtituere contra iuris præceptum: aut appellat ad differendum reſtitutionem, quam commodè ſtatim facere poteſt. Alia tamen ratio eſt, quãdo appellatio eſt iuſta. Poſſit enim eſſe notorium in genere, quod quis exercuiſſet vſuras, nõ tamen, quod cum Petro, aut Paulo: quare appellationi locus eſſet reſpectu eius, quod notorium non eſt. Notandũ etiam hic cum Hoſtienſi approbato ab Ancharan. & Anton. à Butrio notoriũ operari vt in hoc crimine poſſit procedi ſine ſtrepitu & figura iudicij: Hoc tamen intelligendum de notorio permanenti, non de eo, quod aliquam excuſationem habet.

ExtraGloſſam ponderandum cum Ioan. Anan. verbum illud (cõſtiterit) in litera poſitum: Quia nemo condemnandus tãquam vſurarius, niſi prius conſtet, quod ſit talis. Conſtat aut quando confeſſus, aut conuictus, aut eſt euidentia facti, ita vt non ſit tergiuerſationi locus: de qua re infra dicetur.

In hoc capit. ſicut etiam in aliquibus ſequentibus, nihil ſingulare quod præſentem materam concernat, tractandum occurrit, quare non eſt immorandum.

INNO-

# INNOCENTIVS III. NARBONEN. ARCHIepiſcopo.

*Per ſubtractionem communionis Chriſtianorum & per principes ſeculares cogendi ſunt Iudæi ad vſuras reſtituendas.*

## CAP. XII.

POST *miſerabilem: & primum. Iudæos ad remittendas Chriſtianis vſuras per principes & poteſtates compelli præcipimus ſeculares. Et donec eis remiſerint: ab vniuerſis Chriſti fidelibus tam mercimonijs, quam in alijs per excommunicationis ſententiam eis iubemus communionem omnimodam denegari.*

Ex hoc c. cum Gloſſ. & DD. aliqua colliguntur. In primis Iudæos poſſe compelli à principibus ſecularibus ad reſtitutionem vſurarum, quãdo aliquas extorſerunt. Deinde poteſt Iudæis interdici conuerſatio cum Chriſtianis, & à contractibus ciuilibus poſſunt coërceri, quæ eſt quędam excommunicatio ciuilis. Chriſtiani autem pœna excommunicationis arcentur, ne Iudæis communicent, & ita Iudæi indirectè cõpelluntur ad reſtitutionẽ vſurarũ. Regulariter nõ peccãt Chriſtiani, quãdo pro ſua neceſſitate in mer-

cimonijs cum Iudæis communicãt: Nam in pœnam in hoc c. Interdicitur eis cõmunio. Nimia tamen familiaritas &cõuerſatio propter periculum ſubuerſionis & ſcandalum bene prohibetur 28.q.1.can.Sæpe.& c. Nullus.& c.Ad hoc,de Iudæis.Si quis obijciat illud S.Pauli.Nihil nobis de eis,qui foris ſunt. Reſpondetur quod Eccleſia pœnis ſpiritualibus Iudæos non afficiat; cum non ſint ingreſſi in Eccleſiam per baptiſmi ſuſceptionem. Nihilominus habet poteſtatem compeſcẽdi pœnis temporalibus. Materia huius cap.tractabitur plenè infra in c. Quanto.

# INNOCENTIVS III. MVTINENSI EPISCOPO.

*Non obſtante iuramento de nõ repetendis vſuris per debitorem præſtito: poteſt iudex ex officio ſuo vſurarium ad reſtituendas vſuras compellere.*

## CAP. XIII.

TVAS *dudum recepimus quæſtiones,quod quidam vſurarij eos,quibus dant pecuniam ad vſuram, præſtare faciunt iuramentum, quod vſuras non repetant: & ſuper his, quas ſoluerint nullam moueant quæſtionem.* Nos igitur *reſpondemus, vt vſurarios ipſos monitione præmiſſa per cenſuras Eccle-*

*Eccleſiaſticas appellatione remota compellas ante vſurarum ſolutionem ab earum exactione deſiſtere:vel reſtituere ipſas, poſtquam fuerint perſolutæ: ne dolo & fraude contingat eos commodum reportare.*

Videtur hoc cap. obſtare ca. 1. de iureiurando & cap. Debitores ibidem: vbi dicitur, quod qui iurauit ſoluere vſuras, ſit compellendus ad ſolutionem, tamen poſſit deinde repetere ſolutas, & hic in Gloſſ. quod prius relaxandum iuramentum. Pro reſolutione notandum: Aut iudex procedit ex officio, non inuocatus à iurante & mutuum accipiente ſub vſuris,& tunc nō eſt opus in primis relaxare iuramentū: quia Iudex qui non iurauit poteſt compellere aut ad remiſſionem: aut ad reſtitutionem: Aut ipſe qui iurauit ſoluere & non repetere, vult repetere, & tunc prius petenda eſt relaxatio iuramenti,& ſic Gloſſa intelligenda. Vide Panorm. in hoc cap. Dicet aliquis, quid ſi etiam talis iurauit non denunciare Iudici: Reſpondent Panor. & alij, quod non valet tale iuramentum. Quia non potuit ſe obligare cōtra bonum charitatis & diſpoſitionem Euangelicam. Quod ſi peccauerit in te frater tuus, &c. Quod ſi te non adierit, dic Eccleſiæ. De hac materia DD. & præſertim Panormit. in d.ca.1.& cap. Debitores.

# INNOCENTIVS III.

*Non auditur vſurarius repetens vſuras: niſi prius reſtituat extortas.*

## CAP. XIV.

QVIA *fruſtra legis auxilium inuocat: qui cō-mittit in legem. Statuimus, vt ſi quis vſurarius a nobis literas impetrauerit ſuper reſtituendis vſuris: vel fructibus computandis in ſortem: niſi prius ipſe reſtituerit vſuras, quas ab alijs noſcitur recepiſſe, auctoritate literarum ipſarum nullatenus audiatur,*

Nota regulam. Fruſtra auxilium legis inuocat, qui committit, aut peccat in legem.

# INNOCENTIVS III.
## ALTISIODOREN. EPISCOPO.

*Conuictus de vſuraria prauitate per famam & alia argumenta poteſt manifeſtari vſurarius, & tanquam manifeſtus vſurarius compeſci ſecundum diſpoſitionem Lateranen. Concilij.*

## CAP. XV.

CVM *in Diœceſi tua ſint quamplurimi vſurarij, de quibus minimè dubitatur, quia ſint vſurarij manifeſti: contra quos propter timorem potentum,*

*tentum, qui tuentur eoſdem, nullus accuſator apparet: nec ijdem ſunt per ſententiam condemnati. Fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quod licet contra eos non appareat accuſator: ſi tamen alijs argumentis illos conſtiterit eſſe vſurarios manifeſtos in eos pœnam in Lateranenſi Concilio contra vſurarios editam liberè poteris exercere.*

Pro declaratione huius capituli aduertẽdum, quod pœnæ Lateranẽſis Concilij contra Vſurarios manifeſtos poſitę ſunt ſupra in c. Quia in omnibus: Illud enim cap. eſt Concilij Lateran. Sunt autem hæ. Communione altaris priuantur, id eſt, non admittuntur ad Eccleſiam quando diuina celebrantur ſecũdùm receptiorem expoſitionem licet Innocent. in d. ca. intelligat de communione corporis Chriſti. Eorum oblationes non recipiuntur, & Chriſtianam ſepulturam nõ ſortiuntur, ſi in hoc crimine deceſſerint; & harum pœnarum meminit Pontifex in hoc c. Alię autem ſunt pœnę contra vſurarios manifeſtos ſtatutæ à Gregorio X. in Concilio generali Lugdunenſi, quæ ponuntur in cap. Quanquam de vſuris in 6. de quibus in hoc cap. q. 3.

## QVÆSTIO. I.

*Quis dicendus manifeſtus vſurarius & quomodo probandum ſit aliquem manifeſtum eſſe vſurarium?*

Ab

AB aliquibus Doctoribus ſparſim multa tractantur de hac quæſt. quę tamē haud magnū vſum nūc apud multos habent cum vix animaduerſio fiat in vſurarios, nec ſit qui inquirat in tales latrunculos, qui pauperes emungunt, & eorum ſudorem cum carne & ſanguine ſugunt: Pauperes vbique iacent, & vix eorum cauſæ iudicium ingrediūtur præſertim cōtra diuites, qui per fas nefaſq; theſaurum Mammonæ congregarunt, hi in repub. & iudicijs in honore habendi ſunt: nec contra hos quicquam quod eos offendat, ſtatuendum pro defenſione & conſeruatione pauperum, viduarum, aut orphanorum. Hæc nunc in multis locis eſt optima, ſi credere fas ſit, praxis: Sed in iudicio quod ille, qui etiam iuſtitias iudicat, exercebit, diuerſa erit facies rerum. Tractanda tamen eſt hæc quæſtio pro perfectione tractatus, vt lectores perſpiciant, quos Canones & Doctores pro manifeſtis vſurarijs habeant, quando pœnas in eos decernunt.

*Prima Concl.* Manifeſtus vſurarius dicitur, qui publicè & palam ad vſuram mutuat: ita vt operis euidētia nullam excuſationem admittat. In hac concl. omnes conueniunt, vt atteſtantur Didac. libr. 3. variarum reſol. cap. 3. num. 4. & Iul. Clarus lib. 5. receptarum ſent. iuris §. Vſura num. 15.

*Secunda Concluſio.* Non ſolum hi, ſed etiam qui

qui fictè mutuant, id eſt vendunt carius iuſto preto ob dilatam ſolutionem, quando hoc eorum exercitiũ eſt manifeſtum & pupublicum, ſunt manifeſti vſurarij. Angelus in verb. Vſura 2. §. 20. Sylueſt. in eod. verb. 9. q. 2. Panor. in c. Ad noſtram de empt. & vendit. nume. 3. Idem in conſil, 22. incip. Quanquam conſultatio lib. 1. Anton. Burgenſis in d. c. Ad noſtram nume. 7. Iaſo. in L. Eius, qui in prouincia. num. 1. ff. de reb. creditis, ſi certum petatur. Decius conſil. 111. incip. Diuino implorato præſidio & pro tenui facultate mea. Andr. Barbat. in conſ. 67. incip. Illud afferam in medium. num. 2. lib. 4. Bertachin. in repertorio iuris in verb. Venditio ſimulata. Nauar. in Man. confeſſariorum cap. 17. num. 280. Couar. in d. c. 3. num. 9. verſ. Octauo non tantum obtinet capitulum. Ioannes Bapt. Lupus in comment. 4. de vſur. in præfat. num. 33. in fine, & §. 1. numer. 35. & hæc eſt communiſſima ſententia. Ratio etiam eſt euidens. Qui ſic vendunt, vſuram committunt. d. cap. Ad noſtram, & c. in ciuitate, & c. Nauiganti ſupra in hoc tit. ad hoc eſt communiſſima Theologorum & Iuriſperitorũ ſententia, quæ probata ſufficienter eſt in d. c. in ciuitate q. 3. concl. 2. Ergo ſunt manifeſti, quando hoc eorum exercitium eſt publicum, vtpote quia paſſim publicè aduentantibus ſic vẽdunt: Quia operis euidentia publicum

blicũ quid facit. Nec opus eſt ad hoc, vt publice in foro, aut in platea hoc faciant omnibus videntibus, modo domi faciant frequenter, ita vt ex euidentia facti omnis excuſatio tollatur. Hoc enim ſufficit ad conſtituendum vſurarium manifeſtum c. Euidentia, de accuſat. Panorm. in d. conſ. 22. Fede. de Senis conſ. 8. Barto. in L. 2. num. 3. ff. de furt. Bald. cõſil. 17. incip. factum ſuper quo in fin. lib. 1. Couar. vbi ſupra num. 4. Multas ad idẽ propoſitum congerit allegationes Iacobus Menochius libr. 2. de arbit. Iudic. qq. caſ. 235. Eadem eſt ratio de his, qui emunt vilius iuſto pretio ob anticipatam ſolutionem ſi hæc eorum praxis publica ſit, & reddatur. Hinc infertur, quam multi ſint manifeſti vſurarij ex vẽditione cariori ob dilationem ſolutionis maximè quando penuria eſt frumenti: cum eorum exercitium ſit manifeſtum vtpote quia omnibus aduentantibus ſic vendunt acceptis fideiuſſoribus & cautionibus ſufficientibus pro aſſecuratione ſolutionis, ſi maldrum frumenti ex. g. Natiuitatis Ioannis pretio rigidiſſimo prompta pecunia vẽdatur 6. florenis, ipſi vendunt ad terminum Martini aut Natiuitatis Chriſti. 7. & miſericordia eorum prędicatur, qui tantum vnum de maldro accipiũt in tanta termini dilatione, ſed væ tali miſericordiæ, ſi pœnitentiam non agat in hoc mundo, & pauperibus tam iniu-

iniuſtum lucrum reſtituat. Verè horrendum eſt, quod tam multi in repub. ex infimis, medijs, & ſupremis ſint, qui tam prauæ negociationi inhient, & non cogitent de pœnitētia, & reſtitutione, nec vllum ſcrupulum ob hoc exercitium ſibi faciunt. Vtinam ſaperēt, & intelligerent, quomodo Dominus mortis & vitæ, quando minimè cogitabunt, in nocte veniet, & repetet animas eorum, & dicet ſtulti, cuius erunt quæ congregaſtis ſupprimendo pauperes, quos potius miſericordiæ opere erigere, quam vſurario negocio ſubruere debebatis.

*Tertia Concluſio.* Manifeſtus etiam vſurarius eſt, qui crimen ipſum confeſſus eſt in iudicio Gloſſ. in c. 1. verb. Manifeſti, de vſur. in 6. & DD. ibidem & in d. c. Quia in omnibus. Bald. in d. conſ. 17. & conſ. 446. incip. Ad euidentiam col. 1. lib. 5. Panormit. latè in conſ. 2. incip. Illud in facto quæritur, libr. 2. Anton. Burgen. in d. c. Ad noſtram, nu. 28. Iul. Clar. & Couar. loc. alleg.

*Quarta Concluſio.* Confeſſio extraiudicialis non eſt ſufficiens ad conſtituendũ quempiam vſurarium manifeſtum, niſi facta fuerit coram ſacerdote & teſtibus publicè, ita vt in plurium notitiam deuenerit. Gloſſ. in d. cap. Quanquam lib. 6. in verb. Manifeſti, quam ita exponunt Francus. & Dominic. Panorm. in d. conſ. 2. Anan. in c. Quia in omni-

omnibus, colum. 5. ſupra quorum opinio communis eſt atteſtante Socin. in conſ. 127. lib. 3. vt eum allegant & ſequuntur Didac. & Clarus. Imo nõ videtur neceſſarium, quod talis confeſſio fiat coram ſacerdote, aut notario, modo facta fuerit coram pluribus teſtibus: ita publicè, quod ad plurium cognitionem deuenerit Didac. cap. d. numer. 4. verſ. Tertio licet confeſſio extraiudicialis, vt etiam rationes dictorum Dictorum, ſi eas conſideremus, probant: Dicunt quod ore confitentis crimen iſtud effectum ſit manifeſtum, quæ ratio etiam locum habet, quando confeſſio fit apud alios priuatos, ita tamen vt ad plurium ſcientiam deueniat. Exempli gratia, eſt quiſpiam diues, qui vendit frumentum tempore caritatis annonæ, quando menſura ſiue maldrum ſupremo pretio prompta pecunia venditur 8. florenis, aduentante integra communitate vnius loci, coram omnibus viris illius cõmunitatis, aut maxima parte eorum, dicit Ego quia ſolutionem differtis vſque Martini, non aliter vendo niſi 10. & ſic multis hoc menſe vendidi: Aut etiam ſufficit quod coram quatuor, aut quinque dicat viris, qui deinde ſuis conciuibus, aut alijs paſſim diuulgent, talis enim confeſſio extraiudicialis ſufficiens eſt ad efficiendum manifeſtum vſurarium.

Quinta

*Quinta Concluſio.* Manifeſtus etiam vſurarius vocatur, qui cõuictus, damnatus de hoc crimine à Iudice per ſententiam eſt. Iudicis enim pronunciatio efficit notorium. Gloſſ. communiter probata in d. ca. 1. de vſur. in 6. Iul. Clar. Didac. Minoch. & alij.

*Sexta Concluſio.* Quem eſſe publicum vſurarium probatur teſtibus, qui deponunt ſe pluries vidiſſe aliquem mutuo dantẽ ſub vſuris. Hæc conclu. communis eſt DD. Tamen non cenſentur legitimi teſtes, qui mutuo acceperunt ab accuſato: Cum hi ſuſpecti ſint, eo quod expectent vſurarum extortarum reſtitutionem, & commodum Panor. & Felin. in ca. Perſonas, de teſtib. Federic. de Senis conſil. 61. Ludouic. Roman. ſingulari 355. incipien. Volo probare, & alij multi quos referunt & ſequuntur Didac. & Menoch. vbi ſupra num. 23. & hæc eſt magis communis DD. opinio: cui tamen aliqui aduerſantur quos recenſent Menoch. & Ioann. Baptiſta. Lupus in comment. 4. de vſur. in præfatione num. 23. Nec etiam teſtes ſingulares ſufficiũt ad huius criminis probationem, vtpote cum vnus teſtis deponit de vno actu; alius de alio. Menoch. Didac. Ioan. Bapt. & Iul. Clar. lib. 5. ſentent. iuris §. fin. q. 53. verſ. dixi etiam num. 18. cum alijs. Si autem ſingularium teſtium teſtimonio accedant aliæ coniecturæ, vtpote multitudo teſtificãtium, fama, aliæq;

præſumptiones ſufficiens erit teſtimonium ſingulariũ teſtium. Menoch. Didac. & Ioan. Bapt. cum alijs ab eis allegatis. Requiruntur communiter duo, vel tres teſtes in huius criminis probatione, ſicut in alijs. Quia in ore duorum aut trium teſtium ſtat omne verbum. Hinc rectè Menochius taxat Angelum ab Aretio in §. Ex maleficijs. num. 3. Inſtit. de action. qui ex ſententia Bartoli vult ſeptem teſtibus hoc crimen probandum.

*Septima Concluſio.* Vſurarius manifeſtus eſſe aliquis probatur fama & communi opinione cum alijs adminiculis. Panormit. in d. conſi. 2. & conſ. 81. lib. 2. Feder. de Senis conſ. 64. Ioan. ab Anania in d. c. Quia in omnibus. colum. 2. Bald. in L. 1. in 3. col. verſ. Quid de teſtamento vſurarij. C. de ſacroſ. Eccleſ. & alij alibi.

*Octaua Concluſio.* Libri rationum ipſius vſurarij probant contra ipſum. Angel. verb. Vſura 2. §. 20. Syluest. in verb. vſura 9. qu. 3. Archidiac. in capit. Qui ſincera. d. 45. Anan. in d. c. Quia in omnibus. Immolen. in Clem. 1. de ſepult. Quæ ita intelligẽda vt veritatem obtineant, quando frequentia actuum ex libris rationum oſtenditur, tunc frequentia facit manifeſtum vſurarium vt Menochius declarat. Tenetur autem vſurarius edere libros rationum. Clem. Ex graui de vſur. Cardin. ibidem. §. 1. oppoſ. 5. Lauren. à Rodulph.

in c.

in c. Conſuluit.2.par.q.149.&ſeq.Lanfranc. in tract.de fide inſtrument.num. 53. Paul.de Caſtro. & Alex. Inmol. in L. Præter. §. Etiam is. ff. de Edend. Si autem nolit reddere libros, compellitur, per Eccleſiaſticam cenſuram ex d. Clem. Idem eſt iudicium de hæredib.extraneis ſecundùm Gloſſ.ibidem.

*Nona Concluſio.* Quoties quis teſtibus, probationibus, præſumptionibus & aliјs modis legitimis conuictus fuerit, non dicetur manifeſtus vſurarius, donec à Iudice per ſententiam ſit damnatus. Hoſtien. Panormit. & alij in hoc c. Idem Panorm. in d. conſ.2. & Feder. in d. conſ.64. Didac. loco cit. nume.4. verſic. Quarto etiam dicetur, &c. Et Menoch. vbi ſupra num. vlt.

## QVÆSTIO. II.

*An cap. Hoc, & cap. Quanquam. De Vſuris in 6. intelligantur de eiſdem manifeſtis vſurarijs quãtum ad pœnas?*

PRima Concluſio. Præſens cap. quantum ad pœnas Lateran. Concilij intelligitur de vſurario manifeſto aliquo modo in præterita quæſtione expoſito, vt operis euidentia, confeſſione iudiciali, vel extraiudiciali cum ſua declaratione habita: aut iudicis condemnatione, conſtat ex capit. & annotatis

præſumptiones ſufficiens erit teſtimonium ſingulariũ teſtium. Menoch. Didac. & Ioan. Bapt. cum alijs ab eis allegatis. Requiruntur communiter duo, vel tres teſtes in huius criminis probatione, ſicut in alijs. Quia in ore duorum aut trium teſtium ſtat omne verbum. Hinc rectè Menochius taxat Angelum ab Aretio in §. Ex maleficijs. num. 3. Inſtit. de action. qui ex ſententia Bartoli vult ſeptem teſtibus hoc crimen probandum.

*Septima Concluſio.* Vſurarius manifeſtus eſſe aliquis probatur fama & communi opinione cum alijs adminiculis. Panormit. in d. conſi. 2. & conſ. 81. lib. 2. Feder. de Senis conſ. 64. Ioan. ab Anania in d. c. Quia in omnibus. colum. 2. Bald. in L. 1. in 3. col. verſ. Quid de teſtamento vſurarij. C. de ſacroſ. Eccleſ. & alij alibi.

*Octaua Concluſio.* Libri rationum ipſius vſurarij probant contra ipſum. Angel. verb. Vſura 2. §. 20. Sylueſt. in verb. vſura 9. qu. 3. Archidiac. in capit. Qui ſincera. d. 45. Anan. in d. c. Quia in omnibus. Immolen. in Clem. 1. de ſepult. Quæ ita intelligẽda vt veritatem obtineant, quando frequentia actuum ex libris rationum oſtenditur, tunc frequentia facit manifeſtum vſurarium vt Menochius declarat. Tenetur autem vſurarius edere libros rationum. Clem. Ex graui de vſur. Cardin. ibidem. §. 1. oppoſ. 5. Lauren. à Rodulph.

in c.

in c. Conſuluit.2.par.q.149.&ſeq.Lanfranc. in tract.de fide inſtrument.num. 53. Paul.de Caſtro. & Alex. Immol. in L. Præter. §. Etiam is. ff. de Edend. Si autem nolit reddere libros, compellitur, per Eccleſiaſticam cenſuram ex d. Clem. Idem eſt iudicium de hæredib.extraneis ſecundùm Gloſſ.ibidem.

*Nona Concluſio.* Quoties quis teſtibus,probationibus, præſumptionibus & alijs modis legitimis conuictus fuerit, non dicetur manifeſtus vſurarius, donec à Iudice per ſententiam ſit damnatus.Hoſtien.Panormit. & alij in hoc c.Idem Panorm.in d.conſ.2.& Feder. in d.conſ.64.Didac.loco cit.nume.4.verſic. Quarto etiam dicetur, &c. Et Menoch.vbi ſupra num.vlt.

## QVÆSTIO. II.

*An cap.Hoc,& cap.Quanquam.De Vſuris in 6. intelligantur de eiſdem manifeſtis vſurarijs quantum ad pœnas?*

PRima Concluſio. Præſens cap. quantum ad pœnas Lateran. Concilij intelligitur de vſurario manifeſto aliquo modo in præterita quæſtione expoſito, vt operis euidentia, confeſſione iudiciali, vel extraiudiciali cum ſua declaratione habita : aut iudicis condemnatione, conſtat ex capit. & annotatis

 ibidem

ibidem à DD. dum traditur manifeſtum vſurarium eum eſſe, qui argumentis, alijſque probationibus à Iudice huius criminis reus pronunciatus fuerit. Hanc concluſionem tradunt Couar.lib.3.variar. reſol.cap.3.nu.5. & Ioan.Baptiſta Lupus in comment.4.de vſur.in præfat.num.33.

*Secunda Concluſio.* Pœnæ cap. Quanquam de Vſur.in 6. intelliguntur, de vſurarijs manifeſtis, qui ita palam & frequenter vſuras exercent, quod ipſius criminis euidẽtiá tergiuerſationem non admittat. Sic docẽt prædicti auctores in 2. conclu. & probat Couar. Non eſt enim veriſimile Põtificem tam graues pœnas ſtatuiſſe aduerſus eum, qui ſemel mutuum dederit ſub vſuris, licet id confeſſus fuerit publicè in iudicio, vel extra; vel à iudice ea de cauſa damnatus fuerit. Nec etiá [illegible] eum, qui [illegible]è, vſurarios contractus fe[illegible]it, q[illegible] inde eius criminis accuſa[illegible]s, [illegible]one alijſque probationibus [illegible]s & condemnatus: Quia in [illegible]dex iuſtè hun[illegible]n poſſet pro[illegible]anifeſtum [illegible] vt d.auctor [illegible]ir; faci[illegible]d Bart.in L. [illegible]alſus colu. 7. [illegible]c. Quia in om[illegible] ſatis probatum [illegible]vſurarium, ſi pro[illegible] ſub vſuris mutuo dediſſe

dediſſe pecuniam, ſed requiri delicti frequentiam.

*Tertia Concluſio.* Conſtitutio cap. Quanquam, non ſolum obtinet aduerſus manifeſtos vſurarios, ſed etiam fictos, qui manifeſtè emptionis & venditionis titulo vſuras exercēt, vt vendendo carius iuſto pretio ob dilatam ſolutionem, vel emendo vilius ob anticipatam, quādo hoc eorum exercitium eſt publicum iuxta ea, quæ declarata ſunt in q. præcedenti concluſione 2. Hæc eſt communiſſima DD. ſententia, quos ad longum in d. concl. 2. allegaui.

## QVÆSTIO. III.

*Quæ nam ſint pœnæ cap. Quanquam de Vſur. in 6. & quæ requirantur, vt manifeſtus vſurius eas euitet?*

VT cognitum ſit, quæ ſint pœnæ capit. Quanquam, & quid in illo cōtineatur, [illegible]ræmittendus eſt text. de verbo ad verbum: [illegible]m frequens eius mentio habeatur apud [illegible] pœnis Vſurariorum. Eſt enim hæc [illegible]io Gregorij X. & tex. talis eſt de ver[illegible]bum.

*[illegible]m vſurarij manifeſti de vſuris, quas [illegible]tisfieri expreſſa quantitate, vel indi[illegible]na voluntate mandauerint: nihilo[illegible]s Eccleſiaſtica ſepultura denegetur, [illegible]ſis fuerit (prout patiuntur facul-*



Digitized by Google

*tates eorum) plenariè ſatisfactum: vel illis, quibus facienda eſt reſtitutio: ſi præſto ſint ipſi: aut alij, qui eis poſſint acquirere vel eis abſentibus loci ordinarios aut eius vices gerenti: ſiue Rectori parochiæ, in qua teſtator habitat coram aliquibus fide dignis de ipſa parochia (quibus quidem ordinario, vicario, & Rectori prædicto modo cautionem huiuſmodi eorum nomine liceat præſentis conſtitutionis auctoritate recipere; ita quod illis perinde actio acquiratur) aut ſeruo publico de ipſius ordinarij mandato, idoneè de reſtitutione facienda ſit cautum. Cæterum ſi receptarum vſurarum ſit quantitas manifeſta: illam ſemper in cautione prædicta exprimi volumus, alioquin aliam recipientis cautionem huiuſmodi arbitrio moderandum: Ipſe tamen ſcienter non minorem, quam veriſimiliter creditur moderetur: Etſi ſecus fecerit; ad ſatisfactionem reſidui teneatur. Omnes autem religioſos & alios, qui manifeſtos vſurarios contra præſentis ſanctionis formam ad Eccleſiaſticam auſi fuerint admittere ſepulturam: pœnæ Lateranen. Concilij contra vſurarios promulgatæ ſtatuimus ſubiacere. Nullus manifeſtorum vſurariorum teſtamentis interſit, aut eos ad confeſſionem admittat: ſiue ipſos abſoluat, niſi de vſuris ſatisfecerint: vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtent (vt præmittitur) idoneam cautionem. Teſtamenta quoque manifeſtorum vſurariorum aliter facta, non valeant, ſint irrita ipſo iure.*

Hæc eſt conſtitutio Gregorij X. vnde eruun-

eruuntur, quæ in ſequentibus concluſionibus, deciduntur.

*Prima Concluſio.* Manifeſtus vſurarius etiamſi pœnituerit in fine vitæ, ſi non ſoluerit (intellige ſi ſit ſoluendo) aut præſtiterit cautionem idoneam de ſoluendo iuxta tenorē huius cap. priuatur Eccleſiaſtica ſepultura. Concl. clara eſt ex textu. Quoad hanc tamen ſepulturam ſufficit cautionem præſtari ab hæredibus vſurarij manifeſti poſt eius mortem. Gloſſa communiter recepta in Clem. 1. verb. Manifeſtos vſurarios de ſepult.

*Secunda Concluſio.* Ad idoneam cautionem huius ca. requiruntur pignora, vel fideiuſſores. Glo. communiter recepta in d. c. Quanquam in verbo. Idoneè. Felin. Gloſſ. & alij in c. Ad noſtram de iureiurādo. Angel. in verb. Vſura 2. §. 8. Sylueſt. eod. verb. 9. q. 10. Nauar. in Man. confeſſ. cap. 17. num. 279. Couar. vbi ſupra. nu. 6. Iul. Clar. lib. 3. Receptar. ſentent. iuris. §. Teſtamentum. q. 26.

*Tertia Concluſio.* Qui contra formam huius conſtitutionis manifeſtos vſurarios admiſerit ad ſepulturam, incidit in pœnas Lateranen. Concilij in ca. Quia in omnibus. & præterea eſt excommunicatus Clemen. 1. de vſur.

*Quarta Concluſio.* Iure Pontificio vſurarij manifeſti teſtamentum nullum eſt, ſi non ſeruetur forma d. cap. Quanquam de ſatiſ-

faciendo eis, à quibus vſurę extortę ſunt: aut de præſtanda idonea cautione. Hęc eſt communis DD. opinio per textum apertum, in fine d.cap. Dictum iure Pontificio. Quia iure veteri Pandectarum vſurarius manifeſtus poteſt condere teſtamentum L. Eius qui ff. Si certum petatur. Iaſo. Roman. & Alberic. ibidem.

*Quinta Concluſio.* Idem eſt iudiciũ de Codicillis in hoc caſu, quod de teſtamẽto Gloſ. Ioan. Andr. Dominic. & alij in d.cap. Quanquam. Ananias in ca. Quia in omnibus. ſup. Felin. in c. Translato, de conſtit. col. fin. Angel. Sylueſt. Couarr. loc. cita. & communiter DD. alibi. Ratio à Gloſſ. redditur, quia alioqui ea conſtitutio contra vſurarios manifeſtos condita, redderetur eluſoria, ſi codicilli ab eis facti valerent.

*Sexta Concluſio.* Diſpoſitio c. Quanquam, etiam locũ habet in donatione cauſa mortis. Hæc concluſio magis communis atteſtantibus Alexand. in L. Diſcretis. num. 2. C. Qui teſtam. facere poſſ. & Iulio Claro libr. 4. recept. ſentent. §. Donatio. q. 7. & ab hac opinione in iudicando putat non eſſe recedendum, eo quod ſit fauorabilior animę. Ratio, quia aliâs facile eſſet locus eluſioni contra d. ca. Quanquam. Plures pro hac concluſione & contra eandem Doctores allegant Couar. in 3. par. Rubric. de teſtam. num. 11. Franciſc.

Viuius

Viuius li.1.Receptarum opinionum in verſ. Vſurarius manifeſtus. & Ioan. Bapt. Lupus in comment.4.de vſur.§.1.nu.41.Atque hęc concluſio multo magis obtinet, quãdo huiuſmodi donatio cauſa mortis facta eſt in teſtamento, vel eſt de omnibus bonis, vel eorum maiori parte, prout etiam fatentur tenentes contrarium,tunc enim apparet illam factam in fraudem.

*Septima Concluſio.*Licet teſtamenta manifeſtorum vſurariorum ita ſint irrita & nulla,non ſeruata forma cap. Quanquam de rigore iuris, vt nec legata ad pias cauſas in eis relicta debeantur:De æquitate tamen fauore pietatis,quantum ad legata pia valida ſunt cenſenda. Priorem partem tenent Bald. in L.1.C.de ſacroſanct.Eccleſijs.num.6.Barto. ibidem nume.30.Panorm. in Rub. de teſtamen.& in conſil.1.lib.2.Lupus deCaſtello in allegat 125.Philip.Francus in Rubr.de teſtamen.lib.6.numer.35.& alij alibi. Cum enim talia teſtamenta de iure nulla ſint,nihil vi talis vltimæ voluntatis peti poterit. Poſteriorem tradunt Geminianus in d. cap. Quanquam & Couar.lib.3.variar.reſo.ca.3.in fine. Cauſa enim pietatis æquitas ſæpius ſuadet recedendum eſſe à iuris rigore. Quod verum eſt,quando taliter diſponens cum contritionis ſignis & pœnitens diſceſſit, vt videntur docere Geminian. Syluest. in verb.

Vſura 9.q.7.Ancharan.in conſ. 430. & Anton.Butr.in conſ.28.verſ.non obſtat.

*Dubium.* Quid ſi manifeſtus vſurarius fecit taſtamentum non præſtita ſatisfactione, nec præmiſſa idonea cautione iuxta c. Quãquam: ſed poſtea facit, quæ facienda ſunt, an teſtamentum prius factum, reconualeſcat, & validum efficiatur. Quidam negarunt, vt patet ex DD.in c.Quanquam: tamen ſit.

*Octaua Concluſio.* In hoc caſu teſtamẽtum prius factum redditur validum. Ioan. And. Geminianus. Franc.& Anchar. in c. Quanquam. Paul.Caſtr.conſil.292.lib.2.Immol.in cap.2.num.26.de teſtamen. Quorum opinio communis eſt auctoribus Alexan.in L.Gallus §.fin.col.2.ff. de liber. & poſthum. Felin. in c.Cum dilectus num.3.de accuſat. Didac. loc.cita.& Iul. Claro lib.3.recept.ſent.§. Teſtamentum q.26.num. 3. qui dicit hanc opinionem tanquam æquiorem in praxi tenẽdam, quamuis contraria de rigore iuris verior videatur vt volunt Alex. loc.cit.& Bald. in L.Executorem num.22. de execut. rei iudicat. Ratio, quia in hoc caſu ſatisfit menti & intentioni conſtitutionis.

*Nona Concluſio.* Manifeſtus vſurarius, qui teſtamentum fecit ſeruata forma ca. Quanquam, ſi relabatur poſt teſtamentum, ac etiam ſecretè vſuræ crimen committat, nullũ erit teſtamentum ipſius. Feder. de Senis ex pro-

propoſito ad longum in conſ. 7.incip. Quidam vſurarius.Panorm.in d.conſ.1. Anan.in c.Quia in omnibus nume.15. ſup.Dominic. cum alijs in c.Quanquam.Couar.& alij.

*Decima Concluſio.* Qui confecit teſtamentum, quando adhuc vſurarius non erat, ſi poſt labatur in ſtatum manifeſti vſurarij, ſi non ſeruauerit formam c.Quanquam,teſtamentum eſt nullum.Feder.in d.conſ.7. Dominic.in fine c.Quãquam.Cardin. in Clem. 1. de ſepult.Immol.in c.2.de teſtam.num.25. Couar. & Ioan. Bapt.Lup.in d.comment.4. §.1.nu.37.&alij alibi.Ratio. Quia ad vim teſtamenti, teſtator debet eſſe potens ad teſtãdum eo tempore,quo condit teſtamentum, &deinde mortis tempore L.1.§.Si filius ff.de Legat.3.Quicquid ſentiant Angel.in diſput. incip.Aſtenſis miles & Anan. in d.c.Quia in omnibus.

*Vndecima Concluſio.* Vſurarius manifeſtus ſi nõ fecit reſtitutionẽ vſurarum,etiãſi deſijt exercere vſurã,& teſtamentũ poſtea cõdidit, nullũ eſt teſtamentum,ſi nõ ſeruetur forma d.c.Quanquam.Anan.loc.cita.nu.15. Felin. in 1.c.de probat.nu.19.& hęc eſt cõmunis opinio atteſtante.Socin. in conſ.127.lib.3.quẽ referunt & ſequuntur Didac.& Iul.Clar.qui dicit eam tutiorẽ animæ,propterea iudicando & conſulendo, ab ea non recedendum. Doctores, qui contra hancopinionẽ tenere viden-

præſumptiones ſufficiens erit teſtimonium ſingulariũ teſtium. Menoch. Didac. & Ioan. Bapt. cum alijs ab eis allegatis. Requiruntur communiter duo, vel tres teſtes in huius criminis probatione, ſicut in alijs. Quia in ore duorum aut trium teſtium ſtat omne verbum. Hinc rectè Menochius taxat Angelum ab Aretio in §. Ex maleficijs. num. 3. Inſtit. de action. qui ex ſententia Bartoli vult ſeptem teſtibus hoc crimen probandum.

*Septima Concluſio.* Vſurarius manifeſtus eſſe aliquis probatur fama & communi opinione cum alijs adminiculis. Panormit. in d. conſi. 2. & conſ. 81. lib. 2. Feder. de Senis conſ. 64. Ioan. ab Anania in d. c. Quia in omnibus. colum. 2. Bald. in L. 1. in 3. col. verſ. Quid de teſtamento vſurarij. C. de ſacroſ. Eccleſ. & alij alibi.

*Octaua Concluſio.* Libri rationum ipſius vſurarij probant contra ipſum. Angel. verb. Vſura 2. §. 20. Sylueſt. in verb. vſura 9. qu. 3. Archidiac. in capit. Qui ſincera. d. 45. Anan. in d. c. Quia in omnibus. Immolen. in Clem. 1. de ſepult. Quæ ita intelligẽda vt veritatem obtineant, quando frequentia actuum ex libris rationum oſtenditur, tunc frequentia facit manifeſtum vſurarium vt Menochius declarat. Tenetur autem vſurarius edere libros rationum. Clem. Ex graui de vſur. Cardin. ibidem. §. 1. oppoſ. 5. Lauren. à Rodulph. in c.

in c.Conſuluit.2.par.q.149.&ſeq.Lanfranc. in tract.de fide inſtrument.num. 53. Paul.de Caſtro. & Alex. Immol. in L. Prætер. §. Etiam is. ff. de Edend. Si autem nolit reddere libros, compellitur, per Eccleſiaſticam cenſuram ex d. Clem. Idem eſt iudicium de hæredib.extraneis ſecundùm Gloſſ.ibidem.

*Nona Concluſio.* Quoties quis teſtibus,probationibus, præſumptionibus & alijs modis legitimis conuictus fuerit, non dicetur manifeſtus vſurarius, donec à Iudice per ſententiam ſit damnatus.Hoſtien.Panormit. &alij in hoc c.Idem Panorm.in d.conſ.2.&Feder. in d.conſ.64.Didac.loco cit.nume.4.verſic. Quarto etiam dicetur, &c. Et Menoch.vbi ſupra num.vlt.

## QVÆSTIO. II.

*An cap.Hoc,& cap.Quanquam.De Vſuris in 6. intelligantur de eiſdem manifeſtis vſurarijs quãtum ad pœnas?*

PRima Concluſio. Præſens cap. quantum ad pœnas Lateran. Concilij intelligitur de vſurario manifeſto aliquo modo in præterita quæſtione expoſito, vt operis euidentia, confeſſione iudiciali, vel extraiudiciali cum ſua declaratione habita : aut iudicis condemnatione, conſtat ex capit. & annotatis

ibidem à DD. dum traditur manifeſtum vſurarium eum eſſe, qui argumentis, alijſque probationibus à Iudice huius criminis reus pronunciatus fuerit. Hanc concluſionem tradunt Couar.lib.3.variar. reſol.cap.3.nu.5. & Ioan.Baptiſta Lupus in comment.4.de vſur.in præfat.num.33.

*Secunda Concluſio.* Pœnæ cap. Quanquam de Vſur.in 6. intelliguntur, de vſurarijs manifeſtis, qui ita palam & frequenter vſuras exercent, quod ipſius criminis euidētia tergiuerſationem non admittat. Sic docēt prædicti auctores in 2. conclu. & probat Couar. Non eſt enim veriſimile Pōtificem tam graues pœnas ſtatuiſſe aduerſus eum, qui ſemel mutuum dederit ſub vſuris, licet id confeſſus fuerit publicè in iudicio, vel extra; vel à iudice ea de cauſa damnatus fuerit. Nec etiā in eum, qui occultè, vſurarios contractus fecerit, quamuis deinde eius criminis accuſatus, vel confeſſione alijſque probationibus fuerit conuictus & condemnatus: Quia in his caſibus iudex iuſtè hunc non poſſet pronunciare manifeſtum vſurarium vt d.auctor latius deducit; facit ad hoc, quod Bart.in L. 2.num.13.ff.de furt. Salyc.in L.falſus colu. 7. C.de furt.& Ioan.ab Anan.in c.Quia in omnibus. ſup. tradunt non eſſe ſatis probatum aliquem eſſe manifeſtum vſurarium, ſi probatum ſit, ſemel, vel bis ſub vſuris mutuo

dediſſe

dediſſe pecuniam, ſed requiri delicti frequentiam.

*Tertia Concluſio.* Conſtitutio cap. Quanquam, non ſolum obtinet aduerſus manifeſtos vſurarios, ſed etiam fictos, qui manifeſtè emptionis & venditionis titulo vſuras exercẽt, vt vendendo carius iuſto pretio ob dilatam ſolutionem, vel emendo vilius ob anticipatam, quãdo hoc eorum exercitium eſt publicum iuxta ea, quæ declarata ſunt in q. præcedenti concluſione 2. Hæc eſt communiſſima DD. ſententia, quos ad longum in d. concl. 2. allegaui.

## QVÆSTIO. III.

*Quæ nam ſint pœnæ cap. Quanquam de Vſur. in 6. & quæ requirantur, vt manifeſtus vſurius eas euitet?*

VT cognitum ſit, quæ ſint pœnæ capit. Quanquam, & quid in illo cõtineatur, præmittendus eſt text. de verbo ad verbum: cum frequens eius mentio habeatur apud DD. de pœnis Vſurariorum. Eſt enim hæc conſtitutio Gregorij X. & tex. talis eſt de verbo ad verbum.

*Quanquam vſurarij manifeſti de vſuris, quas receperunt, ſatisfieri expreſſa quantitate, vel indiſtinctè in vltima voluntate mandauerint: nihilominus tamen eis Eccleſiaſtica ſepultura denegetur, donec de vſuris ipſis fuerit (prout patiuntur facul-*

*tates eorum) plenariè ſatisfactum: vel illis, quibus facienda eſt reſtitutio: ſi præſto ſint ipſi: aut alij, qui eis poßint acquirere vel eis abſentibus loci ordinarios aut eius vices gerenti: ſiue Rectori parochiæ, in qua teſtator habitat coram aliquibus fide dignis de ipſa parochia (quibus quidem ordinario, vicario, & Rectori prædicto modo cautionem huiuſmodi eorum nomine liceat præſentis conſtitutionis auctoritate recipere; ita quod illis perinde actio acquiratur) aut ſeruo publico de ipſius ordinarij mandato, idoneè de reſtitutione facienda ſit cautum. Cæterum ſi receptarum vſurarum ſit quantitas manifeſta: illam ſemper in cautione prædicta exprimi volumus, alioquin aliam recipientis cautionem huiuſmodi arbitrio moderandum: Ipſe tamen ſcienter non minorem, quam veriſimiliter creditur moderetur: Et ſi ſecus fecerit; ad ſatisfactionem reſidui teneatur. Omnes autem religioſos & alios, qui manifeſtos vſurarios contra præſentis ſanctionis formam ad Eccleſiaſticam auſi fuerint admittere ſepulturam: pœnæ Lateranen. Concilij contra vſurarios promulgatæ ſtatuimus ſubiacere. Nullus manifeſtorum vſurariorum teſtamentis interſit, aut eos ad confeßionem admittat: ſiue ipſos abſoluat, niſi de vſuris ſatisfecerint: vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtent (vt præmittitur) idoneam cautionem. Teſtamenta quoque manifeſtorum vſurariorum aliter facta, non valeant, ſint irrita ipſo iure.*

Hæc eſt conſtitutio Gregorij X. vnde eruun-

eruuntur, quæ in ſequentibus concluſionibus, deciduntur.

*Prima Concluſio.* Manifeſtus vſurarius etiamſi pœnituerit in fine vitæ, ſi non ſoluerit (intellige ſi ſit ſoluendo) aut præſtiterit cautionem idoneam de ſoluendo iuxta tenorē huius cap. priuatur Eccleſiaſtica ſepultura. Concl. clara eſt ex textu. Quoad hanc tamen ſepulturam ſufficit cautionem præſtari ab hæredibus vſurarij manifeſti poſt eius mortem. Gloſſa communiter recepta in Clem. 1. verb. Manifeſtos vſurarios de ſepult.

*Secunda Concluſio.* Ad idoneam cautionem huius ca. requiruntur pignora, vel fideiuſſores. Glo. communiter recepta in d. c. Quanquam in verbo. Idoneè. Felin. Gloſſ. & alij in c. Ad noſtram de iureiurãdo. Angel. in verb. Vſura 2. §. 8. Sylueſt. eod. verb. 9. q. 10. Nauar. in Man. confeſſ. cap. 17. num. 279. Couar. vbi ſupra. nu. 6. Iul. Clar. lib. 3. Receptar. ſentent. iuris. §. Teſtamentum. q. 26.

*Tertia Concluſio.* Qui contra formam huius conſtitutionis manifeſtos vſurarios admiſerit ad ſepulturam, incidit in pœnas Lateranen. Concilij in ca. Quia in omnibus. & præterea eſt excommunicatus Clemen. 1. de vſur.

*Quarta Concluſio.* Iure Pontificio vſurarij manifeſti teſtamentum nullum eſt, ſi non ſeruetur forma d. cap. Quanquam de ſatiſ-

faciendo eis, à quibus vſurę extortę ſunt: aut de præſtanda idonea cautione. Hęc eſt communis DD. opinio per textum apertum, in fine d.cap. Dictum iure Pontificio. Quia iure veteri Pandectarum vſurarius manifeſtus poteſt condere teſtamentum L. Eius qui ff. Si certum petatur. Iaſo. Roman. & Alberic. ibidem.

*Quinta Concluſio*. Idem eſt iudiciũ de Codicillis in hoc caſu, quod de teſtamẽto Gloſ. Ioan. Andr. Dominic. & alij in d.cap. Quanquam. Ananias in ca. Quia in omnibus. ſup. Felin. in c. Translato, de conſtit. col. fin. Angel. Sylueſt. Couarr. loc. cita. & communiter DD. alibi. Ratio à Gloſſ. redditur, quia alioqui ea conſtitutio contra vſurarios manifeſtos condita, redderetur eluſoria, ſi codicilli ab eis facti valerent.

*Sexta Concluſio*. Diſpoſitio c. Quanquam, etiam locũ habet in donatione cauſa mortis. Hæc concluſio magis communis atteſtantibus Alexand. in L. Diſcretis. num. 2. C. Qui teſtam. facere poſſ. & Iulio Claro libr. 4. recept. ſentent. §. Donatio. q. 7. & ab hac opinione in iudicando putat non eſſe recedendum, eo quod ſit fauorabilior animę. Ratio, quia aliâs facile eſſet locus eluſioni contra d. ca. Quanquam. Plures pro hac concluſione & contra eandem Doctores allegant Couar. in 3. par. Rubric. de teſtam. num. 11. Franciſc.

Viuius

Viuius li.1.Receptarum opinionum in verſ. Vſurarius manifeſtus. & Ioan. Bapt. Lupus in comment.4.de vſur.§.1.nu.41.Atque hęc concluſio multo magis obtinet, quãdo huiuſmodi donatio cauſa mortis facta eſt in teſtamento, vel eſt de omnibus bonis, vel eorum maiori parte, prout etiam fatentur tenentes contrarium,tunc enim apparet illam factam in fraudem.

*Septima Concluſio.* Licet teſtamenta manifeſtorum vſurariorum ita ſint irrita & nulla,non ſeruata forma cap. Quanquam de rigore iuris, vt nec legata ad pias cauſas in eis relicta debeantur:De æquitate tamen fauore pietatis,quantum ad legata pia valida ſunt cenſenda. Priorem partem tenent Bald. in L.1.C.de ſacroſanct.Eccleſijs.num.6.Barto. ibidem nume.30.Panorm. in Rub. de teſtamen.& in conſil.1.lib.2.Lupus de Caſtello in allegat 125.Philip.Francus in Rubr.de teſtamen.lib.6.numer.35.& alij alibi. Cum enim talia teſtamenta de iure nulla ſint,nihil vi talis vltimæ voluntatis peti poterit. Poſteriorem tradunt Geminianus in d. cap. Quanquam & Couar.lib.3.variar.reſo.ca.3.in fine. Cauſa enim pietatis æquitas ſæpius ſuadet recedendum eſſe à iuris rigore. Quod verum eſt,quando taliter diſponens cum contritionis ſignis & pœnitens diſceſſit, vt videntur docere Geminian. Sylueſt. in verb.

Vſura 9.q.7.Ancharan.in conſ.430.& Anton.Butr.in conſ.28.verſ.non obſtat.

*Dubium.* Quid ſi manifeſtus vſurarius fecit taſtamentum non præſtita ſatisfactione, nec præmiſſa idonea cautione iuxta c. Quãquam: ſed poſtea facit,quæ facienda ſunt,an teſtamentum prius factum, reconualeſcat, & validum efficiatur. Quidam negarunt, vt patet ex DD.in c.Quanquam: tamen ſit.

*Octaua Concluſio.* In hoc caſu teſtamẽtum prius factum redditur validum.Ioan.And. Geminianus.Franc.& Anchar.in c. Quanquam.Paul.Caſtr.conſil.292.lib.2.Immol.in cap.2.num.26.de teſtamen.Quorum opinio communis eſt auctoribus Alexan.in L.Gallus §.fin.col.2.ff. de liber. & poſthum. Felin. in c.Cum dilectus num.3.de accuſat. Didac. loc.cita.& Iul. Claro lib.3.recept.ſent.§. Teſtamentum q.26.num.3. qui dicit hanc opinionem tanquam æquiorem in praxi tenẽdam, quamuis contraria de rigore iuris verior videatur vt volunt Alex. loc.cit.& Bald. in L.Executorem num.22. de execut. rei iudicat. Ratio, quia in hoc caſu ſatisfit menti & intentioni conſtitutionis.

*Nona Concluſio.* Manifeſtus vſurarius,qui teſtamentum fecit ſeruata forma ca. Quanquam,ſi relabitur poſt teſtamentum, ac etiam ſecretè vſuræ crimen committat, nullũ erit teſtamentum ipſius. Feder. de Senis ex

pro-

propoſito ad longum in conſ. 7.incip. Quidam vſurarius.Panorm.in d.conſ.1. Anan.in c.Quia in omnibus nume.15. ſup. Dominic. cum alijs in c.Quanquam.Couar.& alij.

*Decima Concluſio.* Qui confecit teſtamentum, quando adhuc vſurarius non erat, ſi poſt labatur in ſtatum manifeſti vſurarij, ſi non ſeruauerit formam c.Quanquam, teſtamentum eſt nullum.Feder.in d.conſ.7. Dominic.in fine c.Quãquam.Cardin. in Clem. 1. de ſepult.Immol.in c.2.de teſtam.num.25. Couar. & Ioan. Bapt.Lup.in d.comment.4. §.1. nu.37.&alij alibi.Ratio. Quia ad vim teſtamenti, teſtator debet eſſe potens ad teſtãdum eo tempore,quo condit teſtamentum, &deinde mortis tempore L.1.§.Si filius ff.de Legat.3.Quicquid ſentiant Angel.in diſput. incip.Aſtenſis miles & Anan. in d.c.Quia in omnibus.

*Vndecima Concluſio.* Vſurarius manifeſtus ſi nõ fecit reſtitutionẽ vſurarum,etiãſi deſijt exercere vſurã,& teſtamentũ poſtea cõdidit, nullũ eſt teſtamentum,ſi nõ ſeruetur forma d.c.Quanquam.Anan.loc.cita.nu.15. Felin. in 1.c.de probat.nu.19.& hęc eſt cõmunis opinio atteſtante.Socin. in conſ.127.lib.3.quẽ referunt & ſequuntur Didac.& Iul.Clar.qui dicit eam tutiorẽ animæ,propterea iudicando & conſulendo, ab ea non recedendum. Doctores, qui contra hancopinionẽ tenere viden-

videntur, conciliant Ioan. ab Anan. in d. cap. Quia in omnibus, & Decius in ca. 1. de probat. num. 22.

*Duodecima Concluſio.* Diſpoſitio ca. Quanquam, non habet locum in eo, qui mutuauit ad vſuras, nec tamen adhuc aliquid recepit. Dominic. in d. cap. per text. cum dicit, quas receperant, quem ſequitur Sylueſt. vbi ſupra q. 9 Ratio euidens ſumitur ex capit. & eius intentione. Pœnæ ibidem ponuntur, vt vſurarius pro ſalute animæ ſuæ compellatur ad ſatisfaciendum ei, à quo vſuras extorſit. Ioan. Andr. in Nouella cap. Quanquam, in principio & Alexand. conſ. 6. libr. 6. Sed quando adhuc nihil recepit, non eſt locus reſtitutioni.

*Decimatertia Concluſio.* Qui nõ poteſt idoneè cauere ſecundùm conſtitutionẽ c. Quãquam: vtpote quia non habet pignora, nec poteſt habere fideiuſſores, iurabit ſe nõ poſſe, & ſtabitur ipſius iuramento. Gloſſ. communiter recepta in d. c. Quanquam.

*Dubium vertitur inter DD.* An diſpoſitio capit. Quanquam, locum etiam habeat in Iudæo manifeſto vſurario. Quidam enim exiſtimant nulla in parte comprehendere Iudæos: & quantum ad ea, quæ de ſepultura Eccleſiaſtica habentur, nõ eſt dubium: cum hæc Iudæis non conueniant, ſed quantum ad teſtamentum. An manifeſti vſurarij Iu-

dæi

dæi teſtamentum ſit nullum, ſi non reſtituat vſuras, nec idoneam det cautionem de reſtitutione vſurarum. Alexand. in conſil. 6. incipien. Super præmiſſa dubitatione ſcilicet. An diſpoſitio cap. Quanquam lib. 6. ex profeſſo pro parte negante reſpondet eandem ſententiam Franciſcus Aretinus ſubtiliter & eleganter in conſ. 158. defendit hunc ſequuntur Syllueſt. in verb. Vſura 9. quæſtio. 8. Iul. Clarus, in d. §. Teſtamentum. quæſt. 26. Franciſcus Viuius libro 1. recept. ſent. verſ. Manifeſtus vſurarius, & alij plures, quos allegat Ioan. Baptiſt. Lupus in d. comment. 4. §. 1. num. 42. Ratio potiſſima, quia Iudęi ſunt extra gremium Eccleſiæ, nec ſubduntur legibus Eccleſiaſticis, nec Eccleſia curat de eis cap. Gaudemus, de diuort. cap. omnis. Chriſtianis. 11. q. 3. & cap. 1. de conſtitut. Infideles non ligantur conſtitutionibus Eccleſiæ. In contrarium ſunt Decius tamen dubitatiuè. cap. 1. de conſtitut. in 2. lectura nume. 8. & 9. adiunctis eis, quæ addit in cap. 1. de probat. à num. 20. Carol. Molin. in d. conſ. 6. Alexan. vt eum refert & ſequitur Couarru. libr. 3. variar. reſolut. cap. 3. numer. 9. verſicu. Septimo circa eandem conſtitutionem, facit ad idem propoſitum quod Laurent. à Rodulph. in 2. part. cap. Conſuluit q. 146. Ananias infra in cap. Quanto col. 3. Iaſ. in L. 1. num. 9. C. de edend. Marſil. in ſingulari 609. fauēt eidem ſenten-

ſententiæ, & dicit Marſ. hoc eſſe mente tenendum, quia eſt ſingulare lucri plenũ contra Iudæos. Nam quoad teſtamentum optimè etiam conuenit Iudæis d. conſtitutio ad coërcẽdum vſurarũ exercitium. Iudæi enim in prouincijs Chriſtianorum viuentes principibus tam Eccleſiaſticis quã ciuilibus ſubijciuntur, non quidẽ quantum ad ſpirituales pœnas, & alia quæ ad ſpiritualia pertinent, ſed in his quæ ad politicum regimen & legis naturalis obſeruationem neceſſaria ſunt c. 1. de conſtit. Dec. ibid. nu. 17. Panormit. Card. & Felin. ibidem & alij alibi. Vtraque opinio non caret ſuis rationibus. Aretin. & Clarus dicunt ſuam communiter obſeruari.

## QVÆSTIO. IV.

*An in foro Eccleſiaſtico vſurarius, qui nõ eſt manifeſtus, de iure Canonico poſſit puniri?*

Videtur quod non. Primo. Ius canonicum per cenſuram Eccleſiaſticam cogit vſurarios ad reſtitutionem vſurarum. ca. Per tuas eod. tit. & ca. Debitores de iureiur. nec alia pœna imponitur, cum per reſtitutionẽ peccatum tollatur, quod à iure Canonico conſideratur. Secundo. c. Cũ tu. eod. titu. excuſatur fœnerator, qui ob paupertatem nõ poteſt reſtituere. Si ergo paupertas hoc caſu

excu-

excuſat, nec aliter punitur. Ergo à fortiori nō debet puniri, qui vſuras reſtituit. Tertio. Ius canonicum punit manifeſtos vſurarios alijs pœnis. c. Quia in omnibus ſupra & d.c. Quanquam in 6. Ergo in vſurarijs, qui non ſunt manifeſti non habet locum alia pœna. Quarto. Vſurarius ex conuentione recipit vſuras. Ergo non peccat. Quia volenti & ſcienti non fit iniuria.

His rationibus motus Philippus Decius in conſil.170:incip. Viſo themate & his, quę narrata ſunt col.2. ſentit vſurariū non manifeſtum non puniri aliter de iure Canonico quam reſtitutione. Decium ſequitur Rolādus à Valle conſ.75.nu.22.lib. 1. vt eum allegat Menochius lib.2.de arbit.Iud.quæſt.caſ. 248.num.34.

*Concluſio affirmatiua.* Vſurarius non manifeſtus in foro Canonico poteſt extra ordinem puniri ad arbitrium iudicis. Philippus Corneus in conſ. 19. incipien. Prima facie. lib.3. Andr. Alciat. in cap. 1. à nume.52. de offic.ordin. Menoch. & alij ab eo allegati nu. 40. probatur. Vſurarius etiam non manifeſtus peccat contra legem diuinam, naturalem, & Canonicā: Ergo ratione talis tranſgreſſionis aliqua pœna poteſt affici pro quātitate delicti. Item vſura non ſolum eſt contra omnem legem, ſed etiam aduerſatur

bonis

bonis moribus, ergo poteſt puniri etiam à iure Eccleſiaſtico præter pœnas, à ſacris canonibus ſtatutas extraordinariè. Ex his elicitur, quod vſurarius manifeſtus à fortiori extraordinariè à Iudice Eccleſiaſtico poteſt puniri pœna pecuniaria pro arbitrio vt tradunt Ioan. Baptiſta à S. Seuerino in Repet. L.Cunctos populos. C. de ſumm. Trinitat. nu.60. qui dicit ſic conſuluiſſe Ioan. Petrucium & Benedictum à Capra Doctores excellẽtes Peruſinos coram Epiſcopo Cornetano pro fiſco Eccleſiæ, cui mulcta à iudice adiudicata fuerat & Anton.Rubeus in conſ. 65. qui etiam Corneum conſ.19. libr.3. allegat. Ad rationes in cõtrarium. Ad primum. Non ſatis eſt verum, quod ius Canonicum ſolum peccatum conſideret, quod per reſtitutionem tollitur. Attendit etiam peccatum in foro exteriori, vt illud pœna coërceat. Per reſtitutionem quæ legis diuinæ & naturalis eſt ſolum ſatisfit proximo, qui damnum paſſus eſt: Non autem legi & poteſtati, cuius præceptum violat, qui fœneratur. His accedit, quod ius Canonicum etiam alios criminoſos punit, vbi locum habet reſtitutio, præter reſtitutionem, vt in furto & falſario vt c.1.de furt. & cap. Ad falſariorum de falſ. Etſi enim ius Canonicum nulla pœna ordinaria puniat vſurarium nonmanifeſtum,non tamen prohibet,quin

extra-

extraordinariè puniri poſſit. Ad ſecundùm. Qui reſtituere ob paupertatem nequit, nulla pœna punitur poſita in Canonibus, qua ad reſtitutionem vſurarius cogitur, de quibus pœnis in d. locis. Non tamen negatur, quin aliter pro arbitrio iudicis extraordinariè puniri poſſit. Ad tertium. Illud argumẽtum à contrario ſenſu nõ habet locum, cum hic prauus reſultet intellectus. Nec etiam c. Quia in omnibus, & c. Quanquam, negant occultum vſurarium puniendum eſſe, ſi detegatur: cum alias occaſio daretur clam exercendi vſuras, ſed loquũtur in genere quod vſurarius manifeſtus ratione criminis notorij taliter puniendus & cogendus donec perfectam ſatisfactionem faciat pro vſurarum extorſione. Ad quartum. Lex in hoc caſu reſiſtit contractui, & ideò vſuræ non tranſeunt in dominium accipientis: quare fœnerator quaſi furtum committit vt ſenſit Bald. in conſil. 449. incip. Ius naturale lib. 3. Deinde etſi ſciens & conſentiens debitor vſuras ſoluat, dolus tamen in fœneratore cõſideratur; quia malo animo vſuras exercet: vt aliena acquirat, & ſic contra eum agi poteſt. Tandem reſponderi poteſt ex mente S. Thomæ 2.2.q.78.artic.1.ad ſeptimum quod debitor, qui cum vſurario conuenit ſuper ſolutione vſurarum, non ſimplicer dat, & conſentit voluntariè, ſed cum quadam ne-

ceſſitate, in quantum indiget accipere pecuniam mutuo, quam vſurarius ſine vſura non vult mutuare.

## QVAESTIO. V.

*An pœnæ Concilij Lateranen. de quibus in hoc cap. impoſitæ manifeſtis vſurarijs incurrantur ipſo facto, vel ſint infligendæ per ſententiam iudicis: vel breuius, an ſint latæ, vel ferendæ ſententiæ?*

NOtandum & in mentem reuocandum, quod ſupra etiam dictum, quod pœnæ Lateranen. Concilij editæ contra vſurarios habentur in c. Quia in omnibus.

Gloſſa 2. in cap. Cum tu. eod. tit. ſup. Hoſtien. & Goffrid. ibid. volunt pœnas ſtatutas contra vſurarios ibidem non eſſe latæ ſententiæ, ſed ferendæ.

*Concluſio vnica.* Pœnæ Concilij Lateran. in d. ca. Quia in omnibus, de quibus mentio fit in hoc cap. ſunt latæ ſententiæ, & ipſo facto iure incurruntur. Hanc concluſionem tradunt. Innoc. & Panorm. num. 9. in d. cap. Quia in omnibus. Ioan. Baptiſta Lupus in comment. 4. de vſur. in præfat. nu. 21. Angel. in verb. Vſura 2. § 7. Sylueſt. in verb. Vſura 9. q. 4. Et vera eſt concluſio tam de illis, quæ in illo cap. dicuntur de clericis, quam de ipſis vſurarijs, & probatur de clerico, qui acceperit oblationes, aut ad ſepulturam admiſerit vſura-

vſurarios, qui non pœnituerint: vt id reſtituat, & ab officio ſuo ſuſpenſus maneat donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfaciat. Non enim poſſet clericus manere ſuſpenſus, niſi ſententia ipſo iure eſſet inflicta. Idem verbum, ſubiaceat, inducit ſententiam ipſo facto cap.1.de iniurijs lib.6.& cap. Si quis ſuadente 17.q.4. Ergo à fortiori illud verbum, maneat ſuſpenſus. Id quod etiam approbat Andr. Tyraquellus in L. Si vnquam C.de reuocand.donat.in verb. Reuertatur.numero 168. qui omnium latiſſimè tradit, quando Canon , aut ſtatutum ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ. Sed vt Panorm.tradit hoc ca.non eſt magna vis in eo nec eſt controuerſiæ locus,quia de iure nouo habetur, quod ſepelientes manifeſtos vſurarios ſunt ipſo facto excommunicati. Clem. Eos, de ſepult. & in d.c.Quanquam.in 6.dicitur, quod non admittantur ad ſepulturam niſi ſeruent formã d.cap.& teſtamenta eorum ſunt inualida ipſo iure, ſi non ſeruetur forma ibi poſita, vt text.eſt apertus.

## QVÆSTIO VI.

*Quæ ſint pœnæ vſurarij de lege ciuili?*

PRIMA *Concluſio.* De iure ciuili vſurarius pœna infamiæ notatur. L. Improbum

fœnus C. ex quibus cauſis infamia irrogetur, & communiter DD. ibidem. Canoniſtæ. Panormit. Ancharan. & alij in cap. Inter dilectos de exceſſib. prælat. idem habetur in iure Canonico c. Infames. 3. q. 7. & 6. q. 1. ca. Infames.

*Secunda Concluſio.* Talis pœna infamiæ ipſo iure irrogatur. Gloſſ. in d. Leg. Improbum. Salycet. Cynus & Alber. ibidem. Panormitanus cum alijs in d. capit. Inter dilectos, & hæc eſt communis opinio, vt teſtatur ex alijs Iul. Clarus lib. 5. recept. ſenten. §. Vſura, numero 16.

*Dubium hic eſſe poteſt.* An etiam infamia notentur qui exercent vſuram intra terminos à iure ciuili moderatos in L. Eos. C. de Vſur. de quibus ſup. Videtur quod non, cum moderatæ vſuræ in d. L. ſint permiſſæ, & tantum reprobentur, quæ excedunt centeſimam, ergo veriſimile eſt legem ciuilem non affeciſſe infamia eos, qui terminos prçſcriptos non excedunt. Sic probat Gloſſ. 1. in d. L. Improbum fœnus, quam ſequitur Dominic. Geminianus in conſil. 77. colum. penult. Panorm. in d. ca. Inter dilectos hanc dubitationem mouet, ſed tamen indeciſum reliquit. Sit ergo.

*Tertia Concluſio.* Nunc fœneratores etiam exercentes Vſuram intra terminos à iure ciuili definitos in d. L. Eos de iure ciuili infa-

miæ

miæ pœnæ notantur. Cynus, Salycet. Iacob. Butrigarius,&alij in d.L Improbum fœnus, & hanc communem eſſe ſententiam atteſtatur Salycet. in d.L.Improbum. Didac.3.var. reſol.cap.3.num.2.Iul.Clar.loc.cit.nume.16. & Menoch.li.2. de arbit. Iudic. qq.caſu.398. num.30.Ratio adfertur à Doctoribus. Leges ciuiles improbum fœnus exercentes infamia affecerunt.Iure autem naturali & Canonico indiſtinctè in quacunque quantitate, vſuræ ſunt improbæ & prohibitæ, vtpote quæ contra iuſtitiam & communem Reipublic. vtilitatem tendunt. Legislatores ergo ſecundùm rectam rationem non reiecerunt hanc pœnam, ſed in ſuis legibus iuri naturali &canonibus apud Chriſtianos ſubſeruiunt, & ſic non puniunt exercentes vſuram moderatam per d. Leg. Eos. vt iudices iuris ciuilis, ſed vt miniſtri iuris naturalis & Canonici, quod omnem vſuram abominatur.

*Quarta Concluſio.* Vſurarius occultus non eſt infamis, donec crimen per euidentiam facti, aut iudicis ſententiam ad hominum notitiam fuerit deductum, & manifeſtum redditum. Salyc. & Couar.loc. cit.& probatur ex d. L. Improbum quæ infamia afficit exercentes improbum fœnus, quaſi exercitium eius criminis ipſum publicare debeat &in d.c. Inter dilectos, requiritur frequens

mutui datio, eo quod ad infamiam iuris requiratur, vt crimen ſit publicum. Et probatur ratione. Fama bona, non oritur niſi ex publica bonorum operum notitia. Ergo infamia, quæ ei opponitur non naſcitur niſi ex publica cognitione criminis perpetrati. Quod ſatis conſtat ex L. Cognouimus. ff. de varijs & extraord. cognitionib. cum dicitur. Exiſtimatio eſt dignitatis illæſæ ſtatus legibus & moribus comprobatus; quæ ex delicto noſtro auctoritate legum aut minuitur: aut conſumitur.

*Quinta Concluſio.* Clericus vſurarius, qui exercet vſuras, ita vt hoc exercitium ſit publicum: aut per ſententiam fiat manifeſtum etiam eſt infamis ipſo iure. Panorm. in d. ca. Inter dilectos & Couarr. Quare repellitur à beneficio obtinendo Gloſſ. in c. Præterea de Vſur. & probatur ex reg. Infamibus, de reg. iur. in 6. Poteſt tamen Epiſcopus proprius in hac infamia diſpenſare peracta pœnitentia ad effectum obtinendi beneficia Eccleſiaſtica, ex Gloſſ. communiter recepta in d. cap. Præterea.

*Sexta Concluſio.* De iure ciuili & in foro ſeculari fœneratores exigentes & exercentes vſuras etiam infra limites à lege ciuili definitos in d. L. Eos, extraordinariè poſſunt puniri criminaliter, pro arbitrio iudicis, vel

pœna

pœna ſtellionatus,quod in idẽ recidit.Hanc concluſionem tenent Iacob. Butrigar. in d. L.Improbum, qui vult quod vſurarius exigendo vſuras committit dolum, & tenetur crimine ſtellionatus cauſati à dolo non fœnerando,quia conſentiente parte facit, ſed exigendo vſuram olim vltra legitimum modum, hodie quomodocunque Ioan. Baptiſta à S.Seuerino in Repet.L.Cunctos populos C. de ſumma Trinit. & probat. Crimen vſurarum eſt contra Deum, contra Canones, contra naturam,& bonos mores. Ergo puniri poteſt ſaltem arbitrariè quaſi pro crimine ſtellionatus.Ioannes Baptiſta Lupus in comment.4.de vſur.in præfat. num.18.prope finem.Iul.Clar.in d. §. Vſura. nu. 5. & alij alibi.Dixi in concluſione (etiam infra limites à lege ciuili in L. Eos definitos) propter Menoch.in d.caſ.398.num.15. qui putat Butrig.Ioan.Bapt.Clarum cũ alijs intelligẽdos, quando vſuræ exercẽtur vltra legitimũ modum,& aliàs hanc nõ obtinere cõcl.Sed plane ideo poſita eſt Butrigarij ſentẽtia, vt animaduertat lector,eũ non rectè interpretatũ à Menochio,cum apertè diſtinguat inter olim,& hodie.Butrigarius autẽ in primis hãc ſentẽtiam docuit,quem reliqui ſecuti. Idem patet ex ratione Ioan.Bapt.à S.Seuerino,qui ad verbum allegat Butrigar. & ſtatim pro probatione ipſius doctrinæ facit rationem

adiũctam, quæ profecto locum habet etiam in vſura infra terminos à iure ciuili moderatos, & hoc debuiſſet animaduertiſſe Menoch. quod omnes DD. quos pro ſua ſententia allegat tanquam ducem Butrigarium ſequantur, quare aliter non poſſunt intelligi, quam ipſe ſentiat. Et ab hac ſententia magis communis DD. opinio, quę ſentit vſuras etiam de iure ciuili prohibitas, non poteſt eſſe aliena. Quare vt bene obſeruauit Butrigarius in primis, licet paucis expreſſerit olim præcipuè tempore Iuſtiniani alia fuiſſet ratio, quando adhuc ſtabatur moderationi L. Eos. Hodie autem quomodocunque vſura committatur poteſt extraordinariè puniri, & Ioan. Baptiſta. Lupus loc. cit. idem annotauit, quod Menochij, & aliorum quos allegat, & putauit ſecundùm mentem Menochij docere, opinio tempore Iuſtiniani vera erat. Nunc vero poſtquam per canonum conſtitutionem illi legi fuit derogatum, etiam exigens vſuras intra modum d. L. Eos. Improbum fœnus committit vt Cynus. Salycet. Paulus Caſtrenſis & alij cõmuniter ſentiunt, ergo talis vſurarius poteſt puniri: & Confirmo ad hominem. Secundum Menochium, & alios, quos putat ſecum ſentire, ſi quis exerceat vſuras excedentes moderationem L. Eos, poteſt extraordinariè puniri, ratio, quia tale fœnus eſt Improbum per text. & anno-

tata

tata in L. Improbum. C. Ex quib. cauſ. infam. irrog. & d. L. Eos. Sed ſecundùm communem ſententiam in d. L. Improbum, & alibi nunc etiam exercens vſuram intra terminos d. L. Eos, committit improbum fœnus, qua de cauſa etiam infamiam ipſo iure incurrit: ergo. Quod vero Molinæum cum alijs allegat in tract. de commerc. nume. 156. recte facit Menoch. Ipſe enim cum ſentiat contra Euangelium, canones, ius naturale, & totam tam Theologorum quam Iuriſperitorum doctrinam, vſuram moderatam in d. L. Eos, eſſe licitam, conformiter loquitur non eſſe locum vlli pœnæ, niſi in vſura excedente metas d. L. Eos, nec aliud improbum genus vſuræ agnoſcit. At alij DD. aliter ſentiunt & loquuntur vt patet ex dictis.

*Septima Concluſio.* Quando conſtitutionibus Principum ſecularium pœnæ decretæ ſunt in fœneratores & exercentes vſuram, à iudicibus ſecularibus eis inhærendum eſt. Probatur. Quia tales conſtitutiones iuſtè fieri poſſunt à poteſtate ſeculari non obſtãtibus canonibus, qui etiam pœnas in vſurarios ſtatuunt. Ioan. Andr. Archidiac. & Dominic. in cap. de vſur. in 6. Fortun. à Garzia in lib. de vltimo fine iuris Canonici & Ciuilis illat. 5. prope finem. Didac. in Epitome de ſponſalib. 2. part. cap. 6. in principio nu. 19. & alij ab eo allegati. Ergo iudices, qui ſubdun-

tur talibus conſtitutionibus, debent ſecundùm eas iudicare,& pœnas diſcernere. Quia ſtatuta ſicut etiã leges obligant in foro conſcientiæ. Panorm. Innocent. Anton.& alij in c. Quia plerique de immunit. Eccleſia. Gloſ. in ca. Quæ in Eccleſiar. in princip. Bald. ibidem de conſtit. Ioan. Andr. in c. Quanquam de vſur. in 6. Federi. Senen. in conſ. 21. incip. Nunquid hæres: Quod multis allegationibus comprobat. Andr. Tyraq. lib. 1. de vtroque retractu in præfatione numer. 73. Vnde etiam Iudices ſolent iurare quando ſuſcipiuntur, quód velint iudicare ſecundùm ſtatuta & conſuetudines locorum. Quis enim negabit iuſta & rationabilia eſſe ſtatuta, quibus vſuræ, quæ omni iuri,&Chriſtianæ charitati aduerſantur, coërcentur & propulſantur.

Sic ſanè etiam gentiles ſtatuerũt. Marcus Cato in principio de re ruſtica. Maiores, inquit, noſtri ſic habuerunt, & ita in legibus poſuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Quanto peiorem ciuem exiſtimarunt fœneratorem, quam furem, hinc licet exiſtimari. Apud Germanos in conſtitutionibus Imperij in comitijs Auguſtanis de Anno domini 1500. ſub Maximiliano primo,& de Anno 1548. ſub Carolo V. Imperatoribus in tit. de vſurarijs contractib. mandatur, & conſtituitur pro iudicibus

cibus ſupremis, medijs & infimis, ne ſuper contractibus vſurarijs iudicent, aut executionem faciant, & præterea vt ipſum vſurarium amiſſione quartę partis ſortis mulctet: quæ ſanè conſtitutiones iuſtiſſimæ ſunt, & vtinam eſſent, qui vigilarent, vt rigidiſſimè ſeruarentur. Apud Hiſpanos regia lege 1. & vlt. tit. 2. lib. 8. ordinationum teſte Didaco 3. variar. reſol. cap. 3. num. 2. prope finem, vſurarius ita punitur, vt pecuniæ ab eo, ſub vſuris datæ debitori cedant, & acquirantur, & præterea totidem nummos ſoluere damnatur, qui inter certas perſonas diſtribuuntur. Quod ſi vſurarius ſemel hac pœna punitus, iterum in idem crimen inciderit, amittit dimediam bonorum partem, & demum ſi ita ſemel, ac iterum penitus in eandem tertio labem inciderit, omnibus bonis totoq; patrimonio mulctabitur, & id, addicēdum erit regio fiſco, atque accuſatori, vel denunciatori. Tanta nunc hominum auaritia, & multorum cupiditas in acquirendo lucrum per fas nefaſq; vt niſi ſeuera fiat animaduerſio, diuites pauperes ſicut Lupi reliquos piſciculos deuorent vſuris, & ſimulatis contractibus.

INNO-

# INNOCENTIVS III.

*Maritus recipiens pignus pro dote promiſſa non tenetur fructus computare in ſortem.*

SALVBRITER *& infra. Sanè generum ad fructus poſſeſſionum, quæ ſibi à ſocero ſunt pro numerata dote pignori obligata computandos in ſortem non credimus compellendum. Cum frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonij ſupportanda.*

Caſus cap. eſt. Quidam accepit aliquam in vxorem certa ſibi dote à ſocero conſtituta, ſed quia ſocer de pręſenti dotem non tradidit, dedit genero quaſdam poſſeſſiones in pignus, donec dos perſoluatur. Quæritur nunc. An fructus de poſſeſſionibus pignori datis percepti debeāt computari in ſortem, ſiue ſummam principalem dotis. Reſpondet Pontifex, quod non. Quia frequenter fructus pignoris non ſufficiunt ad onera matrimonij ſupportanda. Text. clarus eſt, ſed quę ſit ratio huius deciſionis; multum laboris faceſſit Doctoribus tam Theologis quam Canoniſtis, vt ex q. ſeq. patebit.

QVÆ-

# QVÆSTIO VNICA

*Quæ ſit ratio, quare gener non teneatur computare fructus pignoris in ſortem: & quouſque hoc ſe extendat?*

QVæſtio ob varia, quę Doctores in varijs locis dicunt, ſatis intricata eſt, & plus moleſtiæ fortaſſe quam vtilitatis latet.

*Prima Concluſio.* Varij ſunt Doctores in reddenda ratione deciſionis in hoc ca. Concluſio probatur ex ſequentibus.

Prima ſententia communis, quod gener recipit fructus pignoris non computando in ſortem ratione intereſſe damni emergentis: aut lucri ceſſantis. Hanc tenent ex Theologis Conrard. de contractibus qu. 35. concluſ. 5. & 7. Gabriel. in 4. d. 15. q. 11. articul. 2. caſu quarto, Ioan. Maior. ibidem q. 31. verſ. Tertius caſus. Adrian. in 4. in tract. de reſtitut. in q. de vſur. verſ. Sed dubium videtur. An promiſſa certa pecuniæ quantitate, &c. Et hãc communem Theologorum eſſe ſententiam fatetur Ioan. Medina in C. de reb. per vſur. acquiſ. q. 2. §. Ad cap. Salubriter. Huic ſententiæ etiam adhærent Iuriſperiti. Hoſtien. Ioan. Andr. Panormit. & alij in hoc cap. Bartol. in L. In inſulam §. Vſuras. ff. Soluto matrim. Bald. in L. final. §. præterea. colum. 2. de iure dotis. Alexand. conſil. 178. incip. Viſo proceſſu cauſæ vertentis. nu. 10. lib. 7.

lib.7.Dec.in conſ.119.incipien. Et pro tenui facultate mea diligenter, numer.4.& hæc eſt communis opinio, auctoribus Molinæo de commerc. quæſt. 74.numero 524.Nauar.in comment.de vſuris, à num.65.& Dydac. libro 3.variarum reſol. cap. 1.à num.3.Dominicus Sotus lib.6.de iuſt.& iur.q.1. articul. 2. non longe à fine tribuit Adriano, quod gener non poteſt illos fructus vltra ſortem niſi ratione lucri ceſſantis recipere, ſed puto quod Adrianus vt ex eius verbis colligitur, velit comprehendere intereſſe tam lucri ceſſantis, quam damni emergentis in genere.

Secunda ſententia Ioan. Ananiæ in hoc cap.num.8.Baldi Nouell.de dote 7.par. priuilegio 3.Alex.in conſ.141. in cap. Viſo themate cum dubijs libr.5. & conſ.31. incipien. Viſo themate prædicto col.3.libr.6. & Caietani 2.2.quæſt. 78. art. in quo loco etiam videtur facere mentionem eius opinionis, quam Sotus Adriano & alijs tribuit, eamque breuiter refutat. Horum ſententia eſt, quod gener accipit tales fructus ratione onerum matrimonij, quæ omnem maritum, ſiue negocietur, ſiue non: vt Caietan. ait, conſtat ſuſtinere: Cum ad hunc effectum fructus dotis ſint deputati. Huic opinioni fauet textus huius c.in fine, quando reddit rationem, dicens. Cum frequenter dotis fructus non

ſuffi-

ſufficiant ad onera matrimonij ſupportanda.

Tertia ſententia tribuitur à Nauarro, Medinæ loc.cit.quod gener recipit fructus poſſeſſionis vltra ſortem non computando,qui ſocer videtur donare, & ſic in textu excuſatur ratione donationis præſumptæ, & hoc modo putat, quod à multis conditionibus, & difficultatibus liberetur.

Quarta ſententia eſt Soti loco cit. qui arguit aljos, quod nõ intellexerint, quid nam ſit onera matrimonij ſuſtinere,de quibus in text.mẽtio fit. Non eſt enim ſimpliciter idẽ, quod vxorem familiamque alere, vt in alijs oneribus vſu venit, ſed eſt eandem alere reſeruata ſemper dote. Tenetur enim ſemper maritus vxori de integra dote:& quia præter dotem debet illam alere etiamſi non ſit negociator, recipit iure fructus pignoris, donec dos ſoluatur:quia præſumitur,quod aliquid illa dote emeret, vnde illa ſalua, vxoriũ onus ferret. Et ideo L. Pater ff. de doli mali & met. except.docet, quod quando pater alit filiam non poteſt gener recipere fructus pignoris. In his ſententia Soti continetur, quam etſi Nauar.diſtinguat, tamen in veritate partim incidit in primam; partim in ſequentem.

Quinta ſententia eſt Fortunij à Garzia in libr. de vltimo fine illatione 6. principali, qui

qui Doctor certè ſubtiliter diſcurrit circa rationem text. quæ eſt, quod frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonij ſupportanda. Aduerte, inquit, & nunc intelliges medullam illius cap. de qua Bononiæ vidi plures Doctores voces effudiſſe. Ego vero, ait, tam ſcholaris eram in circulis diſputando: ita conſiderabam, & in primis præſupponebam, quod text. ille loquitur in fundo, vt ex litera patet. Rurſus dicebam quod dos iure naturali debebatur filiæ à patre cap. Cum haberet, de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulter. & L. 1. §. Ius naturale. de iuſt. & iure. & c. Ius naturale 1. d. Nam dos datur loco alimentorũ, ad quæ pater omnino tenetur L. Si quis à liber. §. Non tantum alimenta ff. de lib. agn. ſed etiam ad alia neceſſaria vt ibidem & in L. Si filia §. 1. famil. Herc. Tertium conſiderabam, quod aliquando euenit, quod dotis fructus non ſufficiunt ad onera matrimonij, vt in d. L. Si filia §. 1. & in d. ca. ſalubriter. Quartum conſiderandum erat, quod ferè ſemper hoc eſt contingibile, & euenit in facto, quod pignus excedit valorẽ debitæ quãtitatis: alias in tam tuto nõ eſſet creditor. At cõſiderabam etiam, quod legiſlator ſemper conſiderat, & circumpenſat, qualitatem, naturam & conſuetudinem, quæ ſolet haberi,

& id

& id legibus probat dictus auctor. Nunc conſiſtit huius Doctoris ſententia in hoc, quod pater tenetur dotare filiam ſuam, aut alere ipſam, dos enim ſuccedit loco alimentorum, quam diu ergo non dat dotem, fructus pignoris relinquit loco alimentorum, & onerum matrimonij, & donare videtur. Hæc ſententia aliquando etiam placuit Nauar. Sexta eſt Doctoris Nauarri loco cit. qui breuiter confutatis alijs, aliam reddit, videlicet, quod attēto, quod dos traditur in vxoris patrimonium ad ferēda onera matrimonij L. Pomponius ff. famil. Herciſcund. & quod intētionis dantis dotem eſt, vt illa ſeruetur, & non conſumatur L. Vbi adhuc C. de iure dot. & quod oneribus matrimonij inſeruiat c. Per veſtras de donat, inter vir. & vxor. attentis item alijs priuilegijs dotis, & ita qui eam dat, aut promittit, non ſolum illam dotem expreſsè promittit: ſed etiam tacitè præſumitur promittere pro prędictis oneribus tantum emolumenti, quantum ex dote illa ſoluta ſalua exiſtente poteſt facere, ſiue decerpere aliquis homo mediocri prudentia & diligentia præditus ab illo tempore, quo illa eſt ſoluenda, & ab eo, quo incipit maritus prædicta onera ſuſtinere vſque ad ſolutionem, & nulla habita ratione alterius damni, aut lucri ceſſantis mariti. Et ita dans & accipiens dotem dato & accepto pignore

fructifero pro ſecuritate dotis promiſſæ videntur tacitè paciſci, vt omnes & ſoli fructus illius pignoris capiantur pro ſolutione illius emolumenti tacitè promiſſi. Hanc ſuam conſiderationem probat. Primò ex iuribus allegatis. Secundo qui promittit cẽtum, clericis alicuius Eccleſiæ cum onere dicendi vnam miſſam in qualibet hebdomada, & quod illa maneant ſemper ſalua, & quod incipiãt dicere miſſas à tempore promiſſionis, & non ſoluit iſta ſtatim, ſatis videtur profecto promittere id, ſine quo promiſſum conſiſtere nequit, arg. L. 2. ff. de iuriſdict. omnium Iudic. cap. Præterea de offic. deleg. Tertio generalis conſuetudo huic ſententiæ conſentit, & text. cap. Salubriter inſinuat, quando ait: Cum frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonij ſuſtinenda. Hæc eſt ſententia Nauarri, quæ proponitur alijs quidem verbis, ſed in virtute cum alijs coincidit. Etſi penitus omnia introſpiciamus omnes ſententiæ vltimatè reſoluuntur in intereſſe generale tam damni emergentis, quam lucri ceſſantis veriſimile. Cui ſententiæ ſi quis adiungat, quod ſocer tradens genero pignus fructiferum ob dilatam ſolutionem, donare præſumatur fructus, ſi qui illud intereſſe veriſimile excedant ratione onerum matrimonij, quæ in æquilibrio non poſſunt ita taxari, & etiam

iam quandoque contingat fructus dotis nõ ſufficere vt Pontifex dicit, non video quid obijci poſſit. Illud enim intereſſe in hoc caſu fauore dotis & coniunctionis ſanguinis non eſt metiendum in mathematica quantitate, ſed probabili, morali & veriſimili latitudine. His accedit, quod inter ſanguine coniunctos & amicos, quibus omnia ſunt communia facile præſumitur tantilli exceſſus, ſi quis forte ſit, donatio præſertim ob onera matrimonij patientius toleranda, & per hæc facilis eſt reſponſio ad ea quæ Angel. quem Gabriel. Syluest. & alij ſequentes obijciunt, quod quando fructus excedunt onera matrimonij ſint computandi quantum ad exceſſum in ſortem, quod minimè verum eſt: Si quando excedant, aliquando etiam non ſufficiunt. Et ſicut gener poteſt filam ſoceri, ſi ſatis diues ſit & ſocer inferioris conditionis, ſine dote accipere: Sic etiam ſocer diues poteſt genero ampliorem aſſignare dotem, quam onera matrimonij poſtulent. Inter amicos & ſanguine iunctos multa mutua beneuloentia compenſantur.

*Secunda Concluſio.* Quod fructus ſecũdum præſens c. non computentur in ſortem non eſt quid ſpeciale in fauorem & priuilegium dotis adiunctum, ſed ius commune ratione veriſimilis intereſſe traditur. Bald. Nouellus

in tract.de dote.part.7. priuilegio.3. Adrian. loco citat. Couarr. Molin. in tractat. de commerc. num. 525. & alij alibi. Ratio ſumitur ex dictis. Cauſa enim quare hoc licitum ſit, eſt verum veriſimile intereſſe, quod ab omni creditore, qui efficacem & veram eius cauſam dat, iuſtè exigi, & recipi poteſt, vt ſupra traditum eſt.

*Tertia Concluſio.* Speciale eſt fauore dotis, vt gener, cui dos à ſocero eſt promiſſa, acceptis pignoribus fructiferis, fructus percipiat, donec dos ſoluatur, nec teneatur in ſortẽ computare, etiamſi ab initio nulla pactio præceſſerit de fructibus percipiendis vltra ſortem: Id enim iure ineſt contractui dotali, & in hoc contractu ea de cauſa, præſumitur: In alijs vero minimè niſi probetur. Adrian. Couarru. Molin. locis citat. Quod & tacitè Nauarr. in explicatione ſuæ opinionis videtur innuere. Quibus addo quod mihi iuxta dicta multò ſpecialius videtur fauore onerum matrimonialium, & ſanguinis cauſa, quod tales fructus etiamſi ſuperent intereſſe aliquando, non tamen computentur in ſortem: Cum aliâs ſemper fructus ſint commenſurandi intereſſe probabili, & ſi excedãt ſint computandi, quod Angel. Sylueſt. Gabriel. & alij volunt etiam in hoc contractu faciendum: quorum ſententia facile ratione huius priuilegij ſpecialioris excluditur.

*Quarta*

*Quarta Concluſio.* Promiſſa dote, nec tamen ea ſoluta, licitum eſt genero cum ſocero paciſci, quantum debeat ſingulis annis ſoluere, donec dos perſoluatur. Hæc concluſio eſt contra aliquos Canoniſtas. Ioannem Andr. Cardin. Anton. de Butrio, Ioan. à Lignano. Ambroſium de Vignate nu. 14. in hoc cap. Laurent. à Rodulph. in c. Conſuluit. 2. part. q. 73. & alios alibi. Concluſionem vero docent tam Theologi quam Iuriſperiti. Conrard. de contractib. quæſt. 35. conclu. 7. Adrian. ex profeſſo in 4 loco citat. Angel. in verb. Vſura 1. §. 25. Ioan. Maior in 4. d. 15. quæſt. 31. verſ. Tertius caſus. Syluest. in verb. Vſura 3. quæſt. 3. Caietan. 2. 2. quæſt. 78. artic. 2. ad 6. Dominic. Sot. vbi ſupra & alij alibi, quibus conſentiunt Iuriſperiti. Panormita. Ioannes Calderin. & Ancharan. in hoc cap. Bald. Nouell. loco allegato. Bartol. & Alex. in L. In inſulam §. Vſuras ff. ſoluto matrimonio, quemadmodum dos ſoluatur. Philipp. Corneus in conſ. 145. incipien. In hac conſultatione libr. 2. Alexand. conſ. 31. incipien. Viſo themate prædicto. numer. 11. lib. 6. Nauar. in d. comment. de vſur. nume. 67. & horum opinio communis eſt, vt atteſtantur Alexand. in d. §. Vſuras. Molin. & Couarru. Ratio conclſionis ſequitur ex dictis. Deciſio capit. huius innititur intereſſe veriſimili: Nihil autem obeſt, quo minus hoc

ab hæredibus mariti iuſtè exigere certam quantitatem loco alimentorum, donec dos perſoluatur, quando per ipſam nõ ſtat, quo minus dos reſtituatur. Alexand. in d. conſ. 200 libr. 6. Paulus Caſtren. in conſ. 429. incipien. Viſo caſu ſupraſcripto numero 4. libro 2. Ancharan. in reg. Peccati venia qu. 4. de reg. iur. in 6. Nauarr. in d. commen. Sot. & alij alibi, & hæc opinio paſſim recepta videtur, & fuit in prætorio Neapolitano iudicum ſententia approbata auctore Mathæo ab Afflict. in deciſ. 284. quem refert. Couar. cui tamen hæc concluſio, non omni ex parte placet, cum putet eam æquitate potius, quam iure probari. Ego vero puto eam iure cap. Salubriter omnino probari, ſi ita intelligatur, quod quantitas alimentorum non excedat notabiliter intereſſe probabili dotis, quod habere poſſet, ſi reditus ex dote emerentur, ſed ei moraliter reſpõdeat. Concluſio ſatis probatur ex 5.

*Septima Concluſio.* Vidua relicta mariti infra annum viduitatis non poteſt hæredes mariti cogere ad reſtitutionem dotis. Annus autem talis venit computandus à die ſolutionis matrimonij. Gloſſ. in L. 1. §. exactio. C. de rei vxoriæ actione, Bartol. & alij ibidem. & DD. communiter in d. L. Diuortio, in principio. Huius cõcluſionis ratio eſt.

Quia infra primum annũ poſt ſolutum matrimonium, conſideratur à lege,ac ſi adhuc in matrimonio eſſet,ratione cuius licet cauſa dotis ſit fauorabilis, tamen quia dos non eſt in immobilibus, quæ poſſint reſtitui ſtatim, ſed in mobilibus, quæ forte vel conſumpta, vel diſtracta fuerunt. Lex conceſſit annum hæredibus ad reſtituendum. Anno elapſo,quam primum poteſt vidua etiam iudicialiter, ſi aliter non detur, dotem ab hæredibus mariti exigere.

*Octaua Concluſio.* Infra annuum viduitatis, ſi vidua pauper,nec aliunde habet, vnde viuat, ſi hæredes mariti ſtatim dotem non reſtituant, tenētur viduæ ad alimenta. DD. in d.§.Exactio & d.L.Diuortio.

*Nona Concluſio.* Lege aut ſtatuto poteſt ſanciri, vt viduæ relictæ ab hæredibus mati, quamdiu dos non ſoluitur certa annua pecuniæ quantitas numeretur. Hæc conc. eſt contra multos Iuriſperitos. Ioan. Lignanum & Immol. in Clem. 1.de vſur.Panorm. in conſil. 39.libr.2.& alios DD.in hoc capit. Angel. & alios in d. L. Diuortio. & horum communio eſt communis, vt ex alijs refert Couarr. Hanc autem concluſionem tradũt S.Antonin.2.part.titu. 1. cap. 7.§.31. Angel. in verb.Dos §.vltimo.Syblueſt. in verb.Vſura 3.quæſt.8.Conrard.de contractib. quæſt. 35. conclu. 11. & 12. Adrian.in 4.in q.de Vſur.§.

Sed

Sed dubium videtur. An promiſſa certa pecuniæ quantitate. Caietan.2.2. q.78. artic. 2. ad ſextum. Card. Zabarella in Clem. vnica de vſur. Bald. in L. fin. §. Præterea nume. 5. C. de iure dot. Couarr. loc. citat. Ioan. Baptiſta Lupus in comm. 1. de vſur. §. 4. num. 91. Martin. Nauarr. in commen. de vſur. numer. 68. Franciſc. Viuius libr. 2. recept. ſentent. verſ. Conſuetudo ſeu ſtatutum, & alij alibi. Diuerſi autem diuerſo modo ſaluant talia ſtatuta. Caietan. ait, ſtandum eſſe prouinciæ & patriæ ſtatutis, quando reuera pro communi patriæ commodo, ad pacem inter affines, ad remouendas lites, ad ſolicitandum debitores vt timore pœnarum ſoluant, quod debent, introducta ſunt. Alij Theologi communiter ſaluant talia ſtatuta ratione pœnæ legalis, quam ſtatutam in fauorem viduarũ apponunt, contra hæredes mariti differẽtes reſtitutionem dotis. Quidam Iuriſperiti volunt ſic à lege vel ſtatuto taxari legitimum ac legale intereſſe. Couarru. vult ſententiam huius concluſionis intelligendam, vbi attẽto communi prouinciæ vſu, quantitas à ſtatuto taxata eſſet veriſimile lucri ceſſantis intereſſe propter facilem & frequentiſſimam annuorum redituum redimibilium emptionem.

*Decima Concluſio.* Si maritus non ſuſtineret onera matrimonij non poſſet recipere

fructus dotis, vel eius intereſſe. Hæc concluſio, ex text. huius cap. elicitur. Fructus percipiuntur in hoc caſu de pignore, nec computantur in ſortem propter onera matrimonij & verum intereſſe. Ergo vbi vir non fert onera matrimonij, nec patitur intereſſe, non poteſt recipere fructus, aut intereſſe. Panormitanus in conſil. 79. in fine libr. 2. Gloſſ. Bartol. Alexand. & alij in L. Si ab hoſtibus. §. Si vir vxorem ff. ſoluto matrimonio. Marſil. ſing. 264. & DD. in hoc capite.

*Dubium.* An quis poſſit filiam non aliter dotare, quam mutuando genero pecuniam, vt filiam ſine dote capiat. Exempli gratia. Ioannes eſt diues, & auarus, qui non libenter iacturam rei pecuniariæ facit, habet filiam iam maturam nuptijs, quam in matrimonium cogitat tradere Paulo adoleſcenti induſtrio, & ad negociandum apto, pauperi tamen, & quia ipſe Ioannes magis curat de ſordido lucro, quam honore ſuo & ſalute propria (quod commune eſt ſordidæ auaritiæ) conuenit cum Paulo quod loco dotis mutuabit ei ad triennium, aut quadriennium 1000. aureos ad negociandum: quæritur in dubio, an talis contractus ſit licitus. Videtur quod ſic. Quia poteſt quis vxorem indotatam accipere. Ergo etiam cum mutuo.

*Vnde*

*Vndecima Concluſio.* Non eſt licitum, ſed vſurarium mutuo dare alicui pecuniam ad terminum, vt filiam in vxorem accipiat indotatam. Hanc concluſionem docet Dominicus Sotus libro 6. de iuſtitia & iure qu. 1. articu. 2. in fine. Ratio enim clara eſt. Ob mutuationem nemo poteſt obligari vltra ſortem ad aliquid pecunia æſtimabile ex cõmuni ſententia & definitione vſuræ & cap. Si fœneraueris 14. quæſt. 3. cum alijs ibidem annotatis. Sed omnium rectè ſentientium iudicio pecunia æſtimabile eſt, quod aliquis vxorem accipiat indotatam. Ergo non licet vi mutui aliquem ad id obligarę; cum ſit iniuſtum & vſurarium. Quod in oppoſitum adfertur, nihil mouet. Quia ex amicitia vel amore honeſto, poteſt quis indotatam accipere vxorem, vt contingit, quando vir honeſtus Chriſtianæ charitatis flamma incenſus, temporali ſubſtantia benę à Deo prouiſus pauperem alicuius inferioris ciuis honeſtam tamen & piam amore honeſtatis & pietatis in vxorem ducit, cuius parentes ob inopiam nullam poſſunt aſſignare dotem, cũ non habeant. At longe alia ratio eſt in præſenti. Mutuatio ex natura ſua gratis fieri debet, nec pro ea aliquid accipi poteſt ſine vſura, nec obligatio oneroſa ſine crimine induci valet.

De

De hac materia plurima, quæ metam huius commentarij excedunt, legi poſſunt apud DD. allegatos.

# INNOCENTIVS III. AD EPISCOPVM BONONIENſEM.

*Repetens vſuras non auditur, niſi reſtituat extortas per ſe, vel alium, à quocunque cauſam habeat.*

## CAP. XVII.

MICHAEL *laicus ſuam nobis querimoniam deſtinauit, quod M. & quidã alij Bononienſes ciues multa extorſerunt ab eo, & à patre ſuo, cuius hæres extitit nomine vſurarum: & infra. Attentius prouiſurus: ne auctoritate noſtra in negotio procedas eodem: niſi dictus conquerens reſtituerit, vel adhuc reſtituat, ſi quas aliquando ipſe, vel pater eius extorſit vſuras.*

Materia huius cap. ſupra habita eſt in cap. Quia fruſtra.

IDEM

# IDEM INNOCENTIVS IN CONCILIO GENERALI.

*Iudæi compellendi ſunt ad reſtituendas vſuras extortas à Chriſtianis, & ad ſoluendas decimas: vel oblationes de eorum poſſeßionibus.*

## CAP. XVIII.

QVANTO *amplius Chriſtiana religio ab exactione compeſcitur vſurarum: tanto grauius ſuper his Iudæorũ perfidia inſoleſcit: ita quod breui tempore Chriſtianorum exhauriunt facultates. Volentes igitur in hac parte proſpicere Chriſtianis, ne à Iudæis immaniter aggrauentur: Synodali decreto ſtatuimus: vt ſi de cætero quocunq; prætextu Iudæi à Chriſtianis graues immoderatasq́; vſuras extorſerint, Chriſtianorũ eis participium ſubtrahatur: donec de immoderato grauamine ſatisfecerint competenter. Vnde Chriſtiani (ſi opus fuerit) per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellantur ab eorum commercijs abſtinere. Principibus autem iniungimus: vt propter hæc non ſint Chriſtianis infeſti: ſed potius à tanto grauamine ſtudeant cohibere Iudæos. Hac eadem pœna Iudæos credimus compellendos ad ſatisfaciendum Eccleſiis pro decimis & oblationibus debitis: quas à Chriſtianis de domibus & poſſeßionibus alijs percipere conſueuerant antequam ad Iudæos quocunq; titulo deueniſſent, vt ſic Eccleſiæ conſeruentur indemnes.*

Ex

Ex hoc cap. in primis DD. notant vnum effectum vſurarum, nempe quod exhauriant facultates hominum, & conſequenter breui tempore paupertatem inducant, quæ res periculoſa animabus eſt iuxta illud Salomonis. Diuitias & paupertatem, ne dederis mihi Domine.

Deinde vna obiectio hic moueri poteſt. Pontifex prohibet exigi vſuras immoderatas. Ergo à contrario permittit moderatas. Reſpondent communiter Doctores, quod licet regulariter valeat argumentum à contrario ſenſu, fallit tamen quando iuri reſultat contrarius intellectus, aut abſurdus ſenſus, aut contrarius legi: Moderatæ autem vſuræ etiam de lege naturali, diuina, & canonica ſunt prohibitæ: Tandem notandum, quod Iudæi etiam tenentur ad decimas & oblationes, quando hoc onus annexum eſt poſſeſſioni, quæ ad eos peruenit: Quia res tranſit cum ſuo onere. Aliâs contingere poſſet, quod Eccleſiæ multum detraheretur, ſi Iudæi multas ædes & plurimas poſſeſſiones emerent.

## QVÆSTIO VNICA QVÆ PLVRES INVOLVIT.

*An aliqua poteſtas poſſit Iudæis concedere licetiam vſuras etiam moderatas exercendi?*

HVic quæſtioni hæ difficultates affines ſunt.

ſunt. An poteſtas ſecularis abſque ſedis Apoſtolicæ auctoritate poſſit. An Pontifex per ſe. An cum auctoritate Principis aliqua ciuitas, aut Reſpublica poſſit pacta & capitula inire cum Iudæis, vt moderatas vſuras accipiant mutuãdo: Ita vt virtute talium pactorum & capitulorum ſubditi illius ciuitatis: aut Reipublicæ poſſint cogi à Iudicibus ad ſolutionẽ vſurarum ſic moderatarum. Quęſtiones ſatis graues ſunt, quibus præſuppoſitis quibuſdam, breuiter per concluſiones reſpondebitur.

*Primum præſuppoſitum.* Tam de iure Canonico quam ciuili in corpere iuris clauſo permiſſum eſt Iudæis habitare apud Chriſtianos, modo id faciant ſine ſcandalo Chriſtianorum & iniuria creatoris, vt patet in tit. de Iudæis, & in C. eodem titul. Non debent tamen Chriſtiani nimiam familiaritatem cõuerſationemque cum eis habere capit. Ad hæc, & cap. fin. de Iudæis, & id propter periculum ſubuerſionis, quod imminet ex nimia magna conuerſatione: Hinc non debent Chriſtiani cum Iudęis comedere: aut eos ad ſua conuiuia vocare: aut recipere, 28. quæſtion. 1. can. Nullus & omnes. Ex eodem capite procedit quod in infirmitate, non licet eos vocare, nec medicinas ab eis recipere ex dicto capite. Nullus. & capit. Omnes.

Quod

Quod tamen intelligendum ſine neceſſitate ſecundùm DD. Si enim alius in loco non eſſet medicus: aut non haberetur ita peritus pro præſenti infirmitate curanda, tunc licitum eſſet vti opera Iudæi;tamen ſemper abeſſe debet nimis magna familiaritas, nec intercedere periculũ ſubuerſionis. Non enim eſt curandum corpus cum periculo, aut interitu animæ.

*Secundum præſuppoſitum.* Quando Iudæi permittuntur habitare cum Chriſtianis non ſunt perturbandi, ſed permittendi in ſuis ritibus & cæremonijs, vt docet B. Gregorius in Regiſtro libro 11. capit. 15. cuius verba habentur. d. 45. capit. Qui ſyncera. Omnes, inquit, feſtiuitates ſuas, ſicut hactenus ipſi &patres eorum per longa colentes tempora tenuerunt, liberam habeant obſeruandi celebrandique licentiam. Quare autem Iudæorum ritus, & non aliorum infidelium ſint tolerandi, rationem reddit S. Thomas 2.2. q.10. artic. 11. Ex hoc enim quod Iudæi ritus ſuos obſeruant, in quibus olim præfigurabatur veritas fidei, quam tenemus hoc bonum prouenit, quod teſtimonium fidei noſtræ habemus ab hoſtibus, & quaſi in figura à nobis repræſentatur, quod credimus, & ideo in ſuis ritibus tolerantur. Aliorum autem infideliũ ritus, qui nihil veritatis habent: aut vtilitatis adferunt, nulla ratione

ſunt permittendi, niſi forte ad aliquod malum vitandum, vt propter ſcandalum, aut diſſidias: quæ ex hoc poſſint oriri, vel impedimentum ſalutis eorum, qui paulatim ſic tolerati conuertētur fortaſſe ad fidem. Propter huiuſmodi cauſas Hæreticorum & paganornm ritus aliquando Eccleſia tolerauit, quando erat multitudo infidelium. Hæc S. Thom.

*Tertium.* Quando Iudæi inter Chriſtianos ex permiſſione eorum, quibus competit, habitant, vtroque iure prohibitum eſt, vt non habeant officia publica, nec præeminentiam, aut miniſterium inter Chriſtianos d.54.ca.Nulla 17.q.4.cap.Conſtituit. & cap. Cum ſic, cum fin. de Iudæis. C. de eod. tit. L. fin. Ratio eſt, ne habeant occaſionem ſæuiendi in Chriſtianos. Alia ratio poteſt ſumi ex S.Thom.d. quæſt.artic.10. Quia de facili, illi qui ſubijciuntur aliorum iuriſdictioni, immutari poſſunt ab eis, quibus ſubſunt, vt ſequantur eorum imperium, niſi illi, qui ſubſunt, magnæ fuerint virtutis. Si quis objjciat L. Generaliter, §.fina.ff. de Decurion. quæ permittit Iudæis, vt promoueantur ad dignitates. Reſpondetur, quod L. permittit, quod inter ſuos Iudæos, & non inter Chriſtianos poſſint promoueri, quia vbi ceſſat ratio legis, quæ eius anima eſt, ceſſat etiam Lex. Ratio autem quare prohibeantur inter

Chriſtianos dominari in publicis miniſte-rijs, ceſſat apud Iudæos inter ſe. Ex dictis patet, quam Chriſtiano nomini ſit congruum & legi, tum Canonicæ, tum ciuili cõſonum, quod nunc vt intelligo in quibuſdam Germaniæ locis apud eos, qui ſe Chriſtianos profitentur aliqui magnates & Domini Iudæos ſuper ſuos ſubditos conſtituunt præfectos: aut in ſuos recipiunt quæſtores ac factores. Nec minus irrationabile eſt, quod quidam qui Catholicæ ac Romanæ Eccleſiæ adhærent, ſubſtituunt in præfecturis, & alijs officijs publicis, Caluiniſtas, vt dominentur Catholicis, in quibus, cum Catholici ſanguinis ſint ſitientiſſimi, nec aliam religionem præter ſuam factionem ferre queant, multo magis militant rationes, quas canones & leges ciuiles contra dominium Iudæorum ſuper Chriſtianis adferunt. Generoſis Dominis & verè Catholicis Chriſtianiſque Principibus conuenit, vt etiam non habeant niſi Catholicæ religionis miniſtros per quos ſubditos Catholicos in obedientia, tranquillitate, & vero Dei & vniuerſalis Eccleſiæ cultu regant. Sicut enim qualis eſt Rex, talis etiam populus: ita etiam ſuo modo qualis eſt populus, talis debet eſſe Rex.

*Quartum.* Non vbique apud Chriſtianos permittuntur habitare Iudæi, vt præſertim

in

in Regnis Hiſpaniæ, vbi nomen huius populi valde eſt inuiſum, & Galliæ, vbi id non ſine grauibus & vrgentibus rationibus fieri credendum eſt. Habitant autem Iudæi paſſim in Italiæ ciuitatibus, quæ Pontifici Ducibus, aut Rebuſpublic. liberis ſubſunt: Ac etiam in multis Germanię vrbibus, quę Imperio parent. Non eſt autem in poteſtate vniuſcuiuſque Domini, aut domicelli pro ſua voluntate Iudęos ſuſcipere, ſed id ſpectat ad eos, qui non recognoſcunt ſuperiorem in ſecularibus: aut ad alios, quibus indultum eſt à Dominis ſupremis vt conſtat ex praxi Italiæ, & apud Germanos ex conſtitutionibus Caroli V. fœliciſſimæ memoriæ Imperatoris Politicis editis Anno Domini 1548. in commitijs Auguſtanis. cap. 20. vbi de Iudæis & eorum vſuris in hunc modum ſtatuitur. Ne Iudæi plebem inopem, egentemque ſupra quam quiſque æſtimare poſſit, grauent, & ad pleraque facinora occaſionem præbeāt. Conſtituimus, & volumus, ne quis porro Iudæos ſuſcipiat: aut vlli ſuſcipere cōcedatur, præterquam illis qui à nobis & ſacro Imperio Regalia habent: aut ſpecialia ad hoc ipſum priuilegia acceperunt. Quiſq; item magiſtratus ſub quo Iudæi habitant, neceſſariam æquamque prouiſionem faciat, ordinationem formamque ſalutarem

conſtituat, ne ſui aliorumque ſubditi per Iudæos, eorumque impias & execrabiles vſuras miſerè grauentur: & perdantur: Et in ea re æqualis ordinatio inter extraneos pariter & incolas ſeruetur. De eadem materia habetur in ordinatione Politica Imperij reformata à deputatis Imperij Francofordiæ Anno Domini 1577. in tit. 20.

*Quintum præſuppoſitum.* Bene fieri poteſt, quod Iudæi habitent apud Chriſtianos, & non exerceant vſuras, ſed mercimonijs, labore manuum, alijſque licitis contractibus neceſſariam & honeſtam vitæ ſuſtentationem quærant, vt fieri videmus paſſim in Italiæ, & Germaniæ vrbibus, vbi Iudæi habitant. Quare non neceſſariò ſequitur. Talis princeps ſuſcipit Iudæos, & permittit inter ſuos habitare. Ergo permittit: aut dat licentiam exercendi cum ſuis ſubditis vſuram.

*Sextum.* Pro intelligentia huius materiæ, annotandum ex Angelo in verb. Vſura. 2. §. 14. Conrardo de contract. q. 22. concluſ. 7. Gabriele in 4. d. 15. q. 11. concl. 3. Ioan. Andr. in reg. Peccatum, de reg. iuris in 6. in Mercurialibus & alijs alibi, quod conceſſio ſiue permiſſio eſt triplex.

Prima dicitur ſimplex permiſſio, ſiue tolerantia, quæ conſiſtit in non puniendo. Hæc enim indulget pœnam temporalem, ſed

ſed non tollit culpam: hæc permiſſio poteſt etiam dici diſſimulatio. Hoc modo etiam Deus multa permittit ad maius bonum in præſenti vita, quæ tamen in futura puniet.

Secunda permiſſio, eſt quæ vltra diſſimulationem pœnæ tollit etiam impedimẽtum, & hoc modo Eccleſia concedit Iudæis ſub Iuriſdictione ſua habitãtibus licentiam ſeruandi ſua cæremonialia & feſta: quãuis ſint abolita & ſublata per legislatorem noui teſtamenti ſaluatorem noſtrum. Quia non ſolum non punit eos pro tali peccato, ſed prӕter hoc Chriſtianis prohibet, ne eos moleſtent & perturbent.

Tertia permiſſio præter dicta includit auxilium, fauorem & conſenſum, vt ſi quis nõ ſolum ſuſcipiat Iudæos ad habitandum, ſed etiam præſtet conſenſum & auctoritatem exercendi vſuram. Hoc modo ſecundùm aliquos DD. Lex ciuilis permittit vſuras moderatas in L. Eos. C. eodem tit. Quia nullam pœnam imponit vſurarijs, & dat etiam actionẽ in iudicio pro ex actione vſurarum, & volentem impedire ſolutionem, prohibet, vt alibi plenius declaratum. His addendum, quod multum differunt ſimpliciter tolerare peccatum, & in idem conſentire. Conſentire in peccatum eſt actus poſitiuus, quo voluntas vult peccatum, ſibique in eo complacet. Tolerare autem ſim-

pliciter eſt actus poſitiui negatio, cum ſit nõ punire, ſed diſſimulare pœnam. Et nunquam licet conſentire in proprium aut alterius peccatum: quamuis ſæpe alienum liceat tolerare.

*Septimum.* Permiſſio ſimplex peccatorum per ſe non eſt mala, cum etiam Deo conueniat, quando ordinatur ad debitum finem, vt ad conſeruationem boni, quod inde prouenire poteſt: aut ad malum vitandum vt tradit S.Thom.2.2.q.10.art.11. Cum autem regimẽ humanum à diuino deriuetur, quẽadmodũ Deus aliqua mala in vniuerſo permittit fieri, quæ prohibere poſſet, ne eis ſublatis maiora bona tollantur: vel etiam peiora mala ſequantur, rectè etiam in regimine humano, qui præſunt, aliqua mala tolerant; ne bona aliqua impediantur: vel peiora mala incurrantur. Ex qua doctrina, metienda eſt regula eorum, quæ ſunt permittenda vt bene Caiet.in locum allegatum S. Thomæ obſeruauit.

*Vltimum præſuppoſitum.* De materia huius concluſionis tractant Latius alijs Conrard. de contractib.q.25.26.27.& 28.breuius, Angel.in verb. Vſura 2. §. 14. Sylueſt. in eodem verb.9.q.vltim. & ex Iuriſperitis ex profeſſo Petrus Ancharan.in conſil.235. incip. Chriſtianiſſime & Illuſtriſſime Princeps. Alex. in conſil. incip. Circa primum dubium primo argui-

arguitur.lib.2.& eod.lib.conſ.107.incip.pro inueſtigatione prædictorum poſſet diſcuti. Paul. Caſtren. conſ. 398. incip. Non videtur expediens 2. part. quod conſilium non bene à quibuſdam citatur. Andr. Barbat. conſil. 16. incip. Viſo puncto & ſolemni animaduerſione, lib. 4. Iaſ. in L. Cunctos populos, à nu. 54. C. de ſumm. Trinit. & doctius alijs in rep. eiuſdem L. Ioan. Baptiſt. à S. Seuerino à nu. 43. & nouè breuius tamen Martin. Nauar. lib. 5. conſil. 3. in tit. de Iudæis & eod. lib. conſ. vlt. iuxta Romanum. exemplar. Nunc pro reſolutione ſit.

*Prima Concluſio.* Nulla poteſtas in terris, ſine peccato poteſt conſentire in exercitium vſurarum Iudæorum, vel etiam Chriſtianorum ad conſequēdum quodcunque bonum: aut ad vitandum etiam malum, probatur. Roman. 1. Non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt faciētibus, digni ſunt morte, & faciens, & conſentiens æquali pœna conſtringuntur. 2. q. 1. cap. Notum in fine. cap. de offic. deleg. Ergo etiam in æquali ſunt culpa: cum pœna culpæ correſpondeat. Secundo, non licet conſentire in actum ex ſua natura malum. Exercitium autem vſurarum ex ſe malum eſt, quippe quod repugnat iuri naturali, diuino & humano. Neque facit ad rem, ſi bonus finis proponatur tali actui; tum quia iuxta Apoſtolum

non ſunt facienda mala, vt eueniat bonum, tum quia intentio finis boni non iuſtificat actum ex ſua natura malũ, ex Magiſtro cum communi in 2.ſentent.d. 40. Pluribus hanc concluſionem confirmat Conrard. in d.qu. 26.concl.1.& 2.ſed in re clara non eſt immorandum.

*Secunda Concluſio.* Nulla poteſtas iuſtè poteſt permittere Iudæis exercitium vſurarum participando aliquando lucrum ex tali permiſſione, Caiet, 2.2.q.78. art. 1.ad 2.& 3. Nauar.in Man. confeſſ. cap. 17. nu. 195. & in d. conſ.3.nu.6. Concluſio probatur. Talis poteſtas implicitè & indirectè conſentiret in peccatum & exercitium vſurarum, quod ex genere ſuo peccatum & malum eſt vt cõſtat ex verſibus illis vulgaribus.

*Iuſſio, conſilium, conſenſus, Palpo, recurſus,*
*Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.*

Quos verſiculos explicat Sanct. Thom. 2.2.q.62.articul.7. Sed conſentire in peccatum, malum eſt, vt conſtat ex prima concluſione. Deinde talis poteſtas communicaret & participaret etiam in lucro iniuſto, & reſtitutioni obnoxio, quod iniuſtiſſimum eſt ſecundùm communem omnium DD. ſententiam, & quicquid ſic reciperet, teneretur ad eius reſtitutionem, vt clarum eſt apud Theologos.

*Tertia Concluſio.* Poteſtas tam Eccleſiaſtica, quam

ca, quam ciuilis non peccat, quando ex iuſtis cauſis Iudęos permittit permiſſione ſimplicis tolerantiæ moderatas exercere Vſuras. Probatur. Iuſtinianus ſecundùm multorum Theologorum ſententiam ſic permiſit vſuras moderatas per L. Eos in C. eodem titul. Sic ſentiunt S. Thom. 2.2. quæſt. 78. articu. 1. ad 3. Caietan. ibidem Gabriel. in 4. d. 15. q. 11. articu. 1. Dominic. Sot. libr. 6. de iuſt. & iur. q. 1. articu. 1. ad 3. & alij alibi. Permiſit enim leues vſuras, vt impediret, ne pauperes grauioribus opprimerentur, & eorum vtilitates impedirentur. Deinde vſura in antiqua lege ſimplici tolerantia fuit permiſſa erga alienigenas ad euitandum maius malum, ne ex magna auaritia fratres vſura exhaurirent, quemadmodum etiam ob duritiam cordis libellus repudij fuit permiſſus S. Thom. art. cit. Caietan. ibidem Alexand. Halen. 3. par. q. 36. & 66. Conrard. de contractibus q. 24. conclu. 2. Turrecrem. 14. q. 4. c. vlt. Hoſtien. in ſumma in tit. de vſur. §. in aliquo, & alij alibi. Ergo & nunc ſine peccato ex cauſis rationalibus poteſt permitti. Præterea permittuntur hoc modo apud Chriſtianos meretrices & lupanaria ad vitanda maiora mala iuxta illud Auguſtini in libr. 2. de ordine capit. 7. relatum à S. Thoma 2. 2. quęſt. 10. artic. 11. & communiter in praxi receptum. Aufer meretrices è rebus humanis, & turbaueris

omnia libidinibus. Tandem id in multis locis præſertim Romæ receptum eſt. In quam ſententiam etiam itum eſſe videtur in conſtitutione Caroli Quinti ſupra allegata.

*Quarta Concluſio.* Non peccant Domini, aut poteſtates, nec ſunt excommunicati ex communicatione Clement. 1. de vſur. ſtatuendo cõſtitutionibus, & ordinationibus, vt nemo niſi tantum accipiat, id eſt exprimendo minores Vſuras ſimplici tolerantia, & prohibendo ſimpliciter maiores. Gloſſ. in d. Clemen. 1. in verbo facere. Conrard. in q. 27. conclu. 5. Angelus in verb. Vſura 2. §. 14. Sylueſt. in eodem verb. 9. quæſt. vltim. Laurent. à Rodulphis in cap. Conſuluit 2. part. quæſt. 184. & allegat pro ea ſententia Paulum & Guilhelmum in d. Clemen. Nauarr. in Manuali confeſſ. cap. 27. nume. 143. Conſtat concluſio. Quia talis ordinatio non approbat vſuras vt licitas, ſed tantum permittit minores, prohibendo maiores & immoderatas. Atque huiuſmodi ordinationes partim ſunt permiſſiuæ videlicet reſpectu minorum vſurarum; partim prohibitiuæ, quantum ad maiores & immoderatas. Hic reſolui poteſt dubium de quo Bald. in L. Si cum. §. Qui iniuriarum, prope finem ff. Si quis cautionibus & poſt eum Alexand. in conſil. 159. incip. Viſis & oportunè conſideratis.

ratis.num.28.lib.2. An quando ſtatutum dicit quod vſurarius de libra non poſſit vltra, vel præter duos denarios accipere, videatur permittere de duobus denarijs, & reſpondent, quod non. Quia reſultaret abſonus intellectus, & iuri contrarius: quia videretur ſtatutum vſuras permittere. Reſpondetur paucis, quod tale ſtatutum permitteret leues vſuras ſimplici tolerantia, & nihil abſurdi; Hoc eſt, non enim punit in foro exteriori eum, qui tantum duos denarios de libra acciperet, ſed excedentem, non tamen vult iuſtificare vſurarium accipientem duos denarios, quaſi in conſciẽtia licitum ſit duos accipere denarios: Hic enim intellectus eſſet abſurdus, & approbaret vſuram vt licitam.

*Quinta Concluſio.* Summus Pontifex non poteſt diſpenſare, quod vſura ſit licita, & conſequenter vt Iudæi licitè & ſine peccato exerceant vſuras, probatur. Concluſio ex capit. Super eo eodem titulo, vbi Pontifex huius concluſionis fundamentum ponit, quãdo dicit. Cum crimen vſurarum vtriuſque teſtamenti pagina deteſtetur ſuper hoc diſpenſationem aliquam poſſe fieri non videmus, & communiter hanc concluſionem tenent DD. in d. cap. Super eo. Cum enim vſura ſit contra ius naturale & diuinum, cui Pontifex nõ poteſt detrahere, non

poteſt

poteſt diſpẽſare, vt licitè etiam pietatis cauſa vſura exerceatur. Multis probat hanc concluſionem Conrard. in q. 28.conclu.1. Hæc concl.videtur contra Anchara. Alex.& Paulum Caſtren.in conſ.allegatis: quibus viſum eſt poſſe Romani Pontificis diſpenſatione & priuilegio Iudæis permitti vſurarum excitium erga Chriſtianos, vt eis tribuit Couar.lib.3.variar. reſol.c.1.num.8. Verum horum doctorũ error fortaſſe eſt in ignorantia diſtinctionis, confundere videntur permiſſionem & diſpenſationem, cum tamen ſatis magna ſit differentia.

*Dubium nunc eſſe poteſt.* An aliquis Dominus ſecularis cũ conſenſu populi poſſit concedere Iudæis exercitium vſurarum, cum pactis, moderationibus, & capitulis honeſtis ob publicum bonum, ita vt auctoritate iudicis Chriſtiani non ſoluentes Iudæis tales vſuras poſſint cogi ad ſolutionem. Iaſon. in L.Cunctos populos C. de ſumm. Trinitate in prima lectura à numer.54. videtur ſentire quod non, maximè adductus auctoritate Baldi ibid.colum.4.& in Auct. Ad hæc C.de vſur.colum.2.qui docet quod Papa, aut Imperator propter bonum publicum nõ poſſint permittere, quod vſuræ exerceantur. Ancharan.Caſtren.Alexand.& Barbat.in d. con.& Ioan. ab Anan. in cap. Poſt miſerabilem nume.5.de vſur. tradunt quod Princeps ſecu-

ſecularis nō poteſt talia capitula facere cum Iudæis ſine licentia ſedis Apoſtolicæ. Ioan. Baptiſta à S. Seuerino in d. Leg. Cunctos populos à num. 54. dubitat. An Pontifex poſſit hoc concedere alicui populo ob vrgentem publicam neceſſitatem & pro vtraque parte aliqua argumenta adfert, tandem ſubijcit ſua dicta determinationi ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ in prædictis & alijs quibuſcunque. Angelus & Sylueſter in locis citatis tribuunt dictis Iuriſperitis in conſilijs allegatis, quod ſentiant talia ſtatuta & pacta poſſe cum licētia ordinarij ſiue proprij Epiſcopi fieri: ſed videntur non legiſſe eorum conſilia: ſic etiam non plenè, ſed imperfectè citant, vt eſt videre in ipſis conſilijs & auctoribus. Diſputant enim ipſi & conſulunt, quod auctoritate Pontificis poſſit fieri, vt clarum eſt ex ipſis conſilijs. Cauſa permiſſionis erat. Quia multi Chriſtiani Chriſtiano nomine inſigniti pauperum Chriſtianorum ſubſtantiam immoderatis vſuris deuorabant, ſic pro minori iactura pauperum, ne etiam in neceſſitate frigeſcente charitate Chriſtianorū, deſtituerentur auxilio, pactionibus & moderationibus, minores vſuræ Iudæis permittebantur.

*Sexta Concluſio.* Summus Pontifex poteſt concedere Iudæis, vt moderatas exerceant vſuras cum honeſtis pactis & conditionibus

ob

ob bonum publicum & Chriſtianorum tum vtilitatem, tum neceſſitatem, & abſque peccato ſtatuere, vt Chriſtiani non ſoluentes compellãtur auctoritate Iudicis ad ſolutionẽm. De hac concluſione Iuriſperiti in ſuis conſilijs minimè dubitant: Si enim ipſe alijs poteſt dare licentiam, vt facere poſſint cum Iudæis pacta & ſtatuta: Multo magis ipſe poteſt dare & concedere licentiam. Probatur Concluſio. Vniuerſalis eſt talis conſuetudo, & obſeruantia in tota Italia vt dicti auctores atteſtantur, & acceſſerunt priuilegia Martini Quinti. Et Eugenij Quarti. Et etiam noſtris temporibus Gregor. XIII. fœliciſſimæ memoriæ Bulla quadam confirmauit capitula bancheriorum Hæbreorum in vrbe Roma, quæ data fuit in Camera Apoſtolica, Anno Domini 1577. prima Februarij. Huius Bullæ mentionem facit Nauarrus in d. conſ. 3. qui expreſsè hanc concluſionem tenet ibidem. & in d. conſ. vltim. Deinde Pontifex poteſt permittere & tolerare aliquod malum, vt aliquid peius euitetur can. Denique d. 4. & 23. quæſt. 4. can. Non poteſt. Ergo cum honeſtis pactis & capitulis poteſt Iudæis permittere, vt moderatas exerceant vſuras impunè, & Chriſtianos, qui pro ſua vtilitate & neceſſitate mutuo accipiunt, cõpellere ad ſolutionem, cum talia pacta pro eorum vtilitate ſint introducta & ideo merito

rito ſeruanda. Neque obſtant cap.1. de vſur. in 6.& Clemen.1.eodem titu.quæ pœnas afficiunt cogentes ad ſolutionem vſurarum, & impedientes reſtitutionem: Quoniam hæc iura quatenus humana ſunt non ligant ſummam Pontificem capit. Propoſuit, de præbend.

*Septima Concluſio.* Princeps ſecularis, ex cauſis vtilitatem & neceſſitatem communem concernentibus cum licentia Pontificis poteſt etiam honeſtis& iuſtis moderationibus Iudæis concedere, vt exerceant vſuras, & cogere auctoritate iudicis mutuantes ad ſolutionem vſurarum moderatarũ. Hæc Concluſio eſt Pauli Caſtrenſis. Alexander. Andr. Barbat. & Nauarr.in conſil. allegatis. Probatur Conclu. Nullum peccatum poteſt prætendi ex huiuſmodi permiſſione. Ergo eſt ſeruãda. Non ex parte Chriſtianorum recipiẽtium ad vſuram, cum hoc in neceſſitate eis ſit licitũ ca.ſuper eo.eod.tit. Nec etiam ex parte Iudæorum mutuãtium: Nihil enim ad nos de his, qui ſunt foris c.Gaudemus de diuort. Nam, vt canon ait. Superuacuæ rei videtur dare operã, qui coërcere Iudæos nititur à peccato, vtpote iam damnati propter perfidiam. Si ergo hoc decretum non reperitur hodie continere in ſe peccatum. Ergo permiſſum: Cum omnia ſint de genere permiſſorum niſi inueniantur prohibita capit. Inter

Inter corporalia,de translat.Epiſcop. Quod profecto multò fortius verum eſt, quando licentia ſummi in Eccleſia Monarchæ accedit, qui in Canonibus, quatenus ius humanum comprehendunt,poteſt diſpenſare. At Clemen. 1.continet quantum ad pœnas & cenſuram ius humanum. Ergo quando Põtificis licentia accedit tollitur tale ius, nec culpa incurritur, nec pœnæ eſt locus. Alias rationes faciunt dicti Doctores. Si quis obijciat hic illud, quod Guilhelmus de monte Lauduno in Clem.1. de vſur. quem refert & ſequitur ibid. Cardinalis. Quid, inquit, de Rege Aragonum, qui leuat tributum à Iudæis & Sarracenis propter vſuras, quas permittit eos exercere, incidit ne Rex, vel eius officiales in excommunicationam? & reſpondet quod ſic. Reſpondetur ad hoc argumentum, cum Barbat. & alijs, quod hoc verum eſt, quia in hoc caſu ſola conceſſio principalis ſecularis interuenit, quæ non eſt ſufficiens. Sed aliter melius reſponſum datur quod in hoc caſu Regis Aragonum alia ratio eſt, non enim illi erat ſimplex permiſſio, ſed implicitus conſenſus, cum perciperet tributum ex tali permiſſione vſurarum.Omnes autem, vt bene atteſtatur Barbat.in d.conſ.nu.1.aperto ore tenent, quod principes ſeculares non poſſunt percipere tributum à Iudæis, quos permittũt publicè

fœnerari.

fœnerari. Qua in re nunc etiam puto grauiſſimum peccatum à multis committi, qui Iudæos recipiũt in ſuam tutelam & habitationem propter grauiſſima tributa & commoda, quæ ab eis ſperant, & extorquent, & ſic conniuent, quando grauiſſimis vſuris Chriſtianos opprimunt.

*Octaua Concluſio.* Princeps ſecularis ſuperiorem non recognoſcens auctoritate propria iuſta de cauſa, modo in lucro non participet, poteſt Iudæis permittere vſurarum exercitium in terris ſibi ſubiectis cum pactis & moderationibus honeſtis, & abſque peccato poteſt Chriſtianos compellere ad obſeruationem talium pactorum, & ad ſolutionem vſurarum permiſſarum. Hanc concluſionem tenet. D. Nauarr. in conſil. 3. & 4. libr. 5. in tit. de Iudæis. Probat, Reges & alij principes poſsũt permittere, & de facto permittunt ex iuſtis cauſis exercitium aliorum peccatorum notoriorum, vt fornicationes in Lupanari cap. Meretrices 32. q. 4. cap. Inter opera, de ſponſalibus. Secundo. Pontifex notorie permittit in terris ſuis, vt Romæ & alibi Iudæis exercitium vſurarum cum dictis capitulis & pactis. Et non videtur ratio vlla, quare Reges & principes non recognoſcentes ſuperiorem etiam nõ poſſint permittere in ſuis prouincijs & dominijs: Cum Papa non plus poſſit facere, quod vſura ſit

 licita,

licita, quam Rex: quippe quæ repugnat iuri naturali & diuino vtriuſque teſtamenti, & Pontifex magis ſit obligatus ad reſiſtendum peccatis, & exercitio eorundem, quam reges & principes ſeculares. Conſulendum tamen putat Nauar. Principi ſeculari, vt faciat cum conſenſu & licentia Pontificis, & hoc tutius eſt pro bono conſcientiæ, vt etiam tradit Ancharan. in d. conſilio prope finem: Quia bonarum mentium eſt culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt, & in dubijs tutius eſt abſtinere cap. Iuuenis de ſponſalibus. Contra hanc concluſionem forte vt alicui videbitur, militabit Clemen. 1. de vſur. cui Principes ſeculares ſubſunt. Reſpondet, & pulchrè ad longum diſcurrit ſuper expoſitione illius Clem. Paulus Caſtren. in d. conſ. qui legi poterit. Deinde dici poteſt quod talia ſtatuta & capitula ſimpliciter permittunt minores vſuras, & prohibent maiores & ſic non includuntur in d. Clemen. vt ſupra in concluſione 4. traditum cum Gloſſ. illius Clem. & alijs Doctoribus.

*Nona Concluſio.* Princeps recognoſcens ſuperiorem non poteſt iuſtè permittere Iudæis exercitium vſurarum in terris ſuis ſine auctoritate Pontificis, aut Regis ſiue principis non recognoſcentis ſuperiorem, ſub cuius ſuprema iuriſdictione viuit. Nauar. loco citat. Ratio ea eſſe videtur. Sicut enim

non

non eſt licitum vnicuique ſuſcipere Hebræos ad habitandum, ſed tantum competit Pontifici, Regibus & principibus non recognoſcentibus ſuperiorem: & alijs quibus à ſupremis per regalia & priuilegia conceditur. Ita neque inferioribus, videtur competere, vt permittant exercitium vſurarum Iudæis, niſi accedat auctoritas ſuperioris.

*Decima Concluſio.* Iudæi habentes licentiam à Pontifice exercendi vſuram in terris Eccleſiæ, non poſſunt eam exercere extra regna & Dominia non ſubiecta Pontifici, quoad Iuriſdictionem temporalem. Nauar. in d.conſ. 4. numero ſecundo. Quia priuilegia ſunt reſtringenda. capit. Porrò. & cap. Sanè de priuileg. & diſpoſitiones corrigentes, & exorbitantes ita ſunt interpretandæ vt alterius iuri non præiudicent. Præiudicarent autem alijs Dominis temporalibus, ſi talia priuilegia extenderentur extra Dominia Pontifici quantum ad temporalia ſubiecta.

*Vndecima Concluſio.* Quando à Principe non recognoſcente ſuperiorem, aut ab inferiori cum licentia ſupremi, Iudæis cum capitulis & conditionibus congruis conceditur exercitium vſurarum in ſuis Dominijs, non eſt permittẽdum vt ſub maioribus

vſuris mutuent extraneis, quam indigenis. Hanc cõcluſionem in virtute tradit Nauar. in conſ. vltimo. num. 9. lib. 5. conſiliorum, & eam clarè etiam probat Conſtitutio Caroli V. ſupra in 4. præſuppoſito allegata in capit. 20. Poſtquam enim ordinaſſet, vt magiſtratus, ſub quo Iudæi habitant, æquam prouiſionem facerent & formam ſalutatem præſcriberent, ne ſui aliorumque ſubditi per Iudæos impijs & immoderatis vſuris grauentur, ſubdit. Et in ea re æqualis ordinatio inter extraneos pariter & incolas ſeruetur. Rationes huius concluſionis eſſe poſſunt. Prima ex facultate mutuandi ſub maioribus vſuris extraneis daretur occaſio, vt difficilius mutuo darent indigenis ſub minoribus, quod eſſet nocumentum indigenarum, in quorum vtilitatem deberet dirigi talis ordinatio. Secunda, niſi ſeruetur æqualitas datur occaſio ſuſpicandi, quod ipſe concedens talem facultatem carius mutuandi extraneis id faciat, vt aliquam inde percipiat vtilitatẽ, & participet in lucro, quod ſpeciem mali haberet. Tertia, daretur occaſio murmurandi ſuperioribus poteſtatibus, ſub quibus extranei habent domicilium contra Dominos facientes tam inæqualem licentiam Iudæis, & quaſi ſuppeditantes facultatem emungendi alienos ſubditos, quæ omnia habent colorem mali.

*Duode-*

*Duodecima Concluſio.* Siue Chriſtiani, ſiue Iudæi immoderatas exerceant vſuras quando crimen ad iudicium deducitur & probatur, prima cura Iudici tam Eccleſiaſtico, quã ciuili eſſe debet, vt fiat reſtitutio eis, à quibus vſuras extorſerunt. Concluſio probatur ex hoc cap. & ſupra cap. Cum tu c. Quia fruſtra. cap. Michael. & alijs pluribus, in quibus omnibus locis prima fronte fit ordinatio de reſtitutione facienda eis, quibus vſuræ extortæ ſunt, & ſupra in c. Poſt miſerabilem, Pontifex per principes ſeculares vult Iudæos cogendos ad reſtitutionem vſurarum. Deinde iudicis officium in primis verſatur circa id, vt ſatisfiat parti læſæ, & vt iniuſtitia reducatur ad iuſtitiam, quod nequaquam fieri poteſt niſi eis, à quibus vſuræ extortæ ſunt, fiat reſtitutio. Hæc concluſio eſt cõtra quoſdam iudices & poteſtates, qui quando informantur quoſdam vſurarios præſertim Iudæos, (quibus multi qui Chriſtiano nomine inſigniti ſunt fas eſſe putant rapere ſua, quaſi Iudæi non eſſent homines, nec propria poſſiderent) vſuras exercere, eos quidẽ puniunt ad prouidendum ſibi aut Fiſco potius quam Chriſto; nihil tamen cogitant de reſtitutione facienda eis, à quibus vſuræ extortæ ſunt. Omnes enim ſtudent auaritiæ & burſæ; de pauperis iniuria, qui vſura grauiſſimè læditur, nemo eſt, qui recogitet, vt ei fiat recompenſa-

penſatio damni. Potius profectò iuſtitiæ rigor exercendus eſſet contra Chriſtianos vſurarios, quam Iudæos, cum hi cæcitate percuſſi, & literæ inhærentes licitum ſibi exiſtiment fœnerari gentibus. Chriſtiani autem vſurarij contra apertam Euangelicam veritatem militent & ſuos fratres conſorteſque in fide & religione fœnore diglutient.

## GREGORIVS IX. FRATRI R.

*Vſurarius eſt, qui à debitore recipit aliquid vltra ſortem, etiam ſi ſuſcipiat in ſe periculum. Hoc dicit primo. Non eſt vſurarius emptor rei minus iuſto pretio ſi tunc veriſimiliter dubitetur, an tempore ſolutionis plus vel minus ſit res valitura, hoc ſecundo. Propter dubium excuſatur is, qui ex eo, quod differt ſolutionem pretij, ſi vendit rem plus, quam valeat, ſi non erat eam aliâs venditurus, & hoc tertio.*

## CAP. XIX.

*NAVIGANTI, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod ſuſcipit in ſe periculum recepturus aliquid vltra ſortẽ vſurarius eſt cenſendus. Ille quoq; qui dat decem ſolidos, vt alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddantur: quæ licet tunc plus valeant vtrum plus vel minus ſolutionis tẽpore fuerint valituræ veriſimiliter dubitatur: non debet ex hoc vſurarius reputari. Ratione huius dubij etiam excuſatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit: vt amplius quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eiſdem: ſi tamẽ ea, tempore contractus non fuerat venditurus.*

Tres caſus in hoc cap. deciduntur, prout ex ſumma liquidum eſt, de duobus poſterioribus in cap. In ciuitate pertractatum eſt. De materia prioris hoc in loco agendum.

### QVÆSTIO. I.

*An mutuans nauiganti, aut eunti ad nundinas certam pecuniæ ſummam vltra mare vehendam licitè poßit aliquid recipere vltra ſortem, eò quod recipit in ſe periculum?*

PRo tituli intelligentia aduertendum, quod aut mutuans poteſt in ſe recipere periculum: aut mutuatarius: quæritur hic an mutuans ipſemet à mutuatario poſſit

aliquid accipere, eo quod recipit in ſe periculum pecuniæ traijciendæ per mare: aut transferendæ per loco periculoſa. Contra enim naturam mutui eſt, quod periculum ſpectet ad creditorem, vnde merito dubitatur, an idem creditor aliquid vltra ſortem recipere valeat, eo quod periculum pecuniæ penes ipſum maneat. Peculiare autem eſt in fœnore nautico, quod creditor mutuo dans in ſe periculum propriæ pecuniæ, quam nauigāti dat, recipiat, (intellige in caſibus fortuitis) & non quando culpa prouenit ex parte pecuniam, aut mercem transferentis. L. 1. C. de nautico fœnore. & L. 1. ff. eod. tit. & ſæpius in eiſdem tit. Periculum ſuſcipere in ſe in hac quæſtione nihil aliud eſt, quam ſortē aſſecurare, vt ſi perdatur abſque culpa mutuatarij, totum damnum in mutuantem redundet. Solent autem nauigantes ſæpe naufragium pati, & pericula incurrere, eo quod mare ob tempeſtates alioſque euentus fortuitos periculis abundet. Hinc legitur apud Plutarchum in vita Catonis Cenſorij, quod is dicere cōſueuerit, trium ſe, quæ in vita egerit, pœnitere. Primum, quod arcana fœminæ crediđiſſet. Secundum, ſi quis dies ipſi abſque fructu effluxiſſet. Tertium, ſi quopiam nauigio vectus, quo pedeſtri itinere peruenire licuiſſet. Ad idem facit memorabile Biantis dictum, qui nautam neque inter

viuos,

viuos, neq; inter mortuos reponebat. Huic accedit, quod tanta nauigantibus imminent pericula, vt valetudinarijs & ſenio confectis aliquando à iure æquiparentur, ex text. & DD. in c. Quoniam frequenter. Vt lite non conteſt. & Anton. à Butrio dicit ibidem, quod quis dicatur in mortis periculo, cum mare nauigandum eſt, vel cum per loca inſidioſa eſt tranſeundum ex L.3. & 4. ff. de donat. cauſa mortis. Sic etiam Bald. in cap. Paſtoralis numer. 4. de offic. ordin. docet quod nauigaturus ab excommunicatione abſolui poſſit à ſubdelegato, vt is qui eſt in mortis periculo, cum nauigatio incerta periculoſaque ſit L. Ciuitas. C. de affic. rector. prouinciæ. Ex quibus patet nauigantes cum eorum bonis, quæ nauigio vehunt multis ſubiacere periculis, ſed de his latius Iacob. Menochius lib. 2. de arbitrarijs Iudi. queſtionib. caſu 61. Præterea in magnis emporijs maritimis & mari vicinis nautæ cõſueuere pecunias & merces mare traijcere: Inde fœnus nauticum, & pecunia traiectitia, ſiue nautica originem traxerunt, de quibus paſſim in iure ciuili vt in C. & ff. de nautico fœnore, & in L. Traiectitiæ ff. de action. & obligat. L. Qui Romæ §. 1. ff. de verbor. obligat. His præmiſſis ſit.

*Prima Concluſio.* Mutuare alicui pecuniam per mare vehendam cum pacto, vt mutuo

eandem accipiens teneatur cum mutuante cõtractum aſſecurationis eiuſdem pecuniæ, aut mercium inire, eſt vſurarium. Concluſio patet ex hoc ca. & eſt communis Doctorum ſententia. Ratio clara eſt. Quia mutuatarius ratione mutui obligaretur ad aliquid pretio æſtimabile vltra ſortem, ſcilicet ad ineũdum contractum aſſecurationis.

*Secunda Concluſio.* Si quis gratis & liberè mutuet nauiganti ſummam pecuniæ nauigio trans mare vehendam, & deinde recipiat in ſe periculum illius pecuniæ, poteſt vltra ſortem aliquid recipere ratione recepti periculi & aſſecurationis, virtute cuius tenetur nauigantem indemnem ſeruare in omnem euentum fortuitum, ita vt ſi pecunia pereat, mutuanti, & non mutuatario damnum immineat. Hanc concluſionem tenent Sanct. Antonin. 2. part. titul. 1. cap. 7. §. 21. Conrard. de contractibus. quæſt. 39. conclu. 1. Gabrie. in 4. d. 15. quæſt. 11. in lit. K. Ioannes Maior. in eadem d. quæſt. 31. Angel. in verb. Vſura 1. §. 37. Sylueſt. eodem verb. quæſt. 35. Caietan. in verb. Vſura exterior, verſicu. Caſus duodecimus. Bald. in Rubric. Codic. de nautico fœnore. Iacob. Butrigar. ibidem L. 1. Ioan. Calder. hic, Molin. de commerc. quæſtio. 3. numero 92. Didac. lib. 3. variar. reſolut. cap. 2. numero 5. Martin. Nauarr. in hoc cap. num. 6. cuius ſummam repetit in Manuali con-

feſſa-

faſſariorum cap. 17. à numero 284. Ioannes Baptiſta Lupus in comment. 3. de vſur. à numer. 10. & alij alibi. Probatur concluſio. Talis mutuans nauiganti, ſi non mutuaret, & vellet in ſe recipere periculum, poſſet aliquid ratione ſuſcepti periculi recipere. Ergo præſtando beneficium mutui non fit deterioris conditionis, & confirmatur, poteſt fieri pactum cum aliquo tertio vt ſi pecunia; aut merces aliæ ſaluæ ad portum venerint, habeat is certam pecuniæ ſummam pro pretio ſuſcepti periculi. Si vero perierint, teneatur de damno incurſo L. In naue Saupheli ff. Locati, ibidem Paul. Caſtren. Alex. in L. à Titio. colum. 1. de verborum obligat. Ioannes ab Anania in hoc capit. Laurent. à Rodulph. in cap. Conſuluit. 3. part. quæſt. 3. Couarru. loco citat. & alij alibi. Ergo etiam poteſt fieri cum creditore, modo abſit fraus, cum mutuando non fiat peioris, ſed melioris conditionis. Et ſemper mente tenendum, quod in caſu huius concluſionis non accipitur aliquid præter ſortem, nec etiam ſoluitur ratione mutui, aut vſus pecuniæ, aut nudi intereſſe interuſurij temporis vt Molin. Couarru. Ioannes Lupus & alij tradunt, ſed propter aliam iuſtiſſimam cauſam, nempe ob periculum contra naturam mutui ſpectans ad creditorem. Atq; in hoc loco obſer-

obſeruandum, quod quando mutuatarius, & nauigans ipſemet mallet periculum ſubire, quam pretio redimere à mutuante, qui aliâs non vult mutuare, tunc mens mutuantis corrupta eſt, & verè vel prǽſumptiuè cenſetur vſurarius.

*Tertia Concluſio.* Creditor mutuo dans poteſt etiam ratione periculi in ſe recepti pretium iuſtum accipere, quando pecunia, aut merces transferuntur in terra per loca periculoſa, & prædonibus infeſta. Angel. & Gabriel. loc. cit. Bald. & Paulus Caſtren. in Rubric. C. de naut. fœnor. Molin. Couar. & Nauarr. vbi ſupra. & probatur in primis ex hoc cap. in quo dicitur. Nauiganti, vel eunti ad nundinas. Deinde ratione euidenti. Vbi eſt eadem ratio, ibi militat idem ius. At eadem eſt ratio, quando pecunia mutuo data, transfertur in terra per loca periculoſa, in quibus ob prædonum excurſiones, itinera periculis abundant, vt nũc proh dolor paſſim in Gallia, inferiori Germania, & locis his regionibus finitimis accidit, vbi omnia propter patriæ tumultum, pauperum oppreſſionem & neglectam belli diſciplinam plena ſunt prædonibus & latronibus, nec vſquam viæ ſunt ſecuræ, quamuis principes & Domini terrarum nunc grauiora pedagia, & tributa pro viarum ſecuritate rigidiſſimè exigant, quam vnquam præſtita ſint. Tenentur Domini terri-

teritorij, quando pedagia & gabellas à tranſeuntibus & merces deferentibus recipiunt vias publicas ſecuras & tutas ſuis ſumptibus conſeruare: Quod ſi neglexerint facere, & tranſeuntes damna à prędonibus patiantur: tenentur ad emendationem damnorum, & reparationem ſpoliorum vt DD. tradunt. Angel. in verb. Pedagium §. 8. Syluest. in verb. Gabella 3.quæſt.6. Aurea Armilla eodem verb.numer.16. Archid. in cap. Si quis Romipetas 24.q.3. Turrecrem.ibidem concluſ. 3. Felin. in c. Poſtulaſti. de foro competenti. Bald.in cap.1. §. conuenticulis numer. 7.de pace iuramen.firmand.& cap.1.in verb. Marchio nume. 5. de his, qui feud.dar. poſſ. Cœpola in tract. de ſeruitutibus titu. de ſeruit. ruſtic. præd. cap. de via quæſt. 35. Andr. Gail.latè obſeruat.practic.lib.2.de obſeruat. 64.qui plures allegat. Notandum pro prædicta concluſione cum Molinęo, quod huiuſmodi extenſio non eſt facile admittenda, niſi clarè conſtet de veritate & paritate periculi. Contra duas iam poſitas concluſiones fortiſſimè pugnare videtur præſens cap. quando ait: Nauiganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo, quod ſuſcipit in ſe periculum recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius eſt cenſendus. Vnde elici videtur quod non liceat mutuanti aliquid vltra ſortem accipere ob periculum

culum ſuſceptum. Hæc obiectio petit expoſitionem veram ca. Nauiganti, quantum ad verba allegata:

Prima expoſitio eſt Adriani in 4. ſenten. in tract. de Vſura §. occurrunt circa prius dicta. verſ. Ad primum dico, quod hoc capit. innititur præſumptioni vſurariæ fraudis, quando fingitur & prætexitur periculum, vbi nullum eſt, vel maius, quam ſubeſt. Hãc amplectuntur quantum ad primum membrum. Sotus libr. 6. de iuſtitia & iure, quæſt. 4. articu. 2. in principio & quæſt. 7. art. vltim. prope finem, & latius his. Molin. qu. d. qui eam à nume. 95. probat & ita dicti Doctores volunt, quod hoc cap. intelligatur, quod ſub colore periculi, cum tamen nullum ſubſit, mutuans recipit vltra ſortem à mutuatario nauiganti. Hæc expoſitio reijcitur à Couar. Sed parum vrgenti ratione. In foro conſcientiæ, vt Adrianus rectè ſubijcit eſt ſtandum veritati, & creditur confitenti pro ſe & contra ſe. Vnde examinandus eſt, an realiter pro aſſecuratione ſecundum iuſtam æſtimationem veriſimilis periculi pactum adiecerit: vel pro mutuo, & ſecundum hoc iudicandus vſurarius, & obligatus reſtituere; vel non.

Secunda expoſitio à Couarru. quem ſequitur Ioannes Baptiſta Lupus, etiam attribuitur Adriano loco citat. quod reſponſum

ſum Pontificis procedat in eo caſu, quo pretium ſuſcepti periculi eſt iniuſtum excedens iuſtam ipſius rei atque periculi mercedem: In tali caſu vltra ſortem recipitur id quod iuſtum pretium excedit & datur cauſa mutui & ita ſic recipiens vſurarius cenſendus eſt. Sed in libro, quo ego vtor ex Adriano hunc colligere ſenſum nequeo, nam expreſſe dicit quod hoc cap. innititur pręſumptioni vſurariæ fraudis, puta quod ſingatur periculum, vbi nullum ſubeſt, vel maius, quam ſubeſt, ex quibus verbis prior ſenſus tantum confirmatur, ſi res penitius perſpiciatur.

Tertia expoſitio, quæ frequentiori & cōmuniori Theologorum iudicio approbatur, quod vſurarius cenſeatur, qui nauiganti, aut eunti ad nundinas mutuo dat ſummā pecuniæ cum pacto & conditione vt ſecum contrahat de aſſecuratione & ſuſceptione periculi. Tunc vltra ſortem inducitur obligatio aſſecurandi, & ſuſcipiendi periculum; quæ pretio æſtimatur. Hanc expoſitionem amplectuntur Theologi allegati in ſecunda concl. & alij, & hic verus eſt ſenſus ca. vt Couar. atteſtatur.

Quarta expoſitio eſt Nauar. locis cit. cui adhæret Coſmus Philiarcus Theologus Florentinus de offic. ſacerdotis. lib. 5. c. 7. concl. 2. qui reiecta communi leuem ob rationem, dicit,

dicit, quod Pontifex in d. cap. vult obuiare quam plurimis vſuris palliatis, quæ fiebant mutuando cum aſſecuratione ſuſcepto pro eo pretio, eis qui volentes ſibi mutuari, & non inuenientes, qui gratis mutuarent, fingebant ſe velle traijcere pecuniam in alias terras, & velle eam ſibi aſſecurari, addito iuſto pretio, vt mutuatores inueniret: vt his fraudibus obuiaret Pontifex, induxit præſumptionem iuris contra ſic mutuantem, vt præſumatur & cenſeatur vſurarius. Hæc expoſitio longè eſt petita, & parum textui quadrat.

*Quarta Concluſio.* Leges permittentes & concedentes fœnus nauticum rectè intellectæ, non ſunt reuocatę, nec correctę per hoc cap. Nauiganti. Hæc concluſio eſt contra Hoſtienſ. in ſumma de vſur. §. In alijs, & alios Canoniſtas communiter, vt fatetur & ſequitur Ioan. Anan. in hoc cap. col. prima. Salycet. in Authent. Ad hæc colu. 3. C. de vſur. Tenent autem concluſionem, Molin. Couarr. Nauarr. Ioan. Baptiſta. Lup. & alij recentiores, & probatur, fœnus nauticum recipiebatur ratione ſuſcepti in ſe periculi iuxta concluſionem ſecundam. Bald. Iacob. Butrigar. & Paulus Caſtr. in Rub. de nautico fœnore, & DD. allegati, at ſic aliquid recipere de iure licet, cum non ſit vſurarium, vt in d. concluſ. 2. probatum eſt. Sunt autem

leges

leges de nautico fœnore ſublatę & correctę, ſi aliquid accipiatur ob mutuum pecuniæ numeratæ, aut ob mutuationem alterius rei & non quatenus illud recipitur ob ſecuritatem præſtitam modo exceſſus non ſit in pretio.

*Quinta Concluſio.* Qui ſuſcipit in ſe periculum pecuniæ mutuatæ, aut mercium vehendarum per mare, aut alia periculoſa loca, nõ tenetur de periculo & damno, quod incurritur ex culpa vehentis aut alterius, ſed tantum in caſibus fortuitis. Hæc concluſio probatur ex L. Cum proponas C. de naut. fœn. Bart. Bald. Paulo Caſtr. & alijs ibidem. Quia alias daretur materia negligentiæ & culpæ nauigantibus, & merces vehentibus. Culpa autem deprehenditur ex inconſueti & prohibiti loci nauigatione ac rerum prohibitarum dilatione ratione quarum fortaſſe bona delata confiſcantur, de hac materia DD. cum textu in d. L. Cum proponas.

## QVÆSTIO. II.

*An liceat exemp. g. Petro ciui ſuſcipere in ſe periculum mercium Pauli negociatoris, quæ deferuntur per mare?*

IN præſenti quæſtione non eſt ſermo de nauta, aut vehente merces, ſed alio tertio,

 qui

qui ſuſcipit in ſe periculum, & ſubit contra-ctum aſſecurationis.

Conrardus de contractibus q.71. diſtinguit hoc pacto. Aut ſuſcipiens periculum eſt ſimul etiam apponens operas pro vitandis periculis mercis: ſicut fit quando ſuſcipiens periculum eſt rector nauis, ſi per mare ducitur merx: aut eſt ductor currus, ſi in curru ducitur merx per terram: Aut non eſt apponens vllas operas: puta nihil faciendo adhoc,quod illa merx non periclitetur;ſicut fit quando merx eſt in Alexandria, & ſuſcipiens periculum eſt in Alemania: nec per ſe, nec per ſuos prouidet illi merci. In primo caſu licitum eſt ſuſcipere in ſe periculum,nõ autem in ſecũdo. Probat valde leuiter Conrard.ſuum intentum,& procedit ex incertis, vt videre eſt apud ipſum.

*Prima Concluſio.* Qui aſſecurat apponendo operam,laborem& induſtriam,licitè recipit in ſe periculũ, & iuſtè etiam percipit lucrum pro ſuſceptione periculi,in hac concluſione nemo dubitat.

*Secunda Concluſio.* Licitus eſt etiam talis cõtractus etiamſi ſuſcipiens periculum nullum laborem, aut operam impendat pro euitando periculo. Hanc concluſionem tradunt S. Antonin.2.parte cap.7.§.46.Sylueſt. in verb.Negociatio. quæſt. 4. Dominic.Sotus

tus lib. 6. de iuſt. & iure quæſt. 7. articul. 1. & dicit quod talis contractus tam Theologis, quam Iuriſperitis probatus eſt. Laurent. à Rodulph. in cap. Conſuluit. 3. part. quæſt. 3. Ananias in hoc cap. quæſt. 13. Paul. Caſtren. cum textu L. in naue Saupheli ff. locati. Alexand. in L. à Titio colum. 1. ff. de verbo. obligat. Couarru. lib. 3. variar. reſolut. capite 2. numero 5. verſ. Tertio deducitur Conrardum: probatur rationibus Laurentij à Rodulph. quod talis contractus non ſit vſurarius. Primo, quia ſi ſic, maximè quia eſſet caſus, quem Papa in hoc capite Nauiganti reprobat, vt vſurarium: Sed hoc non, quia hic ſuſcipiens in ſe periculum, nihil mutuat. Modo caſus huius cap. militat vbi is, qui recipit in ſe periculum, etiam mutuo dederat, vt clarum eſt, vnde eſt caſus diuerſus à præſenti. Secundo, Vſura non habet locum niſi in mutuatione: At in hoc caſu nullum intercedit mutuum. Tertio, probo ex communi ſententia quam etiam Conrard. admittit, & in quæſt. præcedenti ſufficienter probatum eſt. Mutuo dans liberaliter Nauiganti, poſtea cum eodem poteſt inire contractum aſſecurationis & receptionis periculi, & iuſtè pro ſuſceptione periculi recipit pretium, etiamſi nihil laboris impẽdat, ſed domi reſideat. Ergo etiam tertius

omnium rectè ſentientium iudicio periculi ſuſceptio eſt pecunia æſtimabilis, ergo qui eam ſubit ſiue laboret, ſiue non, iuſtè poteſt pro ea iuſtum pretium recipere: Et hoc loco conſiderandum quod nauta quando vehit merces, per mare, & etiam eas aſſecurat duos contractus facit. Vnum locationis vtpote quia ſuum laborem & curam locat & impédit, & alium aſſecurationis, vnde etiam duplici reſpectu, lucrum percipit. At in præſenti caſu, tantum initur contractus aſſecurationis & ſolum eius intuitu lucrum recipitur, & ad hunc contractum impertinens eſt, an quis impendat laborem, vel non modo periculo ſubiaceat. Nec propterea lucrum iniuſtum cenſendum eſt: Quia ſine labore acquiritur, vt Conrard. videtur velle: quemadmodum probatur in q. 4. infra. Caſus huius quæſtionis practicatur à Florentinis; vt aſſerit Alex. in d. L. à Titio, & à Ianuenſibus, vt atteſtatur Iaſ. in L. Illa ſtipulatio. numer. 1. de verb. obligat.

## QVAESTIO. III.

*An fideiuſſor pro ſua fideiuſſione aliquid paciſci, & à debitore recipere poſſit?*

PRæſupponitur in hac quæſtione, quod incommodum & periculoſum ſit fideiubere

bere pro alio. Vnde Salomon in prouerb. 17. cap. admonet, ne quis temerè fideiuſſor exiſtat his verbis. Stultus homo plaudit manibus ſuis, cum ſpoponderit pro amico ſuo, & ca. 22. Noli eſſe cum his, qui defigunt manus ſuas, & qui vades ſe offerunt pro debitis. His ſententijs Salomon deterrere intendit à nimis frequenti & inconſulta fideiuſſione, ne contingat nimium grauari & illaqueari alienis debitis, & diſſipare propriam ſubſtantiã. Qua de cauſa apud Iuriſperitos male dicitur vti ſua ſubſtantia, & ad inopiam vergere, qui pro alijs frequenter fidem ſuam interponit, vt ſingulariter obſeruarunt Alexand. in L. Si conſtante, num. 14. ff. ſolut. matrimonio, quemadmodum dos petatur. Iaſ. ibidem nu. 158. Angel. in L. In perſonam. §. 1. ff. de pact. & Andr. Gail. lib. 2. pract. obſer. 83. obſerua. nu. 15. Qui enim pro altero fidem facit, ſeipſum exponit periculo ſoluendi: Cum non raro contingat, quod fideiuſſor integram ſummam pro principali ſoluere teneatur ob fidem datam, quam probo viro frangere nõ licet, iuxta illud prouerb. 6. Si ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs ſermonibus, fac ergo quod dico, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui.

*Prima Concluſio.* Fideiuſſor poteſt paciſci,

& ſtipulari aliquod pretium pro ipſa fideiuſſione.S.Antonin.2.part.tit.1.cap.7.num.45. Conrard. de contract. quæſt. 40. Angel. in verb.Fdeiuſſor.§.vltim.Syluest.in eod.verb. quæſt. 17. Caietan.2.2.quæſt.78.arti.2. Dominic.Sotus lib.6.de iuſt.& iure quæſt.7.art. 1.Ioannes Medina in C. de reb. per vſuram acq.q.4.coroll.3.Ioan.Anan. in hoc cap. nu. 42. Bartol. Paulus Caſtren. & alij in L. hoc iure §. Labeo ff. de donat. per text. ibidem. Dec. in conſ. 7. numer. 1. Nauarrus in Manuali confeſſ.cap.17.nume. 285. & in conſil. 21. num.4.in tit.de vſur.libr. 5. & alij alibi,& hæc eſt communis ſententia vt teſtes ſunt Couarru.libr.3. variarum reſolut. & Molin. de commerc. q. 31.numer. 351. qui tamen ab hac ſententia diſcedit. Probatur concluſio. Qui fideiubet pro alio ſubit periculum, & obligationem ciuilem ſoluendi pro alio, ſi is negligat, ſed talis obligatio eſt pretio æſtimabilis: Ergo iuſtè pro eo aliquid poteſt recipi etiam ex pacto. Deinde aſſecurator poteſt aliquid pro aſſecuratione recipere, vt in q.præcedenti probatum eſt: Sed fideiuſſor in effectu eſt aſſecurator,&non capit vi mutui, ſed propter periculum & onus, cui ſubijcitur per fideiuſſionem. Hanc concluſionem cum Couarru. moderandam cenſeo, quando ſcilicet inſpecta qualitate & conditione debitoris dubium & incertum pericu-

lum

lum eſt: Quia ſi nullum omnino immineret periculum fideiuſſori; tunc talis pactio merito vſuraria præſumeretur vtpote facta ſub colore periculi in fraudem vſurarum. Atque in hanc ſententiam puto itum à Molinæo in d.q.31.in fine.

*Secunda Concluſio.* Conſultius & tutius eſt abſtinere à tali pactione. Laurent. à Rodulphis in cap. Conſulit.3.part.q.3.quem S.Antonin. Couarr. & aliqui alij ſequuntur. Quia hoc contractu introducto facile cõtra charitatem daretur occaſio peccandi proximo, & ſub titulo fideiuſſionis emungendi pecuniam & ſubſtãtiam aliorum. Cum enim creditor pro officio mutui, nihil honeſtè poſſit exigere, videtur quod multo minus fideiuſſor aliquid valeat pro fideiuſſione expetere: cum minus officij impendat, quam creditor ſuam pecuniam gratis mutuans. His accedit, quod hoc modo ſæpiſſimè daretur materia colluſionis inter creditorem & fideiuſſorem ad decipiendum debitorem: aut ad palliandum vſuras. Quæritur enim, & reſoluitur in prima concluſione, quid de iure liceat, & non quid expediat. Multa enim licent, quæ non expediunt ſecundum Apoſtolicam doctrinam.

*Tertia Concluſio.* Licitè creditor à fideiuſſore aliquid recipere poteſt, vt eum liberet à fideiuſſoria obligatione, quando

obſeruandum, quod quando mutuatarius, & nauigans ipſemet mallet periculum ſubire, quam pretio redimere à mutuante, qui aliâs non vult mutuare, tunc mens mutuantis corrupta eſt, & verè vel præſumptiuè cenſetur vſurarius.

*Tertia Concluſio.* Creditor mutuo dans poteſt etiam ratione periculi in ſe recepti pretium iuſtum accipere, quando pecunia, aut merces transferuntur in terra per loca periculoſa, & prædonibus infeſta. Angel. & Gabriel. loc. cit. Bald. & Paulus Caſtren. in Rubric. C. de naut. fœnor. Molin. Couar. & Nauarr. vbi ſupra. & probatur in primis ex hoc cap. in quo dicitur. Nauiganti, vel eunti ad nundinas. Deinde ratione euidenti. Vbi eſt eadem ratio, ibi militat idem ius. At eadem eſt ratio, quando pecunia mutuo data, tranſfertur in terra per loca periculoſa, in quibus ob prædonum excurſiones, itinera periculis abundant, vt nũc proh dolor paſſim in Gallia, inferiori Germania, & locis his regionibus finitimis accidit, vbi omnia propter patriæ tumultum, pauperum oppreſſionem & neglectam belli diſciplinam plena ſunt prædonibus & latronibus, nec vſquam viæ ſunt ſecuræ, quamuis principes & Domini terrarum nunc grauiora pedagia, & tributa pro viarum ſecuritate rigidiſſimè exigant, quam vnquam præſtita ſint. Tenentur Domini

terri-

teritorij, quando pedagia & gabellas à tranſeuntibus & merces deferentibus recipiunt vias publicas ſecuras & tutas ſuis ſumptibus conſeruare: Quod ſi neglexerint facere, & tranſeuntes damna à prędonibus patiantur: tenentur ad emendationem damnorum, & reparationem ſpoliorum vt DD. tradunt. Angel. in verb. Pedagium §. 8. Syluest. in verb. Gabella 3.quæſt.6. Aurea Armilla eodem verb.numer.16. Archid. in cap. Si quis Romipetas 24.q.3. Turrecrem.ibidem concluſ. 3. Felin. in c. Poſtulaſti. de foro competenti. Bald.in cap.1. §. conuenticulis numer. 7.de pace iuramen.firmand.& cap.1.in verb. Marchio nume. 5. de his, qui feud.dar. poſſ. Cœpola in tract. de ſeruitutibus titu. de ſeruit. ruſtic. præd. cap. de via quæſt. 35. Andr. Gail.latè obſeruat.practic.lib.2.de obſeruat. 64.qui plures allegat. Notandum pro prædicta concluſione cum Molinęo, quod huiuſmodi extenſio non eſt facile admittenda, niſi clarè conſtet de veritate & paritate periculi. Contra duas iam poſitas concluſiones fortiſſimè pugnare videtur præſens cap. quando ait: Nauiganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo,quod ſuſcipit in ſe periculum recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius eſt cenſendus. Vnde elici videtur quod non liceat mutuanti aliquid vltra ſortem accipere ob periculum

culum ſuſceptum. Hæc obiectio petit expoſitionem veram ca. Nauiganti, quantum ad verba allegata.

Prima expoſitio eſt Adriani in 4.ſenten. in tract.de Vſura §.occurrunt circa prius dicta. verſ. Ad prmum dico, quod hoc capit. innititur præſumptioni vſurariæ fraudis, quando fingitur & prætexitur periculum, vbi nullum eſt, vel maius, quam ſubeſt. Hãc amplectuntur quantum ad primum membrum. Sotus libr.6. de iuſtitia & iure, quæſt. 4.articu.2.in principio & quæſt.7.art. vltim. prope finem, & latius his. Molin. qu. d. qui eam à nume.95.probat & ita dicti Doctores volunt,quod hoc cap.intelligatur,quod ſub colore periculi, cum tamen nullum ſubſit, mutuans recipit vltra ſortem à mutuatario nauiganti. Hæc expoſitio reijcitur à Couar. Sed parum vrgenti ratione. In foro conſcientiæ,vt Adrianus rectè ſubijcit eſt ſtandum veritati, & creditur confitenti pro ſe & contra ſe. Vnde examinandus eſt, an realiter pro aſſecuratione ſecundum iuſtam æſtimationem veriſimilis periculi pactum adiecerit: vel pro mutuo, & ſecundum hoc iudicandus vſurarius,& obligatus reſtituere; vel non.

Secunda expoſitio à Couarru. quem ſequitur Ioannes Baptiſta Lupus, etiam attribuitur Adriano loco citat. quod reſponſum

ſum Pontificis procedat in eo caſu, quo pretium ſuſcepti periculi eſt iniuſtum excedens iuſtam ipſius rei atque periculi mercedem: In tali caſu vltra ſortem recipitur id quod iuſtum pretium excedit & datur cauſa mutui & ita ſic recipiens vſurarius cenſendus eſt. Sed in libro, quo ego vtor ex Adriano hunc colligere ſenſum nequeo, nam expreſſe dicit quod hoc cap. innititur pręſumptioni vſurariæ fraudis, puta quod ſingatur periculum, vbi nullum ſubeſt, vel maius, quam ſubeſt, ex quibus verbis prior ſenſus tantum confirmatur, ſi res penitius perſpiciatur.

Tertia expoſitio, quæ frequentiori & cõmuniori Theologorum iudicio approbatur, quod vſurarius cenſeatur, qui nauiganti, aut eunti ad nundinas mutuo dat ſummã pecuniæ cum pacto & conditione vt ſecum contrahat de aſſecuratione & ſuſceptione periculi. Tunc vltra ſortem inducitur obligatio aſſecurandi, & ſuſcipiendi periculum; quæ pretio æſtimatur. Hanc expoſitionem amplectuntur Theologi allegati in ſecunda concl. & alij, & hic verus eſt ſenſus ca. vt Co-uar. atteſtatur.

Quarta expoſitio eſt Nauar. locis cit. cui adhæret Coſmus Philiarcus Theologus Florentinus de offic. ſacerdotis. lib. 5. c. 7. concl. 2. qui reiecta communi leuem ob rationem, dicit,

Digitized by Google

dicit, quod Pontifex in d. cap. vult obuiare quam plurimis vſuris palliatis, quæ fiebant mutuando cum aſſecuratione ſuſcepto pro eo pretio, eis qui volentes ſibi mutuari, & non inuenientes, qui gratis mutuarent, fingebant ſe velle traijcere pecuniam in alias terras, & velle eam ſibi aſſecurari, addito iuſto pretio, vt mutuatores inuenirent: vt his fraudibus obuiaret Pontifex, induxit præſumptionem iuris contra ſic mutuantem, vt præſumatur & cenſeatur vſurarius. Hæc expoſitio longè eſt petita, & parum textui quadrat.

*Quarta Concluſio.* Leges permittentes & concedentes fœnus nauticum rectè intellectæ, non ſunt reuocatę, nec correctę per hoc cap. Nauiganti. Hæc concluſio eſt contra Hoſtienſ. in ſumma de vſur. §. In alijs, & alios Canoniſtas communiter, vt fatetur & ſequitur Ioan. Anan. in hoc cap. col. prima. Salycet. in Authent. Ad hæc colu. 3. C. de vſur. Tenent autem concluſionem, Molin. Couarr. Nauarr. Ioan. Baptiſta. Lup. & alij recentiores, & probatur, fœnus nauticum recipiebatur ratione ſuſcepti in ſe periculi iuxta concluſionem ſecundam. Bald. Iacob. Butrigar. & Paulus Caſtr. in Rub. de nautico fœnore, & DD. allegati, at ſic aliquid recipere de iure licet, cum non ſit vſurarium, vt in d. concluſ. 2. probatum eſt. Sunt autem

leges

leges de nautico fœnore ſublatę & correctę, ſi aliquid accipiatur ob mutuum pecuniæ numeratæ, aut ob mutuationem alterius rei & non quatenus illud recipitur ob ſecuritatem præſtitam modo exceſſus non ſit in pretio.

*Quinta Concluſio.* Qui ſuſcipit in ſe periculum pecuniæ mutuatæ, aut mercium vehendarum per mare, aut alia periculoſa loca, nõ tenetur de periculo & damno, quod incurritur ex culpa vehentis aut alterius, ſed tantum in caſibus fortuitis. Hæc concluſio probatur ex L. Cum proponas C. de naut. fœn. Bart. Bald. Paulo Caſtr. & alijs ibidem. Quia alias daretur materia negligentiæ & culpæ nauigantibus, & merces vehentibus. Culpa autem deprehenditur ex inconſueti & prohibiti loci nauigatione ac rerum prohibitarum dilatione ratione quarum fortaſſe bona delata confiſcantur, de hac materia DD. cum textu in d. L. Cum proponas.

## QVÆSTIO. II.

*An liceat exemp. g. Petro ciui ſuſcipere in ſe periculum mercium Pauli negociatoris, quæ deferuntur per mare?*

IN præſenti quæſtione non eſt ſermo de nauta, aut vehente merces, ſed alio tertio,

qui ſuſcipit in ſe periculum, & ſubit contra-ctum aſſecurationis.

Conrardus de contractibus q.71. diſtinguit hoc pacto. Aut ſuſcipiens periculum eſt ſimul etiam apponens operas pro vitandis periculis mercis: ſicut fit quando ſuſcipiens periculum eſt rector nauis, ſi per mare ducitur merx: aut eſt ductor currus, ſi in curru ducitur merx per terram: Aut non eſt apponens vllas operas: puta nihil faciendo adhoc, quod illa merx non periclitetur; ſicut fit quando merx eſt in Alexandria, & ſuſcipiens periculum eſt in Alemania: nec per ſe, nec per ſuos prouidet illi merci. In primo caſu licitum eſt ſuſcipere in ſe periculum, nō autem in ſecūdo. Probat valde leuiter Conrard. ſuum intentum, & procedit ex incertis, vt videre eſt apud ipſum.

*Prima Concluſio.* Qui aſſecurat apponendo operam, laborem & induſtriam, licitè recipit in ſe periculū, & iuſtè etiam percipit lucrum pro ſuſceptione periculi, in hac concluſione nemo dubitat.

*Secunda Concluſio.* Licitus eſt etiam talis cōtractus etiamſi ſuſcipiens periculum nullum laborem, aut operam impendat pro euitando periculo. Hanc concluſionem tradunt S. Antonin. 2. parte cap. 7. §. 46. Syluest. in verb. Negociatio. quæſt. 4. Dominic. So-

tus

tus lib. 6. de iuſt. & iure quæſt. 7. articul. 1. & dicit quod talis contractus tam Theologis, quam Iuriſperitis probatus eſt. Laurent. à Rodulph. in cap. Conſuluit. 3. part. quæſt. 3. Ananias in hoc cap. quæſt. 13. Paul. Caſtren. cum textu L. in naue Saupheli ff. locati. Alexand. in L. à Titio colum. 1. ff. de verbo. obligat. Couarru. lib. 3. variar. reſolut. capite 2. numero 5. verſ. Tertio deducitur Conrardum: probatur rationibus Laurentij à Rodulph. quod talis contractus non ſit vſurarius. Primo, quia ſi ſic, maximè quia eſſet caſus, quem Papa in hoc capite Nauiganti reprobat, vt vſurarium: Sed hoc non, quia hic ſuſcipiens in ſe periculum, nihil mutuat. Modo caſus huius cap. militat vbi is, qui recipit in ſe periculum, etiam mutuo dederat, vt clarum eſt, vnde eſt caſus diuerſus à præſenti. Secundo, Vſura non habet locum niſi in mutuatione: At in hoc caſu nullum intercedit mutuum. Tertio, probo ex communi ſententia quam etiam Conrard. admittit, & in quæſt. præcedenti ſufficienter probatum eſt. Mutuo dans liberaliter Nauiganti, poſtea cum eodem poteſt inire contractum aſſecurationis & receptionis periculi, & iuſtè pro ſuſceptione periculi recipit pretium, etiamſi nihil laboris impēdat, ſed domi reſideat. Ergo etiam tertius

omnium rectè ſentientium iudicio periculi ſuſceptio eſt pecunia æſtimabilis, ergo qui eam ſubit ſiue laboret, ſiue non, iuſtè poteſt pro ea iuſtum pretium recipere: Et hoc loco conſiderandum quod nauta quando vehit merces, per mare, & etiam eas aſſecurat duos contractus facit. Vnum locationis vtpote quia ſuum laborem & curam locat & impẽdit, & alium aſſecurationis, vnde etiam duplici reſpectu, lucrum percipit. At in præſenti caſu, tantum initur contractus aſſecurationis & ſolum eius intuitu lucrum recipitur, & ad hunc contractum impertinens eſt, an quis impendat laborem, vel non modo periculo ſubiaceat. Nec propterea lucrum iniuſtum cenſendum eſt: Quia ſine labore acquiritur, vt Conrard. videtur velle: quemadmodum probatur in q.4. infra. Caſus huius quæſtionis practicatur à Florentinis; vt aſſerit Alex. in d.L. à Titio, & à Ianuenſibus, vt atteſtatur Iaſ. in L. Illa ſtipulatio. numer. 1. de verb. obligat.

## QVAESTIO. III.

*An fideiuſſor pro ſua fideiuſſione aliquid paciſci, & à debitore recipere poſsit?*

PRæſupponitur in hac quæſtione, quod incommodum & periculoſum ſit fideiu-

bere

bere pro alio. Vnde Salomon in prouerb. 17. cap. admonet, ne quis temerè fideiuſſor exiſtat his verbis. Stultus homo plaudit manibus ſuis, cum ſpoponderit pro amico ſuo, & ca. 22. Noli eſſe cum his, qui defigunt manus ſuas, & qui vades ſe offerunt pro debitis. His ſententijs Salomon deterrere intendit à nimis frequenti & inconſulta fideiuſſione, ne contingat nimium grauari & illaqueari alienis debitis, & diſſipare propriam ſubſtantiã. Qua de cauſa apud Iuriſperitos male dicitur vti ſua ſubſtantia, & ad inopiam vergere, qui pro alijs frequenter fidem ſuam interponit, vt ſingulariter obſeruarunt Alexand. in L. Si conſtante, num. 14. ff. ſolut. matrimonio, quemadmodum dos petatur. Iaſ. ibidem nu. 158. Angel. in L. In perſonam. §. 1. ff. de pact. & Andr. Gail. lib. 2. pract. obſer. 83. obſerua. nu. 15. Qui enim pro altero fidem facit, ſeipſum exponit periculo ſoluendi: Cum non raro contingat, quod fideiuſſor integram ſummam pro principali ſoluere teneatur ob fidem datam, quam probo viro frangere nõ licet, iuxta illud prouerb. 6. Si ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs ſermonibus, fac ergo quod dico, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui.

*Prima Concluſio.* Fideiuſſor poteſt paciſci,

lum eſt: Quia ſi nullum omnino immineret periculum fideiuſſori; tunc talis pactio merito vſuraria præſumeretur vtpote facta ſub colore periculi in fraudem vſurarum. Atque in hanc ſententiam puto itum à Molinæo in d.q.31.in fine.

*Secunda Concluſio.* Conſultius & tutius eſt abſtinere à tali pactione. Laurent. à Rodulphis in cap. Conſulit.3.part.q.3.quem S. Antonin. Couarr.& aliqui alij ſequuntur. Quia hoc contractu introducto facile cõtra charitatem daretur occaſio peccandi proximo, & ſub titulo fideiuſſionis emungendi pecuniam & ſubſtãtiam aliorum. Cum enim creditor pro officio mutui, nihil honeſtè poſſit exigere, videtur quod multo minus fideiuſſor aliquid valeat pro fideiuſſione expetere: cum minus officij impendat, quam creditor ſuam pecuniam gratis mutuans. His accedit, quod hoc modo ſæpiſſimè daretur materia colluſionis inter creditorem & fideiuſſorem ad decipiendum debitorem: aut ad palliandum vſuras. Quæritur enim, & reſoluitur in prima concluſione, quid de iure liceat, & non quid expediat. Multa enim licent, quæ non expediunt ſecundum Apoſtolicam doctrinam.

*Tertia Concluſio.* Licitè creditor à fideiuſſore aliquid recipere poteſt, vt eum liberet à fideiuſſoria obligatione, quando

probabile periculum fideiuſſori imminet ex parte creditoris. Molin. in q. 34. & Couarru. Quia creditor liberat fideiuſſorem, & remittit ipſi ius ſuum, virtute cuius actionem veram & efficacem contra eundem habebat. At hoc gratis non tenetur facere; cùm talis actio obligatioque ſit pecunia æſtimabilis; Ideoq; iuſtè pretium pro ea accipere poteſt. Si autem fideiuſſori nullum inſtaret periculum, ſed certiſſimus eſſet de ſolutione, creditor nihil vltra ſortem pro liberatione poſſet recipere: cum talis liberatio, ceſſante cauſa, nullum effectum haberet, ſed tãtum fingeretur: quippe cum nihil periculi ſubeſſet ob certitudinem ſolutionis.

## QVÆSTIO. IV.

*An illud negociationis ſiue contractus genus, quod quidam ludum ollæ: alij ollam fortunæ appellant ſit licitum?*

HOc negociationis genus quidã è quorum numero eſt Conrardus de contractib. q. 71. damnare videntur tanquam illicitum, idque ob rationes, quibus confutari Conrard. putat contractum aſſecurationis, quem quæſtio. 2. huius cap. contra Conrard. cum communi Doctorum ſententia approbauimus.

Sunt

Sunt autem hæ rationes pro parte negante.

*Prima ratio.* Talis contractus eſt per omnia ſimilis contractui innominato, qui dicitur vadiatio, concertatio, aut depoſitio, vbi ſunt duo concertantes de aliqua re, vnus aſſerit factum aliquid, vel futurum; alius negat, idque ſub mutua promiſſione alicuius certi pretij pro victore. Sed talis contractus eſt illicitus, tum quia contentiones ſæpe ex eo oriuntur, tum etiam quod nullam vtilitatem Reipublicæ adferat.

*Secunda ratio.* In hoc contractu lucrum otio, & non labore acquiritur contra ſacras literas. Geneſ. 3. in ſudore vultus tui veſceris pane tuo; quæ ſententia non ſolum concernit perſonam Adæ, ſed etiã omnes, qui ab eo originem trahunt. & Iob. 5. Homo naſcitur ad laborem: ſicut auis ad volatũ, & ad Epheſ. 4. Apoſtolus Paulus dicit, Qui indiget, laboret operando manibus ſuis, quod bonũ eſt, vt habeat, vnde tribuat neceſſitatem patienti, & iterum. Qui non laborat, non manducet, & confirmatur. Sicut in corpore humano nullum eſt membrum, quod non habeat aliquem actum vtilem cæteris membris ac corpori: Sic in corpore Reipub. nullum debet eſſe membrum, quod non exerceat aliquem actum vtilem Reipub. Contrarium tamen contingit in dicto contractu.

omnino ſimilis ludo alearum, qui communiter à Doctoribus reputatus illicitus, & damnatur in legibus L. Alearum vſus ex cōſtitutione Græca C. de religioſ. & ſumptibus funer. & ff. de aleatoribus.

In contrarium eſt vſus communis apud multas diuerſarum nationum ciuitates.

Hæc quæſtio à paucis, quos videre licuit, ex profeſſo tractata eſt. Tractauit autem eā ex propoſito: M. & Theologiæ profeſſor Ioannes Briardus Athenſis Academiæ Louanien. Vicecancellarius in quæſt. quodlibetico quinto, eo quod ſuo tempore Brugis & alibi in partibus inferioribus hic contractus in recenti vſu eſſet, & de eius iuſtitia à quibuſdam dubitaretur. Huius Doctoris quæſtiones quodlibeticæ habentur poſt quodlibeta Adriani.

Quoniam autem nunc paſſim hoc negociationis genus in noſtris partibus in frequenti vſu eſt, & de eo non raro diuerſa ſunt hominum iudicia, prout etiam varia eorundem ſunt ſtudia, altius & latius alijs de hoc contractu agam.

In primis hic contractus, quod tamen à nemine animaduerſum adhuc vidi non ſolum iuſtificandus, vt ludus, qui fortunæ innititur: vel contractus innominatus eſt; ſed multo magis, vt contractus emptionis & vendi-

venditionis, prout infra luce meridiana clarius patebit. Pro reſolutione ſit.

*Prima Concluſio generalis.* Dubius euentus à fortuna pendens non facit contractum illicitum, ſed potius licitum. Hanc cōcluſionem probant cap. In ciuitate & præſens c. & L. in naue Saupheli ff. locati & conducti L. à Titio ff. de verbor. obligationibus Paul. Caſtren. & Alexand. ibid. & Cynus cum alijs in L. Si ea pactione C. de vſur. Bald. in conſil. 292. incipien. Quia ex facto ius oritur. lib. 1. Oldrad. de ponte conſ. 207. Dec. conſ. 115. Nauar. in comment. de vſur. q. 45. num. 128. & in conſil. 25. de vſur. lib. 5. conſil. doctè Didac. Couarru. in relectione Reg. Peccatum, de reg. iuris in 6. in 2. par. §. 4. & hæc eſt cōmunis opinio teſte Decio in d. conſ. numer. 4. Secundo probatur ex Theologorum doctrina. Sors diuerſoria, cuius euentus à fortuna dependet non eſt illicita. D. Auguſt. lib. 1. de doctrina Chriſtiana ca. 28. & in ep. 180. ad Honoratum S. Thom. 2. 2. q. 95. artic. 8. S. Antonin. 2. par. tit. 12. cap. 1. §. 9. Alexan. Halen. 2. par. q. 185. memb. 2. Angel. in verb. ſors §. 2. & alij alibi. Ergo aliquid non redditur illicitum per hoc quod eius euentus à fortuna dependet.

*Secunda Concluſio.* Contractus ludi ollæ non eſt ex ſua natura illicitus, aut turpis. Probatur. Quia nulla lege naturali

vel

vel diuina prohibetur, nec etiam humana. Si enim aliqua ſit, oſtẽdatur. Nec etiam reprobari poteſt quia eius euentus à fortuna dependet: cum hoc cõtractum non vitiet. Deinde ludus alearum, in quo maior iniquitas apparet, ex ſua natura licitus eſt vt patet ex LL. Nam in d. conſtitutione Græca dicitur. Alearum vſus res antiqua eſt, & extra operas pugnatoribus conceſſa & in L. fin. de alearũ ludo & aleat. conceditur pro modico cauſa recreationis ad conuiuium. Et hæc eſt communis DD. ſententia.

*Tertia Concluſio.* Legibus ciuilibus prohibentibus ludum alearum, non eſt prohibitus ludus ollæ, probatur. Tales leges nullam faciunt mentionem de tali contractu: nec extendi poſſunt ob paritatem rationis, cum nulla ſit: ſed longè habeatur diuerſa ratio prohibitionis ludi alearum. Vbi autem ratio legis quæ eius anima eſt, deficit, etiam ipſa lex minimè locum habet. Ratio etenim prohibitionis ludi alearum non eſt, vt aliqui imaginantur, quod talis ludus fortunæ innitatur, quoniam tum omnis ludus aleæ eſſet prohibitus, cum tamen contrarium leges, vt ex dictis conſtat, ſignificent. Vera autem ratio prohibitionis Ludi alearum fuit, vt rectè tetigit Petrus Paladon. in 4. d. 15. q. 3. articul. 5. quod perdens in illo ludo ſolet blaſphemare, & homines in ludo alearum,

aut

aut taxillorum ſolent breui tempore ſuam totam ſubſtantiam conſumere, & ſic redigũtur in miſeriam & paupertatem. Quę rationes ſanè adferuntur in ingreſſu d. conſtitutionis Græcæ, vbi eſt prohibitio ludi alearum. Sic enim habet. *Alearum vſus antiqua res eſt: & extra operas pugnatoribus conceſſa. Verum pro tempore prodijt in lachrymas extranearum multa nationum ſuſcipiens. Quidam enim nec ludentes, nec ludum ſcientes, ſed numeratione tantum proprias ſubſtantias perdiderunt: die noctuq; ludendo argento, apparatu, lapidibus & auro. Conſequenter autem ex hac inordinatione blaſphemare Deum conantur, & inſtrumenta conficiunt. Cõmodis igitur ſubiectorum proſpicientes hac generali lege decernimus, vt nulli liceat, &c.* & ſequitur prohibitio, cauſæ autem prohibitionis permiſſæ ſunt. Multa etiam alia crimina & mala comitantur ludum alearum de quibus, ad longum. S. Anton. 2. par. tit. 1. c. 23. §. 6. Hoſtien. in ſumma de exceſſibus prælatorum. Paris de puteo in tract. de ludo. & Ioan. Bapt. Caccialup. in lib. de eadem materia: quorum tractatus habentur in tomo primo Oceani iuris. Comprehenduntur autem talia mala ſequentibus verſibus, quos Hoſtienſis declarat.

*Hæc cum taxillis ludendo crimina fiunt.*
*Eccleſiæ ſpretus, vſuraq;, rixa, rapina.*
*Scandala, tum nugæ, blaſphemia, tum faciendi.*

*Furti*

*Furti doctrina, violentia, copia falſi,*
*Et mortis cauſa, deceptio, perditioq;*
*Temporis, & deſiderium, corruptioq; ingens*
*Iſtis prædictis adulatio, vitaq; turpis.*

Sed iſta non habent locum communiter in ludo ollæ, vt intelligenti facile eſt capere. Deinde etſi eſſet aliqua lex humana, quæ tamen non eſt, non obligaret amplius; cum illi derogatum ſit per receptum vſum & conſuetudinem multarum ciuitatum, & prouinciarum ſcientibus & conſentientibus ſuperioribus. Conſuetudo enim etſi iuri naturali & diuino non præiudicet, derogat tamen poſitiuo cap. fina. de conſuetud. cum annotatis ibidem à DD. & alibi. Id quod ſpecialiter in materia ludi prohibiti à lege ciuili approbant S. Thom. 2.2. quæſt. 32. articul. 7. ad ſecundum. Alphonſ. à Caſtro lib. 2. de poteſtate legis pœnalis. cap. 2. Dominic. Sotus libro 4. de iuſt. & iure. quæſt. 5. articul. 2. & alij alibi. Poſtremo etſi inter quaſi ludos hunc contractum referamus non poteſt condemnari: Non quia fortunæ innititur vt iam monſtratum eſt: Non quia per eundem lucrum acquiritur, cum ob eandem cauſam plures contractus condemnarentur, qui tamen humano generi ſunt neceſſarij, vt ſunt, donatio, emptio & venditio, &c. Et etiam omni ludo lucrum præbere debet aliquod fomentum, modo non ſit exceſſus. Omnes con-

contractus & negociationes ex ſua natura honeſtę non damnantur ob id, quod faciant ad acquiſitionem lucri, ſed quia vel in lucro tanquam fine principali quieſcitur, vel nimis ardẽti deſiderio expetitur. His addi poteſt, quod finis ludi honeſti eſt recreatio, & animi relaxatio, vt S. Thom. 2.2.q.168. artic. 2. docet. Vnde tanto melior eſt ludus, quanto magis ſuo fini congruit, modo aliâs regula rectæ rationis ſeruetur. Quanto autem magis ludus fortunæ innititur, cæteris paribus, tanto magis recreat, aptiorque eſt ad relaxationem animi vt tradunt Caiet. in d. q. S. Thomæ. art. 3. & Nauarr. in Manuali confeſſar. c. 20. nu. 3. quib. ſuffragatur experientia rerum omnium magiſtra. Quare ex hoc cap. ludus ollæ maximè approbandus eſt. Nam qui pecunias exponũt multum recreantur in hoc ludo tum ſpe lucri: tum amore proſperæ fortunæ, in expectatione, quæ recreat non ſecus quam meſſis adhuc in herbis agricolam delectatione afficit. Præmium etiam iam fœlici aura flante poſſeſſum tanquam ex fortuito caſu proueniens omni iucunditate animum perfundit: Hinc quæ homines ex olla fortunæ conſequuntur, in maiori æſtimatione & diuturniori memoria habent; quam ſi emiſſent: aut alio contractu poſſediſſent: Imo ſi perdant, & nihil fortunæ conſequantur, quaſi nihil ducunt.

Hæc

Hæc faciunt ad iuſtificandum hunc contra-ctum, quatenus ad ludum vtpote quia fortunæ expoſitum eſt lucrum, is refertur, ſed his relictis alia via potius incedendum puto, quæ ſequenti concluſione declarabitur. ſit ergo.

*Quarta Concluſio.* Contractus ollæ fortunæ refertur ad contractum emptionis & venditionis, & ex hac radice iuſtiſſimus eſt. Probatur Concluſio. Emptio fortunæ iuſta eſt vt iactus retis in mare ad piſcandum, & omnium iudicio ſpectat ad emptionem & venditionem L. Emptorem §. ibidem, & L. ſeq. Si iactum retis emero. & L. Nec emptio ff. de contrah. emp. ac in hac poſtrema L. apertè dicitur, quod quaſi alea emitur, & quod ſpei emptio eſt, id eſt, dubij euentus & exemplum ponitur de iactu retis, vel tractu auium, &c. Sed in noſtro caſu eadem eſt ratio, & hic contractus eſt omnino ſimilis emptioni iactus retis. Confirmatur, in tali contractu ſunt ſubſtantialia requiſita ad emptionem & venditionem, de quibus in d. L. Nec emptio & in §. pretium. Inſtit. de empt. Eſt pretium ſcilicet pecunia quæ exponitur, & merx ſiue res vendibilis nempe tractus fortunæ, & eſt mutuus conſenſus, ſiue reciproca conuentio libera emptoris & venditoris. Vna in primis hoc in loco ſe offert obiectio. Ad iuſtificandum contractum

emptio-

emptionis & venditionis requiritur æqualitas inter pretium,& rem, quæ emitur. At in olla fortunæ ſæpè pro dimedio aureo quiſpiam habebit equum, aut aureum cyphum valentem 20.aut 30.aureos. Ergo ſaltem ex hac parte non erit iuſtitia.

Reſpondetur cum diſtinctione : alia eſt ratio,quando res venditur quæ extat,& iam certa eſt quantum ad acquiſitionem : alia quando ſpes, & dubius euentus emitur. In priori caſu cum ſicuti,finiti ad finitum,ſic etiam certi ad certum ſit proportio, poteſt ſeruari æqualitas rei & pretij. At in ſecundo caſu,cum incerti ad certũ non ſit proportio, non poteſt eſſe omnimoda æqualitas, cum ematur fortuna, quę ſecundam & aduerſam complectitur; nec tam incertum tanti emitur,quanti id quod certum eſt: Nemo enim ſpem caro pretio emit. Fortunæ autem tractus in hoc caſu debet taxari ad arbitrium prudentum conſideratis circunſtantijs rerũ, quæ occurrunt, vt mercium quæ exponuntur,expenſarum, quæ fiunt, & multitudinis hominum qui veriſimiliter fortunam experiri volent. Habetur autem æqualitas in hoc contractu inter pretium & mercem, quæ conſiderata contractus haberi poteſt,& non mathematica,quæ impoſſibilis eſt: Sicut etiam in emptione iactus retis, vbi dubius ille euentus non ita carè emitur, ac ſi iam piſces

Hæc faciunt ad iuſtificandum hunc contra-ctum, quatenus ad ludum vtpote quia fortunæ expoſitum eſt lucrum, is refertur, ſed his relictis alia via potius incedendum puto, quæ ſequenti concluſione declarabitur. ſit ergo.

*Quarta Concluſio.* Contractus ollæ fortunæ refertur ad contractum emptionis & venditionis, & ex hac radice iuſtiſſimus eſt. Probatur Concluſio. Emptio fortunæ iuſta eſt vt iactus retis in mare ad piſcandum, & omnium iudicio ſpectat ad emptionem & venditionem L. Emptorem §. ibidem, & L. ſeq. Si iactum retis emero. & L. Nec emptio ff. de contrah. emp. ac in hac poſtrema L. apertè dicitur, quod quaſi alea emitur, & quod ſpei emptio eſt, id eſt, dubij euentus & exemplum ponitur de iactu retis, vel tractu auium, &c. Sed in noſtro caſu eadem eſt ratio, & hic contractus eſt omnino ſimilis emptioni iactus retis. Confirmatur, in tali contractu ſunt ſubſtantialia requiſita ad emptionem & venditionem, de quibus in d. L. Nec emptio & in §. pretium. Inſtit. de empt. Eſt pretium ſcilicet pecunia quæ exponitur, & merx ſiue res vendibilis nempe tractus fortunæ, & eſt mutuus conſenſus, ſiue reciproca conuentio libera emptoris & venditoris. Vna in primis hoc in loco ſe offert obiectio. Ad iuſtificandum contractum

emptio-

emptionis & venditionis requiritur æqualitas inter pretium,& rem, quæ emitur. At in olla fortunæ ſæpè pro dimedio aureo quiſpiam habebit equum, aut aureum cyphum valentem 20.aut 30.aureos. Ergo ſaltem ex hac parte non erit iuſtitia.

Reſpondetur cum diſtinctione : alia eſt ratio,quando res venditur quæ extat,& iam certa eſt quantum ad acquiſitionem : alia quando ſpes, & dubius euentus emitur. In priori caſu cum ſicuti,finiti ad finitum,ſic etiam certi ad certum ſit proportio, poteſt ſeruari æqualitas rei & pretij. At in ſecundo caſu,cum incerti ad certũ non ſit proportio, non poteſt eſſe omnimoda æqualitas, cum ematur fortuna, quę ſecundam & aduerſam complectitur; nec tam incertum tanti emitur,quanti id quod certum eſt: Nemo enim ſpem caro pretio emit. Fortunæ autem tractus in hoc caſu debet taxari ad arbitrium prudentum conſideratis circunſtantijs rerũ, quæ occurrunt, vt mercium quæ exponuntur,expenſarum, quæ fiunt, & multitudinis hominum qui veriſimiliter fortunam experiri volent. Habetur autem æqualitas in hoc contractu inter pretium & mercem ; quæ conſiderata contractus haberi poteſt,& non mathematica,quæ impoſſibilis eſt: Sicut etiam in emptione iactus retis, vbi dubius ille euentus non ita carè emitur, ac ſi iam piſces

Mm capti

capti & extracti eſſent, quod in d.Leg. Si iactum, ſignificatur, quæ ſic habet. Si iactum retis emero; & iactare rete piſcator noluit: incertum lucrum rei æſtimãdum eſt: Si quid extraxerit piſcium reddere mihi noluerit: id æſtimari debet, quod extraxit. Hæc in d. L. Eſt & aliud aduertendum in hoc contractu, quod merx ſimpliciter non commenſuratur pretio verbi gratia Ioannis, qui ſoluit & imponit dimedium aureum, & fortuna dat ei equum 30. aureorum, ſed pretio multorum imponentium cum ſpe conſequendi eundem equum, & reſiſtente fortuna nihil acquirunt. Dubium ex alia parte hic eſſe poteſt. Videtur quod venditor in olla fortunæ nũquam periculum ſubeat, ſed ſemper certus ſit de ſuo lucro: Cum ipſe ſemper pretiũ accipiat: emptor autem ſæpius ſua ſpe fruſtretur: melior ergo eſt conditio venditoris, quam emptoris: Quamuis de natura talis contractus ſit, quod periculum tam in emptorem quam in venditorem diſiũctiuè cadere poſſit. Reſpondetur, quod quamuis in ho contractu emptor ſæpius ſua ſpe fruſtretur, tamen reſpectu totius maſſæ, quæ particulatim à multis emitur, & inter multos emptores diſtrahitur, venditor ſe etiam exponit periculo damni. Quia ſi nimis tempeſtiuè proſpera fortuna flet, & meliores merces extrahantur, & olla exhauriatur in damno eſt:

Quo-

Quoniam diſtractis per fortunam iam mercibus inter emptorem, nõ eſt locus amplius emptioni. Et ſi meliores in primis extrahantur & viliores remaneant, iterum in periculo verſatur; quoniam tum non ſe offerũt, nec alliciuntur tot emptores, quot aliàs, ſi ſpem aliquid de melioribus conſequendi habuiſſent. Deinde ſi bona fortuna ſemper emptoribus faueret, in malo loco eſſet venditor, & ſtaret ad damnum, & non lucrum, & ſic etiã eſſet inæqualitas. Nunc vterque ſubit caſum ancipitis fortunæ, & ſic paris ſunt conditionis. Neque etiam refert, quod emens nihil aliquando recipiat pro ſua pecunia: quia qui in talem contractũ conſentit, ex cõſequenti vult etiam ea, quæ naturaliter tali contractui inſunt. Ineſt autem tali contractui, vt etiam ſi nihil ex tali negociatione emens capiat, tamen ex conuentione, quæ initium dat contractui, teneatur dare pretium: Id quod ex d. L. Emptorem §. ibid. circa mediũ, clare probatur, cum dicitur. Quemadmodum recipitur, vt venditor nummos accipiat, quamuis merx ad emptorẽ non pertineat, veluti cum futurum iactum retis à piſcatore emeris, & alia dat exempla, ſtatimque L. ſubiungit. Nã etſi nihil capit: nihilominus emptor pretium præſtare neceſſe habebit.

*Quinta Concluſio.* Ad euitandas fraudes, quæ interuenire poſſent ex parte venditoris

expedit, vt non exerceatur talis contractus ſine auctoritate publica. Conſtat concluſio. Quia aliâs venditor poſſet merces in publico populo oſtendere, vt plurimos alliceret ad imponendum, non tamen eaſdem ollæ ſcedulis inſcriberet: aut tandem ad extremũ imponeret: quando iam emptores defatigati eſſent ob exprimentum aduerſæ fortunæ: Hoc loco moueri poteſt dubium, quid ſentiendum de ludo ollę in Flandria, quem vulgariter die Loterije vocant, & erigitur ſæpius pro publico, aut pio opere inſtituendo, vt hoc medio ſumma aliqua notabilis acquiratur. Sic autem Antuerpiæ & alibi in illis locis, vt narratur, erigitur. In primis accedente conſenſu ſuperiorum in diuerſis vrbibus & oppidulis integra ſumma minutim à volentibus imponere colligitur, tandem collecta pecunia deſtinato operi neceſſaria, ſortes imponuntur ollæ, & diſtribuuntur: Ita quod erigentes ludum ollę, nulli perdendi periculo ſe exponant, ſed vltra pretia mercium & expenſas notabile lucrum adhuc conſequantur pro operis publici, aut pij inſtitutione. Adhoc dubium, quod quidam amicus poſt lectionem antecedentium, propoſuit, paucis reſpondeo ſaluo meliori iudicio, quod hic contractus, vt fieri dicitur, non poteſt ſaluari per modum ludi ſubiacentis periculo & fortunæ: Quia in erectione talis

ludi

ludi ollæ, erigentes ſaluant ſuum lucrum, & non ſentiunt periculum. Imponentes autem tantum experiuntur ancipitem fortunam. At quando contractus ratione incertitudinis periculi ſaluatur, vtraque pars contrahentium debet ſtare periculo, & damno ſicut lucro, ex multis, quæ adducta pro probatione primæ concluſionis huius q. ſunt. Nec videtur, quod etiam defendi valeat per viam emptionis & venditionis: Cum illud exceſſiuum lucrum non commenſuratum ſit pretio mercium & impenſis neceſſarijs pro erectione ludi ollæ. Iniuſtitia autem committitur in emptione & venditione, quando non eſt moralis æqualitas pretij & rerum, quæ emuntur. Vnde non ſatis apparet, quo titulo illud excedens lucrum publico aut pio operi deſtinatum, acquiratur. Nec excuſat, quod ad bonum opus ordinetur: Quia iniuſtitia nec etiã pro redemptione captiuorum, & opere pio exercenda eſt. Si quis dicat, quod imponentes donent pecuniam, quam imponunt, in euentum, ſi nihil ſors dederit: hoc incertum eſt. Cum nemo ſuum donare, præſumatur in dubio, niſi conſtet. Ad conſuetudinem ergo patriæ recurrendum eſt, quæ, vt aliquando dictum, multum valet in contractibus. At obſtat, quod conſuetudo non derogat iuri diuino & naturali, nec excuſet à peccato, quando

ius eſt clarum, vt in q. vltimā huius cap. multis probabitur. Nec eundum eſt in abſurdam illam contra ius diuinum & naturale ſententiam, quod in foro conſcientiæ, licitum ſit contrahentibus ſe decipere citra dimedium iuſti pretij, & quod ita ſoluetur excedens lucrum pro opere pio. Quid ergo cum ratione & fundamento valido adferri queat, ad ſaluandum tale lucrum diligentius explorandum relinquo doctis, in locis vbi talis contractus ſæpius, vt intelligo, exercetur.

*Nunc ad argumenta in oppoſitum.* Ad primũ, huius argumenti ſolutio plenius patebit ex q. ſequenti, quia diuerſi diuerſo modo ſentiunt de talibus reciprocis promiſſionibus. Deinde negatur, quod ſit ſimilitudo horum contractuum; Contractus ollæ fortunæ eſt emptionis & venditionis, & ſic receptus in humanis commercijs. At vadiationis eſt innominatus contractus, dabo, ſi hoc euenerit, &c. Et ſic maiorem. Ad minorem etſi ex vadiatione aliquando contentiones oriuntur, hoc non arguit iniquitatem contractus, ſed malitiam hominum, quæ abutitur ſæpe quibuſcunque rebus ad ſalutarem hominũ vſum deſtinatis. Talis contractus etiam adfert vtilitatem Reipub. quia ſæpe lites ſic dirimuntur, & lucranti, qui pars eſt Reipubl. lucrum accedit: quod ordinare poteſt in honeſtam

neſtam ſuam & ſuorum ſuſtentationem. Ad ſecundùm, lucrum non ſemper damnatur, quando ſine labore acquiritur iuſta via, & titulo: Alias filij ſæpe nihil poſſent acquirere ex ſucceſſione parentum: Nec liceret ea recipere, quæ à liberali & beneuolo amico donarentur, cum nihil laboris in acquiſitione talium impendatur. Et ob eandem cauſam reprobati eſſent omnes cenſus; & de ſimilibus ſimile eſt iudicium. Ad teſtimonia ſacrarum literarum, quæ damnant otium, & decernunt homini laborandum eſſe, vt habeat neceſſaria, reſpondetur in primis, quod otium reprobatum, non eſt quæcunque aut quantacũque quies, & ceſſatio à labore, ſed ea tantum, qua homo negligit operari ea, ad quæ tenetur: Præceptum de labore corporali & ſpirituali affirmatiuum eſt, ideoq; non pro ſemper, vt Theologi loquũtur, obligat. Quando igitur de neceſſitate ad labores, homines non tenentur poſſunt aliquem ludum exercere licitum, mentemque recreare etiam cũ acquiſitione moderati lucri. His accedit quod vt rectè docet M. Ioan. Athenſis in d. quodl. quando in Geneſ. dicitur. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, &c. nõ præcipitur quod omnis conquiſitio panis neceſſarij ad vitam debeat fieri labore & induſtria hominis, ſed prædicitur futura pœna inflicta generi humano propter pec-

catum primi parentis: ita quod ſine labore alicuius, aut aliquorũ ex communitate hominum, non dabit terra hominibus alimenta neceſſaria; ſicut cum ibidem dicitur mulieri. In dolore paries filios tuos; non præcipitur vt dolores partus procuret, ſed prædicitur ei futura pœna inflicta generi fœminarum. Ad tertium patet ex dictis.

## QVÆSTIO. V.

*An contractus vadiationis, ſiue depoſitionis vt aliqui nominant, ſit licitus, & lucrum inde partũ ſit debitum?*

PRo intelligentia tituli hic contractus eſt, quando duo mutuo concertantes ſuper aliquo facto, vnus affirmat, alius negat tunc promittunt ſibi mutuo, vt ſi affirmantis aſſertum ſit verum, negans tantum numeret affirmanti: Si non, is tantum neganti; aut duo inuicem mutuo ſibi aliquid promittũt in incertum euentum futurum, vt ſi talis eligetur in regem 100. ſoluentur ab vno & alteri acquirentur, &c.

Deinde etiam quęritur an perdens in huiuſmodi contractu teneatur ſoluere, & lucrans habeat actionem ad petendum. Non conueniunt Doctores omnino in materia huius contractus. Quidam exiſtimant, quod lucrum

lucrum ſic acquiſitum ſit illicitum, turpe, aut vanum, & ſic contractum talem iudicant, illicitum vtpote procedentem ex auaritia,& nulli vtilitati deſeruientem, ſed prodigalitati & vanitati S.Antonin. 2. part.tit.1. cap.23.§.9.Gabr.in 4.d.15.q.13. dub. penult. ſequitur eundem,Syluest.in verb. Negociatio q.4.Aurea Armilla,in eodem verb.nu.3. & tale lucrum de conſilio pauperibus eſſet reſtituendum,Caietan.2.2.q.168.art.3.ad ſecundum, putat huiuſmodi eſſe deteſtanda, nō tamen mortalia,ſecluſis legibus, & fraudibus,& alijs circunſtantijs, cum quo quaſi, vt eius verbo vtar conſentit Nauarr. in Manuali confeſſ.cap.20.num.18. dicens id verè ſemper eſſe liberalitati cōtrarium, & ita ſordidum lucrum. Paulus Caſtren. in L.à Titio ff.de verbor.oblig.videtur ſentire, quod talis ſponſio non valet, vt quod talis princeps morietur intra tale tempus, aut perdet terram,aut bellum.

*Prima Concluſio.* Si quis dolo alterum induceret ad talem ſponſionem, aut vadiationem, vtpote certo ſciens à ſe aſſertum, eſſe verum mortaliter peccaret & reſtituere teneretur lucrum ſic acquiſitum. Ratio. Quia talis contra iuſtitiam dolo proximo damnū notabile inferret: Et fraus & dolus nemini debent patrocinari.

*Secunda Concluſio.* Si loquamur in genere

tales contractus ſunt liciti. Conrard. de contractib. q. 71. Dominic. Sotus lib. 4. de iuſtit. & iur. quæſt. 5. artic. 2. conclu. 4. & lib. 6. q. 7. art. vnico. Ioan. Med. in C. de reb. reſtituend. q. 22. Coſm. Philiarcus de officio Sacerdotis libr. 5. cap. 2. non longe à fine, ſequuntur Iuriſperiti Alexand. Iaſo. & alij in d. L. à Titio. Decius in conſ. 115. Dydac. in Relect. reg. Paccatum de reg. iuris in 6. in 2. part. §. 4. Iul. Clar. libr. 5. recept. ſent. iur. in §. Ludus, numero 5. & hæc eſt communis opinio, vt poſt Decium, Didac. & Clarus fatentur, à qua conſulendo & iudicando non eſt recedendum teſte Decio in d. conſ. & ſic cum dubitatum extitiſſet, an valeret talis promiſſio ſiue conuentio & poſſet ex ea agi, conſultum & iudicatum fuit per multos Doctores Florentiæ, vbi erant in vſu tales conuentiones vt refert Paulus Caſtren. in d. L. à Titio, qui tamen non omnino conſentit. Alexand. ibidem per eam L. dicit bene iudicatum. Qua ratione motus & ego ante paucos mēſes conſului cuidam amico, quod poſſet agere in iudicio contra alium, qui mouerat ipſum ad talem ſponſionem ob contentionem ratione debitorum ad petendum perditum, quod & fecit, atque merito obtinuit: Imo quod plus eſt talis promiſſio, valet etiā ſi cauſa non ſubſtat alia: quia euentus conditionis ſufficit, nec eſt quærendum de alia

cauſa

cauſa vt DD. notant per d. L. à Titio. probatur Conc. ex d. Leg. & L. Si quis ita ſtipulatus fuerit eodem titu. & L. Si pater. C. de inofficioſo teſtamento. Deinde valet & licita eſt conuentio quando vnus alteri conditionaliter promittit 100. ſi Berta cum Titio matrimonium contraxerit, & è contra ſi non contraxerit, alter tantundem det, ſi promittentes ſint extranei: ita quod per eos non poſſit impediri. Alexand. in d. L. à Titio iuxta Gloſſ. DD. & notata in L. Titia ff. de verbor. obligat. Dec. in d. conſ. 115. Hoſtien. in ca. Gemma de ſponſalib. Ad idem facit Nauarr. lib. 5. conſil. in titul. de vſur. conſ. 25. nu. 3. qui teſtatur quod recepta eſt pro iuſta in Gallia Belgica, vbi eſt magna copia Doctorum & piorum conſuetudo accipiendi centum ab vno cum pactione reddendi 200. ſi poſt duos annos, viſa Roma, redierit in patriam. Et in Gallia dat quis alteri certũ quid cum pacto, vt ſoluat ei duplum, cum duxerit vxorem, vel fiet presbyter propter incertitudinem matrimonij & presbyterij. Hæc Nauar. hoc modo vt annotauit Coſm. Philiarcus loc. cita. iuſtificatur etiam ille modus efficiendi dotem filiæ, quo pater ſtatim nata filia, dat alicui mercatori centũ aureos, cum pacto, quod ſi filia vixerit anno decimotertio, reddat trecentos aureos pro eius dote, & ſi ante prædictum annum mortua fuerit,

totum

totum lucretur, qui modus eſt licitus ratione incerti euentus futuri.

*Tertia Concluſio.* Huiuſmodi contractus ex circunſtantijs alijſque adiunctis aliquando etiam poſſunt fieri cum veniali peccato: aliquando cum mortali. Cum veniali: vt ſi ex aliquali auaritia & cupiditate ſic lucrum acquirendi, aut cum vanitate: Cum mortali, vt ſi quis talem ineundo contractum ſuper morte alicuius Principis, ſiue Eccleſiaſtici ſiue ſecularis deliberatè deſideraret mortem talis principis, niſi talis Princeps eſſet pernicioſus Reipubl. cuius mors propter bonum cõmune merito poſſit deſiderari: quam diſtinctonem etiam innuit Salycet. L. Ex eo C. de inutilibus ſtipulat. Eſſet etiam talis contractus mortalis, ſi quis ex nimio ludẽdi deſiderio exponeret ſe periculo perdendi totam ſuam ſubſtantiam maximè in præiudicium ſuorum, quos alere tenetur.

*Quarta Concluſio.* Quando huiuſmodi cõtractus fiunt ad terminandum finiendumque aliquam controuerſiam & contentionem, liciti ſunt. Probatur. Tales contractus ex ſuo genere liciti ſunt, ergo quando non vitiantur ex aliqua circunſtantia adiuncta, liciti manent. At in caſu propoſitæ concluſionis circunſtantia bona eſt, & probatur. Sors diuiſoria, quæ etiam fortuito euentui innititur, ad talem finem licita eſt ſecundum

com-

communem Theologorum ſententiam.

*Quinta Concluſio.* Qui in huiuſmodi ſponſionibus, ſiue vadiationibus perdit, niſi fraus & dolus intercedant, atque cauſam contractui dent, tenetur lucranti ſoluere: & ſi perdens nolit, alter poteſt in iudicio cõtra eum agere ad ſolutionem. Probatur concluſio ex ſecunda. Talis contractus eſt licitus, & tenet: ergo naſcitur hinc inde obligatio, & vt dicitur omne promiſſum cadit in debitum. Hãc concluſionem Doctores fundant in d. L. à Titio, & ſic fuit referente Paulo Caſtren. ibidem per plurimos Doctores conſultum & iudicatum Florentiæ, & bene ſecundum Alexand. Hinc quod quidam Doctores maximè Theologi putent huiuſmodi lucrum de conſilio dandum pauperibus parum vrget. Non magis id obtinet, quam quod bonum & conſultum ſit de omni lucro ex licito contractu facere Eleemoſynam.

## QVÆSTIO. VI.

*An commodantes pecuniam petenti, aut mercatori ad Pompam & oſtentationem, licitè aliquod lucrum percipiant.*

ARchidiacan. 14. q. 3. cap. Si fœneraueris, quem allegat & probare in hoc videtur. Alexan. in conſ. 80. incip. Circa primum lib.

libr.3. tenet, quod non ſit licitum, ſed vſurarium, & hi Doctores non videntur alium vſum pecuniæ nouiſſe, quam ad expendendū & negociandum. Eandem ſententiam apprehendit Ioan. Bapt. Lup. in comment. huius cap. §. 6. num. 13.

*Concluſio vnica.* Quando quis exponit pecunias, non vt expendantur, ſed ad oſtentationem & pompam eius, qui eas recipit, vt ditior, aut potentior appareat iuxta L. 3. ff. fin. cum L. ſeq. ff. commod. poteſt recipere aliquod lucrum pro tali vſu. S. Thom. 2. 2. q. 78. arti. 1. ad 6. S. Antonin. 2. par. tit. 1. c. 7. §. 5. Scot. in 4. d. 15. Gabr. ibid. q. 11. art. 1. in lit. D. Angel. in verb. vſura 1. §. 49. Syluest. in eod. verb. quæſt. 12. Caietanus in verb. Vſura exterior caſu 12. & communiter Theologi, ſequuntur Iuriſperiti. Gloſſ. in d. c. Si fœneraueris, & in c. Conqueſtus ſupra, & in d. L. 3. ff. commod. Panorm. in Rub. de vſur. nume. 3. Bald. in L. Si nauis ff. de rei vendit. in prima lect. Paul. Caſtren. in d. L. 3. §. fin. Dec. in L. 2. nume. 3. ff. ſi certum petatur, in 2. lect. Ludouic. Roman. in conſ. 500. Nauarr. in comment. huius cap. numer. 11. & ſeq. & alij communiter alibi. Ratio huius concluſionis. Quia pecunia duplicem poteſt habere vſum; Vnum primum & principalem, qui eſt vt expendatur diſtrahaturque ad negociandum, & ſic pecunia non poteſt habere

vſum

vſum diſtinctũ à Dominio. Alius eſt improprius vſus pecuniæ qui à Dominio ſeparatur, vt cũ pecunia expenditur non vt diſtrahatur, ſed cõſeruetur ad oſtentationem, aut pompam, aut in pignus detur: aut ad aliquẽ effectum medicinæ, vt eadem numero reſtituatur. Primus vſus conuenit pecuniæ propriè, vt inuenta eſt ad negociandum, & pro hoc pecuniæ vſu, ſine vſura nihil accipi poteſt, cum eius vſus etiã ſit eiuſdem diſtractio. At pro ſecundo vſu poteſt aliquid accipi, cũ is ſit ſeparabilis, & in præpoſito caſu Dominium manet penes exponẽtem, quod nullo modo contingit in mutuo, & negociationis contractibus & in noſtro caſu non eſt verè commodatio ſiue commodatum, quamuis aliqui confundentes nomina, ita appellent, cum contractus commodati etiã debeat eſſe gratuitus iuxta Glo. communiter receptam in c. Conquæſt. cit. & in c. 1. de commod. ſed contractus, locati & condicti. In contractu autẽ locati & condicti poteſt quis lucrũ accipere vt patet quando loco alicui equũ, aut vaſa argentea ad vſum conuiuij. Neq; in hoc caſu vt Ioan. Bap. loc. cit. vult pecunia accipitur ex induſtria aliena, ſed ratione vſus pecuniæ meæ, quã alteri locaui, licet pecunia non inſeruiat ſine induſtria aliena, vtpote cum ſit inanimata. Et ſanè mirãdum eſt, quomodo intelligatur tale lucrum eſſe vſurarium,

cum

cum neque tacitum, neque expreſſum mutuum intercedat,& pecunia conſeruetur eadem numero reſtituenda. Hoc in loco tractandum eſſet cum quibuſdam Doctoribus de cambiorum materia, quæ latiſſima eſt, quam quia perſpectam non habeo,de ea diſſerere nolo,difficilis enim eſt,&experti mercatores plus de ea ſciunt circa practicam,quã plerique Doctores, vt verè Aurea Armilla, in verbo. Campſor ait. Remitto ergo lectorem ad Doctores, qui de Cambijs tractarũt. Sunt autẽ hi. F. Hieronymus à Luca in tract. de Cambijs Lugdunen.qui habetur in tom. 10. Oceani iuris. Card. Caiet.tom. 2. opuſculorum tract. 6. doctiſſimè & latiſſimè Dominic. Sotus lib. 6. de iuſtitia & iure à q. 8. Ioan. Medin.in C.de reb.per vſur.acquiſ.q.5. Nauar.in comment. huius cap. cuius ſummam repetit in Manuali confeſſar.cap. 17. à num. 283. Ioan.Bapt.Lup.in hoc cap.§.2.à numer. 43.& alij alibi.

## QVAESTIO. VII.

*An contractus ſocietatis ſit licitus, & quæ ad eius iuſtitiam requirantur?*

DE hac materia tractant. Conrardus de contractib. à q. 94. S. Antonin. 2. part. titu. 1. cap. 7. à §. 37. Dominic. Sotus de iuſtit.

& iure

& iure lib.6.q.6.artic.1.Angel. Sylueſt.& alij in verb.Societas. Canoniſtæ in hoc cap.& in cap.per veſtras,de donat.inter virum& vxorem Nauarr.in Manuali confeſſariorum capit.17.à numer.251.Didac. Couarr. lib.3.variarum reſolut.cap.2. Legiſtæ in C. & ff. pro Socio.

Contractus Societatis eſt cõuentio duorum vel plurium conferentium pecuniam, induſtriam & laborem ad lucrandum in negociatione.

Tribus potiſſimum modis hic cõtractus fieri poteſt. Primo, vt duo vel plures ſimul per omnia conferant, vnus tantum, quantum alius in pecunia, induſtria,& labore. Secundo, vt vnus ponat tantum pecuniam:alter induſtriam & laborem. Tertio vt vnus ponat pecuniam, ſaluetque capitale: & alter ſuſcipiat in ſe periculum pecuniæ, & ſuum laborem impendat, & in fine æqualiter lucrum diuidant.

Deinde in Societatis contractu aut committitur vſura, vt ſi mutuum pallietur ſub colore talis contractus: aut iniuſtitia,ſi vnus magis quam alter grauetur cæteris exiſtentibus paribus.

*Prima Concluſio.* Ante omnia ad iuſtam Societatem requiritur, vt negociatio ſit licita. Angel.in verb.Societas §.4.S.Antonin.2. parte tit.1.cap.7.§.38. Sylueſt.in verb. Socie-

tas.1.quæſt.1. Nauarr.in Manuali confeſſar. cap. 17. numer. 251. DD. cum text.in capit. Per veſtras de donationibus inter virum & vxorem. Hinc ſi quis contraheret ſocietatem cum vſurario, aut cum alio excercente iniquam negociationem nihil poſſit percipere lucri: alias particeps eſſet iniuſtitiæ.

*Secunda Concluſio.* Regulariter pecuniæ in ſocietatem collatæ periculum ſpectat ad conferentem, ita vt ſi pereat tota illi pereat, S.Thom.2.2.q.78.art.2. ad quintum Angel. Syluest.& Nauar.locis cit.Gloſſ. communiter recepta cap.Plerique 14.q.3. Couar.lib.3. variar. reſolut. cap. 2. Cardin. & Panorm. in hoc cap. Laurent. à Rodulph. in cap. Conſuluit.quæſtio.19. & alij alibi. communiter. Ratio huius concluſionis iuxta doctrinam S.Thomæ ſumi poteſt ex eo, quod periculum pecuniæ ſpectat ad eum, qui eius Dominus eſt: Conferens autem pecuniam in ſocietatem manet eius Dominus: & ſic cum periculo ipſius mercator negociatur. Dictũ in concluſione (regulariter) Quia ex adiunctis aliter fieri poteſt, vt quæſt. ſeq. videbitur.

*Tertia Concluſio.* Aliquis poteſt licitè pecuniam ſuam mercatori ad ſocietatem dare vt laborem & induſtriam impendat, lucrum autem ex ea acquiſitum ſit commune

vtrique

vtrique parti. L. Societas ff. pro ſocio & in §. De illa. Inſtit. de Societ. Ita ait Iuſtinianus, coiri ſocietatem poſſe nemo dubitat, vt alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum ſit commune, ſępe enim vnius ex ſocijs diligentia tantum prętat: quãtum pecunia ab alijs collata. Et in hac concluſione non eſt dubium.

*Quarta Concluſio.* Iniquus eſt ſocietatis contractus, quando pecuniam ſuſcipiens ſubit eiuſdem periculum, & damnum; lucrum vero ex ea partum eſt vtrique commune. S. Antonin. 2. parte titulo. 1. capite 7. §. 37. Conrardus de contractibus quæſtion. 97. Cardin. & Abb. in hoc capit. Gloſſ. in dict. capit. Plerique & communis eſt ſententia vt tradit Didac. Quia contra leges Societatis, quæ fraternitas quædam cenſetur, eſt, lucrum percipere & damnum refugere L. Si non fuerint ff. pro ſocio, & ibidem. L. cum duobus §. Quidam ſagariam.

*Quinta Concluſio.* In contractu ſocietatis, qui laborem & induſtriam impendit, poteſt cum eo qui pecuniam tantum confert, ita conuenire, vt ipſe liber ſit à periculo & damno pecuniæ in ſocietatem collatæ, & tamen participet in lucro. Conrard. de cõtractib. q. 97. in tertio modo dicẽdi. Dominic.

Sot.lib.6.de iuſtit.& iur.quæſt.6.artic.1.Sylueſt.in verb.Societas 1.qu.3. qui putat quod tale lucrum perciperet non eſt ſocius, ſed vt locator pro mercede operarum, cuius ſententiæ ante eum fuerunt Angelus de Peruſio in tract.de Societate, & Angel. à Clauaſio in ſumma, Verb.Societas 1. §. 6. Concluſionem etiam tenent Iuris DD. Panorm. in d.cap.per veſtras,& in conſil.77.libr.1. Ioan. ab Anania in hoc ca.num.7. Socinas Senior conſil. 265. incip. Præſentis conſultationis libr.2. quem allegat & approbat Andr.Gail. lib.2. practic. obſeruat. obſeruat. 28. Didac. loco cit.& alij alibi. Fundant concluſionem in d.§.de illa. & in L.d. Si non fuerint: Satis enim graue eſt adhibenti induſtriam & laborem, quod ſubeat periculum ſuæ operæ, quæ aliquando tam pretioſa eſt, vt tantum damni perdens illam accipiat, quam ſi bonam partem pecuniæ expoſitæ in ſocietatem perdidiſſet.

*Sexta Concluſio. Pro iudicandis Societatibus generalis.* Ad iuſtitiam Societatis naturaliter requiritur, vt æqualiter conferentes, æqualiter participent in lucro & damno: & inæqualiter dantes etiã proportionabiliter fiant participes lucri & damni. Probatur Concluſio. Societas eſt quędam fraternitas L. Verum. ff. pro Socio. Inter fratres autem iuſta debet eſſe diſtributio, & æqualis propor-

tio

tio vt nullus grauetur magis, quam de iure grauandus ſit, nec plus lucri percipiat, quam ei debitum ſit. Vnde cęteris paribus non humana, ſed leonina Societas eſt, quando aliquis vult percipere lucrum & non ſentire damnum. Hæc concluſio communiter à DD. tenetur.

*Septima Concluſio.* Quæ ex d. eruitur. Leges, quæ probare videntur, quod pacto fieri poſſit, vt inter ſocios fiat diſtributio proportionibus inæqualibus, vt in d. L. Si non fuerint. & in d. §. de illa. & Gloſſ. in L. Si paſcenda C. de pact. in verb. Portionibus intelligẽdæ ſunt, quando viri boni arbitrio vnus ex ſocijs maiorem partem, & ſortis, vel induſtriæ aut laboris contulerit, & non omnes æqualem, vt colligitur ex d. L. Si non fuerint, & hæc eſt omnium communis ſententia, vt teſtatur Couarru. Hinc pactum ſocietati adiunctum, ex quo inæqualitas reſultat, non valet. Azo & DD. in d. L. Non fuerint, & hæc communis opinio eſt, vt fatentur Purpurat. in d. L. Si paſcenda. Raphaël Fulgoſ. in d. L. Si non fuerint. Philip. Corneus in conſil. 112. & 320. libr. 4. Didac. vbi ſup. & alij alibi.

*Octaua Concluſio.* Finita ſocietate ſors ipſa, ſiue capitale redit ad conferentem, nec in ea, communicat is qui ſolum induſtriam laboremque impendit, niſi in principio aliter

conuentum ſit inter ſocios. Gloſſ. Bald. Caſtren. Salyc. & alij in L. 1. C. pro ſocio. Petrus Anchar. in conſil, 332. incip. pro clariori deciſione, & alij alibi; contractus enim legem accipiunt à conuentione.

*Nona Conclu.* Deinde facta collatione eorum, quæ in ſocietatē veniunt, arbitrio boni viri & experti in negociatione, lucrum diuidendum eſt. Hæc concluſio quæ communis eſt, elicitur ex dictis. Et vt in hoc iudicio faciendo non contingat error, debent commenſurari pecuniæ pecunijs, opera operæ, lucrum lucro, damnum damno, & hoc omnia taxari. Exemplum ad propoſitū dat Caiet. 2. 2. q. 78. art. 2. in reſponſ. ad quintū. Sunt tres ſocij, vnus ponit mille ducatos: alter ponit operas æſtimatas mille: alter ponit induſtriam ęſtimatam quingentis. Stabilienda eſt ſocietas, ac ſi tres poſuiſſent duo millia, & quingentos ducatos; ita tamen, vt tertius ſemper pro dimediate ſtet. Et ſic lucrum diuidendum eſt, vt ſi fuerint quinque, tertius habeat vnum, vterque autem aliorum duo. Et tandem quicquid ſupereſt eodem modo diuidendum eſt, ita quod ſi ſuperſunt duo millia & quingenti: mille dentur vni, & mille alteri, & quingenti tertio; Sic Caieta.

QVÆ-

## QVÆSTIO. VIII.

*An quis poßit iuſtè pecuniam in ſocietatem ita exponere, vt ſaluum maneat capitale, & etiam aliquod lucrum percipiat?*

TRactant de hac materia Theologi Ioan. Maior. in 4.d.15.q.48.& 49. Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 31. reſponſione 11. ad M. Conrard. Kœlim. Ange.& Sylueſt. in verb. Societas. Domin. Sotus loc. cit. art. 2. Doctores iuris in cap. Per veſtras donat. inter vir.& vxorem. Nauar. in commen. de vſur. à num. 32.& in Manuali confeſſ. ca. 17. nu. 253. Didac. Couar. loco d. num. 4.& alij alibi.

*Prima Concluſio.* Abſolutè loquendo pecuniam exponens in ſocietatem, non poteſt paciſci cum negociatore, vt capitale ſaluum habeat, & aliquod lucrum percipiat. Talis enim contractus eſt vſurarius, & lucrum inde proueniens iniuſtum & reſtitutioni obnoxium. Hanc cõcluſionem tradunt. Conrard. de contractib. quæſt. 97. Angel. in verb. Societas. §. 7. Syluest. eodem verb. quæſtio. 2. Aurea Armilla in eodem verb. Richard. in 4.d.15. Domin. Sotus in d. art. 2. Bald. in L. 1. C. pro ſocio q. 11. Panormit. in d. cap. Per veſtras. Roman. in conſ. 238. incip. Pro habenda, & alij alibi communiter. Ratio redditur, quia hæc non eſt ſocietas, ſed verè mutuum.

*Secunda Concluſio.* Qui exponit pecuniam in negociationem apud mercatorem, poteſt cum aliquo tertio inire contractum aſſecurationis capitalis, Angelus, Syluester, Aurea Armilla, Sotus, & alij. Patet Concluſio ex dictis de contractu aſſecurationis.

*Tertia Concluſio.* Hic contractus aſſecurationis poteſt etiam fieri cum eodē negociatore, cum quo initus eſt contractus ſocietatis, modo recta intentio ſit. Hanc concluſionem tradunt. Angel. Syluester, Aurea Armilla, Maior. Caietan. Nauar. Didac. locis allegatis. Ratio, quia talis negociator per hoc quod ſocius in negotiatione, non eſt deterioris conditionis, quam quilibet alius, ſed poteſt fieri contractus aſſecurationis cum alio tertio ſecundum communem ſentētiam. Ergo etiam cum eodem, cum nec ratio nec leges ſint in contrarium. Hæc concluſio eſt contra Dominicum Sotum, qui negat talem contractum ſocietatis & aſſecurationis licitè cum eodem poſſe fieri.

*Quarta Concluſio.* Dans mercatori pecuniā in ſocietatem ad negociandum abſolutè poteſt non ſolum aſſecurationem capitalis habere ab eodem, ſed etiam certum annuum lucrum vltra ſortem ex conuentione accipere. exem. gratia. quatuor aut quinque annuè de 100. idque interuenientibus tribus contractibus. Hanc tradunt Maior. Caietan.

Nauar.

Nauarr.locis citat.Idem Nauarr.libr.5.conſiliorum in tit.de vſur.conſil.8.nu.4.& conſ. 9.num.1.& conſ.16.num.1.&Ioſeph.Angles in florib.Theologicarum quæſtio.in 4.ſent. 2.part.in quæſtion. de contractu Societatis. 2. difficult. & alij iuniores in ſcholis. Sunt autem hi tres contractus, qui concurrere debent.

Primus ſocietatis,in quo vnus pecuniam, alter operam induſtriamque impēdit ad lucrum & damnum.Exempli gratia.Nicolaus pupillorum curator habet ratione tutelæ 1000.aureos,quos dat Henrico diligenti negociatori ad ſocietatem.

Secundus aſſecurationis, quo conuenit cum eodem Henrico, vt aſſecuret ſibi capitale,ne pereat,& pro tali aſſecuratione dat ei iuſtum lucrum vt 50. vel aliud pretium ad arbitrium boni & experti viri, vel tantundem remittit ex lucro.

Tertius ad releuandas multas computationes & rationes, quæ fierent & neceſſariæ eſſent in anno tam quo ad damnum quam ad lucrum; Nicolaus conuenit cum Henrico, vt qui ſortem aſſecurauit etiam aſſecuret certum lucrum probabile pro incerto futuro ad arbitrium boni viri in arte negociandi periti. Hunc modum latius Nauarr. alijs comprobat in d. comment. de Vſuris à nu.32. ac in Manuali confeſſ. & dicit ſe eum

obtuliſſe Regiæ Maieſtati contra quandam maximi ponderis ſocietatem iniquam. Caietan. diſſentit ab alijs in hoc, quod non vult iuſtè poſſe fieri dictos contractus vno & eodem tempore, ſed ſucceſſiuè. At alij conſentiunt vno eodemque tempore poſſe fieri ceſſante fraude & dolo, cum eadem ratio id perſuadeat. Imo addit Nauarr. in d. comment. quem alij ſequuntur, quod qua ratione fieri poteſt per dictos contractus formales & expreſſos; Ita etiam fieri valeat per tres tacitos, & æquiualentes: Quia regulariter eadem eſt virtus taciti: quæ expreſſi L. Cum quid ff. de reb. cred. ſi cert. pet. & cap. 2. de reſcript. & duorum æquipollentium idem eſt iudicium. L. fin. ff. mandat. Probatur nunc Concluſio primo. Iſti tres contractus ſecundum ſententiam receptam ſine vitio vſuræ poſſunt fieri cum diſtinctis perſonis: Ergo etiam cum vno & eodem, cum nulla ratio impediat modo abſit praua intentio. Deinde, vt idem Nauarr. atteſtatur in multis Galliæ & Italiæ partibus conſuetudo eſt immemorialis, quod Eccleſiæ, & viduæ & pupilli conferant ſuas pecunias mercatoribus, quo quatuor ſecuros pro centum annuè pro ſua ſuſtentatione lucrentur: quæ conſuetudo nullo modo aliter defendi poteſt, niſi quod fundetur in dicto ſocietatis modo, ab eoque originem habeat, & in hoc tem-

tempus continuetur: nec damnata fuit; cum tamen prædictæ nationes & regna in primis ſemper floruerint pietate, ſanctitate & eruditione. Vnde non eſt damnanda de vſuraria prauitate. Tandem fortiſſimè pro hac concluſione militat d. ca. Per veſtras, in quo Pontifex mandat marito vergente ad inopiam, vt dos deponatur apud aliquem mercatorem, vt ex honeſto lucro onera matrimonij ſuſtentari poſſint, & ſic intẽtio Pontificis fuit, vt dos ſaluaretur & non periculo perdẽdi exponeretur; Quia ea de cauſa eam à marito iubebat auferri. Si autẽ apud mercatorem in periculo eſſet, nõ ſatis prouiſum fuiſſet de dote pro ſupportatione onerum matrimonij: cum fortunæ inniteretur, & facile deficeret. Voluit ergo Pontifex dotem ſaluam, & etiam annuum honeſtum lucrum pro ſuſtentatione. Sed hæc alia via fieri non potuiſſet niſi per dictos contractus; cum alia via non occurrat. Nec valet expoſitio ſup. d. c. Per veſtras, quam Ioan. Andreas, & nonnulli alij dant, quod in fauorem Eccleſiarum, viduarum & pupillorum poſſit defendi conſuetudo mutuandi cum tali lucro, ita quod 4. vel 5. annuè accipiantur de 100. cum vſura ſit contra legem diuinam & humanam nec iuſtè exerceri poſſit etiam ad redemptionem captiuorum cap. Super eodem. ſupr. Et tunc dicunt Ioannes Andreas,

Cardin.

ſumma de vſur. §. An aliquo. Fulgoſ. in L. Cum duob.ff. de ſocio & alij alibi, tanquam ſpeciale indulgeri, vt marito vergente ad inopiam, pecunia dotalis poſſit dari mercatori cum pacto vt capitale ſaluum perſiſtat, & aliquod lucrum percipiatur. Vnde id inter priuilegia dotis refertur vt eſt videre apud Angelum in verb. Dos §. 11. Syluest. eodem verb. qu. 14. & alios, & ſimile adduci poteſt quemadmodum ſupra genero permittitur vt fructus pignoris nō computet in ſortem. Sed hæc expoſitio nullo modo ſuſtentari poteſt, & firmiſſimè confutatur eodem argumento, quo iam defenſio conſuetudinis improbata: Cum enim vſura contra ius naturale & diuinum ſit, Pontifex non poteſt diſpenſare & indulgere vt iuſte fiat ex d. cap. Super eodem & communi ſententia ibidem. Saluatur ergo melius d. ca. per expoſitionem Nauarri, quod dos poſſit dari mercatori in ſocietatem & ſaluari cum lucro per dictos contractus: Aut dari ad ſocietatem tantum cum contractu aſſecurationis capitalis fideli mercatori & induſtrio, qui ſemper & communiter reſpōdere poſſit de honeſto lucro, vt intendere videtur Angel. in verb. Societas §. 7. & ita non eſt priuilegium dotis, quia poteſt licite fieri in quocunque capitali ſic dato, vt idem auctor rectè aduertit modo tamen fraus & dolus non interueniant. Soti

funda-

fundamentum ad longum eneruat Nauarr. in d.comment.à num.36.

*Quinta Concluſio.* Talis contractus ſocietatis etiam ſi dicti tres concurrant non eſt licitus, cum eo, qui non eſt negociaturus. Hæc concluſio probatur ex d. cap. Per veſtras & DD.ibidem. & communi ſententia, quæ eſt quod contractus ſocietatis, vt hic de eo loquimur non fiat niſi in ordine ad negociationem, ita quod lucrum quæratur mediãte pecunia in ſocietatem expoſita, & accedente labore & induſtria eius, qui talem pecuniam ad negociandum recipit: Alias ſi pecunia detur nobili militi, clerico, aut alijs indigentibus ad certum lucrum ſaluo capitali, vſura palliatur: cum ſit merum mutuum ſub ſpecie ſocietatis. Hanc concluſionem expreſſe ponunt Nauarr.in Manual. confeſſ. cap. 17. nu.258. & Ioſeph. Angles vbi ſupra; nec poteſt eam aliquis negare, qui naturam cõtractus ſocietatis intelligit. Hac concluſione motus nunquam mihi placuit eorum ſententia, qui hac via per tres contractus aliquando voluerunt defendere emptionem cenſuum noſtrorum vſitatorum in Germania, quando 5. annuè de 100. percipiuntur. Quoniam emptio talium cenſuum, vt plurimum non contrahitur cum mercatoribus negociatoribus, ſed cum Eccleſijs, monaſterijs, nobilibus pauperioribus, & ruſticis miſeris,

ſeris, qui pecunia ſic recepta vtuntur ad ſuam occurrentem & prementem neceſſitatem & nullam cogitant exercere negociationem, nec id facere decet eos ratione officij & ſtatus, & aliquando ita apti ſunt ad exercitium mercaturæ; ſicut aſinus ad lyram vt dicitur.

*Dubitare hic quiſpiam poſſit.* Quid commodi ſit, quare potius per contractum Societatis cum aſſecuratione modo dicto, quis lucrum quærat, quam per emptionem cenſus? Cum per vtrumq; contractum annuè quis lucrari valeat 5. de 100.

Reſpondetur, quod magna ſit diuerſitas reſpectu eorum, qui pecunias exponũt, pro diuerſa natura contractuum. In emptione cenſus capitale ſiue ſors ab inuito repeti non poteſt, cum per venditionem ſit abalienata. At in contractibus ſocietatis & aſſecurationis, quia non omnino ſors, quæ traditur in ſocietatem alienatur, poteſt repeti etiã ab initio finita negociatione: aut ſi nõ negocietur ſed in alium finẽ pecunia tradita impendatur: aut in fine anni, prout inter ſocios cõuentum eſt. Sic quandoq; contingere poſſet quod eſſet in magnum incommodum & dãnum pupillorum, ſi ex eorum pecunia reditus emeretur, vtpote quod honeſtiori matrimonio donarentur, poſtquam adoleuerint: pecuniã promptam ſi haberent ad negociã-

dum,

dum, vel exercendum aliquam artem, quæ magnis impenſis indiget. Aut filia meliori frueretur marito, ſi dos in pecunia de pręſenti offerreretur, maritus diligens & induſtrius quādoque ſi dotem in pecunia haberet, honeſta negociatione poſſet lucrari 100. aureis in anno 15. aut plures, & tamen ex emptione cenſuum niſi 5. conſequitur. Tamen hoc etiam verum eſt, quod nō ſint tot negociatores, qui accipiāt ſic pecuniam in ſocietatem, quot ob infælicitatem horum temporum venditores cenſuum.

*Sexta Concluſio.* In terris Pontifici in temporalibus ſubiectis non habent amplius locum ſocietates, in quibus cum ſocio illi duo contractus aſſecurationis capitalis & certæ quantitatis lucri celebrantur. Hæc concluſio probatur ex Bulla ſiue conſtitutione Sixti V. edita Romæ Anno Domini 1586. 12. Kalend. Nouemb. quæ incipit. Deteſtabilis auaritiæ ingluuies, & eſt conſtitutio 46. in Bullario ſuarum conſtitutionum. pag. 154. ſic enim habet conſtitutio, poſt multa. *Damnamus & reprobamus omnes & quoſcunque contractus, conuentiones, & pactiones, poſthac ineundos ſeu ineundas, per quos ſeu quas cauebitur perſonis, pecunias, animalia, aut quaſlibet alias res Societatis nomine tradentibus, vt etiam ſi fortuito caſu quamlibet iacturam, damnum, aut amiſſionem ſequi contingat,*

*ſors*

*ſors ipſa ſeu capitale ſemper ſaluum ſit, & integrũ à ſocio recipiente reſtituatur, ſiue vt de certa quãtitate, vel ſumma in ſingulos annos, aut menſes durante ſocietate reſpondeatur. Statuimusq́ue huiuſmodi contractus, conuentiones & pactiones vſurarios, & illicitos poſthac cenſeri debere, atque in poſterum non licere eis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in ſocietatem tradent, de certo lucro, vt præfertur, percipiendo inter ſe paciſci & concordare: Neque etiam ſiue ad certum, ſiue ad incertum lucrum conuenerint, ſocios, qui ea recipient, ad ſortem ſeu capitale ſaluum & integrum, vbi illud caſu fortuito perierit, vel amiſſum erit, reddendum quouis pacto, aut promiſsione ſibi obligare: Ac ne de cætero ſocietates ineantur ſub huiuſmodi pactis & conditionibus, quæ vſurariam prauitatem ſapiunt, diſtrictè interdicimus & prohibemus, &c.*

Ex hac Pontificis conſtitutione reprobatur contractus Societatis cum aſſecuratione capitalis & certi lucri cum ſocio: eo quod magnam affinitatem habeat cum vſurarijs contractibus, & facile prudentes ſecundùm carnem & mundum ſub prætextu talium contractum palliant vſuras.

***

QVÆ-

## QVÆSTIO. IX.

*An licitus ſit contractus ſocietatis in animalibus, quam ſocidam appellant?*

DE hac materia tractant Conrar. latè de contractib. à q. 91. S. Anton. 2. par. tit. 1. c. 7. §. 39. Angel. in verb. Societas 2. Syluest. ibid. ex Iuriſperitis Ambr. à Vignate in c. Salubr. de vſur. late Barthol. Chaſſenæus ſuper conſetud. Burgundiæ Rubr. 4. §. 23. à nu. 55. Decius cum alijs in L. Si paſcenda pecora C. de pactis. In primis aduertendum, quod hic non agimus de locatione animalium ad operandum, ſed de contractu ſocietatis, quãdo tradũtur in ſocietatem ad paſcendum & nutriendum cum lucro & damno. Deinde quædam animalia ſunt groſſa, vt vaccæ, boues, bubuli, &c. quædam minuta, vt oues, capræ, porci, &c.

*Prima Concluſio generalis.* Omnis ſocietas circa animalia, in qua ponuntur pacta, & cõuentiones, quibus alicui ſociorum iudicio boni viri notabile damnum infertur, eſt illicita. S. Antoni. Angel. Syluest. loc. cit. & Nauar. in Manuali confeſſ. c. 17. nu. 261. & ratio ducitur à ratione iuſtitiæ, quę dat vnicuique quod ſuum eſt.

*Secunda Concluſio.* Quãdo quis tradit animalia ſiue maiora, ſiue minora in ſocietatẽ, vt capita ſtent periculo dantis in ſocietatem,

niſi recipiens ſit in culpa & dolo, fructus autem & emolumenta ſint communia, cõmuniter iuſtus cenſetur contractus. Hęc cõmunis eſt opinio, & ratio ducitur ex natura cõtractus ſocietatis, in quo periculum capitalis eſt penes conferentem, & lucrum diuiditur.

*Tertia Concluſio.* Iuſtus & validus eſt cõtractus ſocietatis in animalibus, quãdo quis alicui dat pecora in ſocidã, quod prius debeat percipere omnes fructus quouſque totum ſuum capitale rehabeat, & poſtea pecora ſint communia, & alia emolumenta. S. Antonin. loc. cit. Laurent. à Rodulphis ſuper ca. Conſuluit 2. par. q. 22. Ambr. à Vignate in d. c. Salubriter nu. 178. Nauar. vbi ſup. Io. Bap. Lup. in hoc c. §. 1. nu. 26. & alij alibi. Hæc concl. eſt contra Ioan. Lignanum in hoc. c. Vlderic. & aliquos alios. Concluſio tamen intelligenda modo capitalia ſemper ſtent ſuo periculo etiã ante ſortem recuperatam. Quando enim pecora manent in ipſius domino, & Domino ſuo pereunt, minimè poteſt eſſe contractus vſurarius, cum capitale non ſaluetur.

*Quarta Concluſio.* Si alicubi ſit cõſuetudo, quod oues vel alia animalia dentur in ſocietatẽ hoc pacto, quod recipiens habeat dimedietatem de ouibus prædictis, & commoda ſint cõmunia, modo etiam damna ſint communia, talis contractus cenſetur licitus, modo alia pacta, quæ iniuſtitiã præſeferant non adijcian-

adijciantur. Hanc cõcluſionem tradit Conrard.in q.90.in caſu tertio.

*Quinta Concluſio.* Si quis det in ſocietatem alicui vitulos nutriendos æſtimatos in principio ſocietatis iuſto pretio, ita quod poſt tres, aut quatuor annos vendantur, hac conditione, vt ante omnia ſuum capitale extrahat, quod ſoluit, aut dedit, & deinde lucrum ſit commune, modo capita ſubſtent in caſu fortuito periculo dantis, iuſtus eſt cõtractus. Conrard.loc.cit.caſu primo. Hinc iuſtus eſt contractus, quando emo à Ioanne iuſto pretio bouem duorum annorum, & relinquo ipſi in ſocietatem, vt poſt biennium vendatur, & inprimis meam pecuniam quam expoſui, rehabeam deinde lucrum meliorationis ſit commune, modo meo ſubiaceat periculo, niſi Ioannes ſit in culpa.

*Sexta Concl.* Quantum ad pecora quando in ſocietatẽ dantur in diuiſione ſeruanda eſt cõſuetudo patriæ, quando nõ ſunt conuentiones & pacta, oues in quibuſdã locis ſingulis annis diuidũtur, in alijs tertio, aut quarto anno de reliquis ſimilis eſt ratio. In quibuſdã locis porci etiã dantur in ſocietatẽ ſicut oues & capræ, & tunc etiam quantũ ad diuiſionẽ ſeruandus mos cõſuetus, vt ex Angelo, Syl-ueſt. Sũma Baptiſtiniana & alijs in verb. Societas clarum eſt. Imo Angel. & ſumma Baptiſtiniana allegant Extrauagantes pro hac

materia poſitas in fine decimæ collationis feudorum.

## QVÆSTIO. V.

*An qui bona fide facit aliquem contractum, quem putat eſſe iuſtum, licet verè ſit vſurarius, cõſuetus tamen maximè in ea prouincia fieri, peccet?*

HÆc quęſtio in materia vſurarum maximam poteſt habere vtilitatem, cum in multis caſibus, cõtractuum iuſtitia probata ſit ex conſuetudine & obſeruantia plurimorum. Difficultatem faciunt. In primis ignorantia iuris non excuſat c. Ignorãtia facti nõ iuris excuſat, de reg. iuris in 6. Deinde ignorantia iuris naturalis & diuini non excuſat 1. q. 4. §. Notandum cum Gloſ. At vſura eſt cõtra ius naturale & diuinum, vt omnes fatentur & ſupra probatum eſt. Poſtremo conſuetudo nõ poteſt abrogare ius diuinum & naturale c. Quæ contra d. 8. & c. fin. de conſuetud. cum annotatis ibid. à DD. Ante omnia prænotandum quod triplex eſt ignorantia. Affectata, Craſſa ſiue ſupina, & Inuincibilis ſiue iuſta, quæ Iuriſperitis etiam probabilis vocatur. Affectata, quando quis ignorat ea, quæ ſcire tenetur, ex electione, vt liberius peccet; aut vt ſit ei cauſa excuſationis, & hæc ignorantia in nullo excuſat peccatum, imò auget propter intenſiorem voluntatis conatum. Craſſa ſiue ſupina, quãdo quis ignorat id,

id, quod facili negocio ſciri poteſt, & homines ſui ordinis vt plurimum ſciunt: vtpote vult aliquis celebrare contractum, de cuius iuſtitia dubitat, poteſt habere recurſum ad doctiores, negligit adhibere conſiliū. Inuincibilis, quando quis ignorat, quod nō potuit ſcire: vel ſi potuit, non tenetur ſcire. De hac triplici ignorantia agunt S. Thom. 1. 2. q. 76. art. 2. & ibid. eius cōmentatores Cardin. Caiet. latè Bart. à Medina, & nouiſſimè Gregor. de Valentia Doctor Theolog. Societatis Ieſu, in 1. 2. S. Thom. Diſput. 6. q. 6. Angel. Sylueſt. & alij in verb. Ignorantia. Canoniſtæ, in d. c. Ignorantia. Deinde præcepta ſiue iura quędam ſunt per ſe nota, vtpote prima principia iuris naturæ, vt quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Bonum amplectēdum, Malum fugiendum. Alia ex dictis facili negocio euidenti argumentandi cōnexione colligūtur à quouis vtente lumine rationis, vt furtū eſſe peccatum ex illo, quod tibi non vis fieri, &c. Quædam alia ſunt, quæ longe ex dictis principijs petuntur per argumentationem non adeo euidentē, & ſic non eodē modo ab omnib. probantur, vt an cōtractus cenſus ſit licitus. An ratione lucri ceſſantis in omni caſu aliquid ſit licitū accipere, &c. An propria auctoritate liceat ſe vindicare, &c. Iuriſperiti quidam diuidunt in ius indubitabile ſiue clarum, & dubiū ſiue obſcurū, vt patebit ex dicendis.

obtuliſſe Regiæ Maieſtati contra quandam maximi ponderis ſocietatem iniquam. Caietan.diſſentit ab alijs in hoc,quod non vult iuſtè poſſe fieri dictos contractus vno & eodem tempore, ſed ſucceſſiuè. At alij conſentiunt vno eodemque tempore poſſe fieri ceſſante fraude & dolo, cum eadem ratio id perſuadeat. Imo addit Nauarr. in d. comment. quem alij ſequuntur,quod qua ratione fieri poteſt per dictos contractus formales & expreſſos; Ita etiam fieri valeat per tres tacitos, & æquiualentes: Quia regulariter eadem eſt virtus taciti: quæ expreſſi L. Cum quid ff.de reb.cred.ſi cert.pet.& cap.2.de reſcript. & duorum æquipollentium idem eſt iudicium. L.fin.ff.mandat. Probatur nunc Concluſio primo. Iſti tres contractus ſecundum ſententiam receptam ſine vitio vſuræ poſſunt fieri cum diſtinctis perſonis: Ergo etiam cum vno & eodem, cum nulla ratio impediat modo abſit praua intentio. Deinde, vt idem Nauarr. atteſtatur in multis Galliæ & Italiæ partibus conſuetudo eſt immemorialis, quod Eccleſiæ, & viduæ & pupilli conferant ſuas pecunias mercatoribus, quo quatuor ſecuros pro centum annuè pro ſua ſuſtentatione lucrentur: quæ conſuetudo nullo modo aliter defendi poteſt, niſi quod fundetur in dicto ſocietatis modo,ab eoque originem habeat, & in hoc

tem-

tempus continuetur:nec damnata fuit;cum tamen prædictæ nationes & regna in primis ſemper floruerint pietate, ſanctitate & eruditione. Vnde non eſt damnanda de vſuraria prauitate. Tandem fortiſſimè pro hac concluſione militat d. ca.Per veſtras, in quo Pontifex mandat marito vergente ad inopiam,vt dos deponatur apud aliquem mercatorem, vt ex honeſto lucro onera matrimonij ſuſtentari poſſint,& ſic intētio Pontificis fuit, vt dos ſaluaretur & non periculo perdēdi exponeretur; Quia ea de cauſa eam à marito iubebat auferri. Si autē apud mercatorem in periculo eſſet, nō ſatis prouiſum fuiſſet de dote pro ſupportatione onerum matrimonij:cum fortunæ inniteretur,& facile deficeret. Voluit ergo Pontifex dotem ſaluam,& etiam annuum honeſtum lucrum pro ſuſtentatione. Sed hæc alia via fieri non potuiſſet niſi per dictos contractus; cum alia via non occurrat. Nec valet expoſitio ſup. d. c. Per veſtras, quam Ioan. Andreas,& nonnulli alij dant, quod in fauorem Eccleſiarum, viduarum & pupillorum poſſit defendi conſuetudo mutuandi cum tali lucro, ita quod 4. vel 5. annuè accipiantur de 100. cum vſura ſit contra legem diuinam & humanam nec iuſtè exerceri poſſit etiam ad redemptionem captiuorum cap. Super eodem, ſupr. Et tunc dicunt Ioannes Andreas,

Cardin,

ſumma de vſur. §. An aliquo. Fulgoſ. in L. Cum duob.ff. de ſocio & alij alibi, tanquam ſpeciale indulgeri, vt marito vergente ad inopiam, pecunia dotalis poſſit dari mercatori cum pacto vt capitale ſaluum perſiſtat, & aliquod lucrum percipiatur. Vnde id inter priuilegia dotis refertur vt eſt videre apud Angelum in verb. Dos §. 11. Sylueſt. eodem verb. qu.14.& alios, & ſimile adduci poteſt quemadmodum ſupra genero permittitur vt fructus pignoris nõ computet in ſortem. Sed hæc expoſitio nullo modo ſuſtentari poteſt, & firmiſſimè confutatur eodem argumento, quo iam defenſio conſuetudinis improbata: Cum enim vſura contra ius naturale & diuinum ſit, Pontifex non poteſt diſpenſare & indulgere vt iuſte fiat ex d. cap. Super eodem & communi ſententia ibidem. Saluatur ergo melius d.ca.per expoſitionem Nauarri, quod dos poſſit dari mercatori in ſocietatem & ſaluari cum lucro per dictos contractus: Aut dari ad ſocietatem tantum cum contractu aſſecurationis capitalis fideli mercatori & induſtrio, qui ſemper & communiter reſpõdere poſſit de honeſto lucro, vt intendere videtur Angel.in verb. Societas §.7.& ita non eſt priuilegium dotis, quia poteſt licite fieri in quocunque capitali ſic dato, vt idem auctor rectè aduertit modo tamen fraus & dolus non interueniant. Soti

funda-

fundamentum ad longum eneruat Nauarr. in d.comment.à num.36.

*QuintaConcluſio.* Talis contractus ſocietatis etiam ſi dicti tres concurrant non eſt licitus, cum eo, qui non eſt negociaturus. Hæc concluſio probatur ex d. cap. Per veſtras & DD.ibidem. & communi ſententia, quæ eſt quod contractus ſocietatis, vt hic de eo loquimur non fiat niſi in ordine ad negociationem, ita quod lucrum quæratur mediāte pecunia in ſocietatem expoſita,& accedente labore & induſtria eius, qui talem pecuniam ad negociandum recipit: Alias ſi pecunia detur nobili militi,clerico,aut alijs indigentibus ad certum lucrum ſaluo capitali, vſura palliatur: cum ſit merum mutuum ſub ſpecie ſocietatis. Hanc concluſionem expreſſe ponunt Nauarr.in Manual. confeſſ. cap. 17. nu.258. & Ioſeph. Angles vbi ſupra; nec poteſt eam aliquis negare, qui naturam cōtractus ſocietatis intelligit. Hac concluſione motus nunquam mihi placuit eorum ſententia, qui hac via per tres contractus aliquando voluerunt defendere emptionem cenſuum noſtrorum vſitatorum in Germania, quando 5. annuè de 100. percipiuntur. Quoniam emptio talium cenſuum, vt plurimum non contrahitur cum mercatoribus negociatoribus, ſed cum Eccleſijs, monaſterijs, nobilibus pauperioribus, & ruſticis miſeris,

ſeris, qui pecunia ſic recepta vtuntur ad ſuam occurrentem & prementem neceſſitatem & nullam cogitant exercere negociationem, nec id facere decet eos ratione officij & ſtatus, & aliquando ita apti ſunt ad exercitium mercaturæ; ſicut aſinus ad lyram vt dicitur.

*Dubitare hic quiſpiam poſſit.* Quid commodi ſit, quare potius per contractum Societatis cum aſſecuratione modo dicto, quis lucrum quærat, quam per emptionem cenſus? Cum per vtrumq; contractum annuè quis lucrari valeat 5. de 100.

Reſpondetur, quod magna ſit diuerſitas reſpectu eorum, qui pecunias exponũt, pro diuerſa natura contractuum. In emptione cenſus capitale ſiue ſors ab inuito repeti non poteſt, cum per venditionem ſit abalienata. At in contractibus ſocietatis & aſſecurationis, quia non omnino ſors, quæ traditur in ſocietatem alienatur, poteſt repeti etiã ab initio finita negociatione: aut ſi nõ negocietur ſed in alium finẽ pecunia tradita impendatur: aut in fine anni, prout inter ſocios cõuentum eſt. Sic quandoq; contingere poſſet quod eſſet in magnum incommodum & dãnum pupillorum, ſi ex eorum pecunia reditus emeretur, vtpote quod honeſtiori matrimonio donarentur, poſtquam adoleuerint: pecuniã promptam ſi haberent ad negociãdum,

dum, vel exercendum aliquam artem, quæ magnis impenſis indiget. Aut filia meliori frueretur marito, ſi dos in pecunia de præſenti offerreretur, maritus diligens & induſtrius quãdoque ſi dotem in pecunia haberet, honeſta negociatione poſſet lucrari 100. aureis in anno 15. aut plures, & tamen ex emptione cenſuum niſi 5. conſequitur. Tamen hoc etiam verum eſt, quod nõ ſint tot negociatores, qui accipiãt ſic pecuniam in ſocietatem, quot ob infælicitatem horum temporum venditores cenſuum.

*Sexta Concluſio.* In terris Pontifici in temporalibus ſubiectis non habent amplius locum ſocietates, in quibus cum ſocio illi duo contractus aſſecurationis capitalis & certæ quantitatis lucri celebrantur. Hæc concluſio probatur ex Bulla ſiue conſtitutione Sixti V. edita Romæ Anno Domini 1586. 12. Kalend. Nouemb. quæ incipit. Deteſtabilis auaritiæ ingluuies, & eſt conſtitutio 46. in Bullario ſuarum conſtitutionum. pag. 154. ſic enim habet conſtitutio, poſt multa. *Damnamus & reprobamus omnes & quoſcunque contractus, conuentiones, & pactiones, poſthac ineundos ſeu ineundas, per quos ſeu quas cauebitur perſonis, pecunias, animalia, aut quaſlibet alias res Societatis nomine tradentibus, vt etiam ſi fortuito caſu quamlibet iacturam, damnum, aut amiſſionem ſequi contingat,*

*ſors*

*ſors ipſa ſeu capitale ſemper ſaluum ſit, & integrũ à ſocio recipiente reſtituatur, ſiue vt de certa quãtitate, vel ſumma in ſingulos annos, aut menſes durante ſocietate reſpondeatur. Statuimusq́ huiuſmodi contractus, conuentiones & pactiones vſurarios, & illicitos poſthac cenſeri debere, atq́ in poſterum non licere eis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in ſocietatem tradent, de certo lucro, vt præfertur, percipiendo inter ſe paciſci & concordare: Neq́ etiam ſiue ad certum, ſiue ad incertum lucrum conuenerint, ſocios, qui ea recipient, ad ſortem ſeu capitale ſaluum & integrum, vbi illud caſu fortuito perierit, vel amiſſum erit, reddendum quouis pacto, aut promiſſione ſibi obligare: Ac ne de cætero ſocietates ineantur ſub huiuſmodi pactis & conditionibus, quæ vſurariam prauitatem ſapiunt, diſtrictè interdicimus & prohibemus, &c.*

Ex hac Pontificis conſtitutione reprobatur contractus Societatis cum aſſecuratione capitalis & certi lucri cum ſocio : eo quod magnam affinitatem habeat cum vſurarijs contractibus, & facile prudentes ſecundùm carnem & mundum ſub prætextu talium contractum palliant vſuras.

***

QVÆ-

## QVÆSTIO. IX.

*An licitus ſit contractus ſocietatis in animalibus, quam ſocidam appellant?*

DE hac materia tractant Conrar. latè de contractib. à q. 91. S. Anton. 2. par. tit. 1. c. 7. §. 39. Angel. in verb. Societas 2. Syluest. ibid. ex Iuriſperitis Ambr. à Vignate in c. Salubr. de vſur. late Barthol. Chaſſenæus ſuper conſetud. Burgundiæ Rubr. 4. §. 23. à nu. 55. Decius cum alijs in L. Si paſcenda pecora C. de pactis. In primis aduertendum, quod hic non agimus de locatione animalium ad operandum, ſed de contractu ſocietatis, quãdo tradũtur in ſocietatem ad paſcendum & nutriendum cum lucro & damno. Deinde quædam animalia ſunt groſſa, vt vaccæ, boues, bubuli, &c. quædam minuta, vt oues, capræ, porci, &c.

*Prima Concluſio generalis.* Omnis ſocietas circa animalia, in qua ponuntur pacta, & cõuentiones, quibus alicui ſociorum iudicio boni viri notabile damnum infertur, eſt illicita. S. Antoni. Angel. Syluest. loc. cit. & Nauar. in Manuali confeſſ. c. 17. nu. 261. & ratio ducitur à ratione iuſtitiæ, quę dat vnicuique quod ſuum eſt.

*Secunda Concluſio.* Quãdo quis tradit animalia ſiue maiora, ſiue minora in ſocietatẽ, vt capita ſtent periculo dantis in ſocietatem,

niſi recipiens ſit in culpa & dolo, fructus autem & emolumenta ſint communia, cõmuniter iuſtus cenſetur contractus. Hęc cõmunis eſt opinio, & ratio ducitur ex natura cõtractus ſocietatis, in quo periculum capitalis eſt penes conferentem, & lucrum diuiditur.

*Tertia Concluſio.* Iuſtus & validus eſt cõtractus ſocietatis in animalibus, quãdo quis alicui dat pecora in ſocidã, quod prius debeat percipere omnes fructus quouſque totum ſuum capitale rehabeat, & poſtea pecora ſint communia, & alia emolumenta. S. Antonin. loc. cit. Laurent. à Rodulphis ſuper ca. Conſuluit 2. par. q. 22. Ambr. à Vignate in d. c. Salubriter nu. 178. Nauar. vbi ſup. Io. Bap. Lup. in hoc c. §. 1. nu. 26. & alij alibi. Hæc concl. eſt contra Ioan. Lignanum in hoc. c. Vlderic. & aliquos alios. Concluſio tamen intelligenda modo capitalia ſemper ſtent ſuo periculo etiã ante ſortem recuperatam. Quando enim pecora manent in ipſius domino, & Domino ſuo pereunt, minimè poteſt eſſe contractus vſurarius, cum capitale non ſaluetur.

*Quarta Concluſio.* Si alicubi ſit cõſuetudo, quod oues vel alia animalia dentur in ſocietatẽ hoc pacto, quod recipiens habeat dimedietatem de ouibus prædictis, & commoda ſint cõmunia, modo etiam damna ſint communia, talis contractus cenſetur licitus, modo alia pacta, quæ iniuſtitiã præſeferant non adijcian-

adijciantur. Hanc cõcluſionem tradit Conrard.in q.90.in caſu tertio.

*Quinta Concluſio.* Si quis det in ſocietatem alicui vitulos nutriendos æſtimatos in principio ſocietatis iuſto pretio, ita quod poſt tres,aut quatuor annos vendantur,hac conditione, vt ante omnia ſuum capitale extrahat,quod ſoluit,aut dedit, & deinde lucrum ſit commune, modo capita ſubſtent in caſu fortuito periculo dantis,iuſtus eſt cõtractus. Conrard.loc.cit.caſu primo. Hinc iuſtus eſt contractus,quando emo à Ioanne iuſto pretio bouem duorum annorum, & relinquo ipſi in ſocietatem, vt poſt biennium vendatur,& inprimis meam pecuniam quam expoſui,rehabeam deinde lucrum meliorationis ſit commune,modo meo ſubiaceat periculo,niſi Ioannes ſit in culpa.

*Sexta Concl.* Quantum ad pecora quando in ſocietatẽ dantur in diuiſione ſeruanda eſt cõſuetudo patriæ, quando nõ ſunt conuentiones& pacta,oues in quibuſdã locis ſingulis annis diuidũtur,in alijs tertio, aut quarto anno de reliquis ſimilis eſt ratio.In quibuſdã locis porci etiã dantur in ſocietatẽ ſicut oues & capræ, & tunc etiam quantũ ad diuiſionẽ ſeruandus mos cõſuetus, vt ex Angelo, Syluest. Sũma Baptiſtiniana & alijs in verb. Societas clarum eſt. Imo Angel. & ſumma Baptiſtiniana allegant Extrauagantes pro hac

 materia

id,quod facili negocio ſciri poteſt, & homines ſui ordinis vt plurimum ſciunt: vtpote vult aliquis celebrare contractum, de cuius iuſtitia dubitat, poteſt habere recurſum ad doctiores,negligit adhibere conſiliũ.Inuincibilis,quando quis ignorat,quod nõ potuit ſcire:vel ſi potuit,non tenetur ſcire. De hac triplici ignorantia agunt S.Thom.1.2. q.76. art.2.& ibid. eius cõmentatores Cardin. Caiet.latè Bart.à Medina,& nouiſſimè Gregor. de Valentia Doctor Theolog.Societatis Ieſu,in 1.2.S.Thom.Diſput.6.q.6.Angel. Sylueſt.& alij in verb.Ignorantia.Canoniſtæ,in d.c. Ignorantia. Deinde præcepta ſiue iura quędam ſunt per ſe nota,vtpote prima principia iuris naturæ, vt quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.Bonum amplectẽdum, Malum fugiendum.Alia ex dictis facili negocio euidenti argumentandi cõnexione colligũtur à quouis vtente lumine rationis,vt furtũ eſſe peccatum ex illo,quod tibi non vis fieri, &c. Quædam alia ſunt, quæ longe ex dictis principijs petuntur per argumentationem non adeo euidentẽ,& ſic non eodẽ modo ab omnib.probantur,vt an cõtractus cenſus ſit licitus.An ratione lucri ceſſantis in omni caſu aliquid ſit licitũ accipere, &c. An propria auctoritate liceat ſe vindicare, &c. Iuriſperiti quidam diuidunt in ius indubitabile ſiue clarum, & dubiũ ſiue obſcurũ, vt patebit ex dicendis.

*Prima Concluſio.* Conſuetudo,vtpote quia actus communiter fieri cõſueuit,etiamſi iniuſta ſit,excuſat aliquem à pœna debita temporali in foro fori.Bald.in L.vnica.q.3. C.de his,quæ pœnæ nom.Bart.in L.Quid ſi fugitiuus §. apud labeonem, etiãſi in veritate ſit vſurarius, ff. de ædil.edict.Rom.in ſingulari 19.Decius in conſil. 170. incip. Viſo themate,& his quæ narrata num.2. qui plures allegat ad propoſitum. Oldrad. de ponte conſ. 207.incip. Vniuerſis præſentes literas inſpecturis.Ioan.Bap.Lup.in commen.4.de vſur. §.4.nu.65. & plures ab eo allegati, Nauar.de vſur.conſ.13.nu. 2.

*Secunda Concluſio.* Conſuetudo iniuſta, vtpote quia impunè contractus vſurarius, aut actus illicitus in loco ſolet exercere nõ excuſat in foro cõſcientiæ & apud Deũ, nec liberat à pœna æterna.Gloſ.recepta in c.Deniq; d.4.Iaſ.in L.3.§.Iurari.n.16.ff. de iureiu. Roman.d.ſing.19.& Ioan.Bap.qui alios allegat.

*TertiaConcluſio.* Qui bona fide exercet aliquẽ contractũ in regione fieri ſolitũ, qui in rei veritate ſapit vſurã, nec tamen ex forma talis apparet,ſed eſt dubij &obſcuri iuris,excuſatur à peccato propter conſuetudinem. Bart. receptus in d. §. Apud labeonẽ, ab alijs per text.ibid.cũ dicit. Qui id facit, quod publicè facere licere arbitratur. Dec.in d.conſ. 170.Cæpol.de ſimulatis contractib.in princ. col.

col3.&in 5.caſu principali col.vlt.latè Andr. Tyraq.lib.2.de vtroque retract. §. Finis. nu. 127. qui plurimas allegationes pro hac concluſione adfert, & Martin. Nauarr. in conſ. 20.num.5.in tit.de vſur.lib.5.Quod maximè obtinet, quãdo huiuſmodi contractus ſolet fieri à timoratis & honeſtis perſonis per ea, quæ Bald.dicit in L.1.colum.7.C.de his,quæ pœnæ nom.& latius comprobat Tyraq.loc. cit. à numero 130. Pro hac concluſione facit quod actus dubius non debet præſumi vſurarius Bald.in L. Rogaſti. §. Si tibi in fine ff. Si certum petatur. Decius ibidem. Cæpol. vbi ſupra. Alexand.conſ.222.incipien.Super titulo quæſtionis, colum.2.libr.2. Tyraquel. num. 126. qui more ſuo plurimas allegationes accumulat. Et conſuetudo inſpici debet ad hoc vt videatur, an contractus ſit vſurarius, nec ne. Bartol. in d. §. apud labeonem. Bald.in d.L.1.Iaſ.in L.1.in 2.lect.colum.8.& 9.C.de ſumm.Trinitat.Dec.& Oldrad.in d. conſ. plures ad idem propoſitum adducit Anton. Gabrielius Romanus libro 6.communionem opinionem in titulo de conſuetud.concluſ.1.nu.29.Confirmatur latius.Ignorantia iuris dubij & obſcuri excuſat, ita vt bona fide exercens actum cõtra non peccet. Gloſſa in cap.1.in verb.De cętero,de poſtul. prælat. in 6.Dominic.Geminian.ibid.Card. in Clem.1.§.fin.oppoſ.3. errans in contractu

de quo inter DD. dubium eſt. An ſit vſurarius non peccat. Panor. in c. Cum dilectus de conſuetud. Felin. in c. De quarta nu. 27. qui plures allegat. Nauar. in d. conſ. & lib. 1. conſil. in tit. de his. quæ vi, metuſque cauſa ſunt conſ. 2. nu. 11. & alij alibi. Et ignorantia iuris non frequētati etiam excuſationē admittit. Ioan. And. in d. reg. Ignorantia in mercurialibus. Alex. in L. Non fatetur ff. de confeſſ. Bald. in L. Venditioni C. de vſucap. pro emp. Felin. in d. c. De quarta, & probatur per L. Si fideiuſſor §. Quędam ff. mandati Errans bona fide in apicibus iuris excuſatur, per quem text. ibid. Bart. & alij allegati in eius additionibus, & DD. in c. 1. de re iudi. tradunt quod quatenus iuris eſt vt ſententia lata contra ius nō valeat, id intelligendū ſit de lata cōtra ius clarum, ita vt non comprehendat latam cōtra ius obſcurum & dubium, vt etiam annotarunt Panorm. & Felin. vbi ſupra & Nauar. in d. conſ. 20. de vſur. facit ad idem, quod Angel. in verb. Ignorantia §. 4. circa finem, Sylueſt. in eod. verb. q. 7. & alij docēt. quod quādo ius naturę non eſt explicitum, ſed reducibile cum maxima ſubtilitate, excuſatur ignorans & tranſgrediens. Durum enim eſſet dicere, quod peccaret mortaliter, qui facit ſecundùm ſubtilitatem contractum illicitum credens licitum.

*Quarta Concluſio.* Contractus ſiue actus nō propte-

propterea cenſetur licitus,quod palã &publicè ſoleat fieri, id eſt conſuetudo non facit contractum verè vſurarium,aut alias illicitũ ex ſua natura,iuſtum & licitum, ſed tantum efficit vt exiſtẽte re dubia excuſetur, qui talẽ contractum facit,& non peccet. Hæc concluſio facit ad maiorem intelligentiam præcedentis,probatur.Conſuetudo nõ derogat iuri naturali & diuino c. fin. de conſetud. & alibi. At contractus vſurarius eſt contra ius naturale &diuinũ c.Quia in omnibus ſupra. Ideoq; nec ſummus Pontifex poteſt diſpenſare, quod vſura licitè exerceatur. Hanc cõcluſionem tradunt Tyraq.loc.cit.nu. 127. & Anton.Burgen.de empt.& vend. ca.Ad noſtram. nu. 20. & dicit adeo eſſe verum quod etiamſi totus mundus peccaret,non propter hoc magis diceretur contractus licitus arg. c.flagitia 32.q.5.Ideoq; hic auctor reprehendit Bart.in d.§.apud labeonem, quod ex cõſuetudine contendat facere cõtractum licitum,alias vſurarium.Sed Bart. intelligendus ſecundùm doctrinam præſentis concluſionis in caſu iuris obſcuri. Anto. Burgen.procedit in caſu ſequentis concluſionis vt patet ex eis,quę ibidem tractat.Conſuetudo enim licet nõ poſſit abrogare ius diuinum, aut naturale,poteſt tamen illud minuere,augere & diſtinguere.Innoc. in d.c.fin. receptus à Panorm.& alijs & Nauar.in d.conſ.num.6.

*Quinta Concluſio.* Exercens bona fide contractum contra ius clarum, vtpote quia videt ab alijs exerceri, peccat, nec excuſatur. Probatur Concl. per d. ca. Ignorantia de reg. iur. in 6. & nemo in ea dubitare poteſt. Talis non laborat ignorantia inuincibili & probabili, ſed culpabili: Cum eam vincere poſſit conſulendo peritos. Qui autem conſulere poteſt peritos, nec facit non excuſatur ignorantia iuris L. iuris ignorãtia. C. Qui admitti ad bonorum poſſeſſ. poſſunt Bart. Bald. Alex. & alij ibidem. Quare optimè tradit Nauar. in tit. de vſur. conſ. 34. quod vendentem carius ob dilatam ſolutionem non excuſat cõſuetudo: Quod etiam voluit Anton. Burgen. loc. cit. quando reprehendit male Bart. in d. §. Apud labeonẽ. Nam Burgen. loquitur etiam expreſſe de venditione ob dilatam ſolutionem: Nec mirum quod in hoc caſu conſuetudo non excuſat: cum ius ſit clariſſimum talem vẽditionem factam cariori pretio ob dilatam ſolutionem eſſe iniquam & vſurariam, vt traditum in cap. In ciuitate, & patet etiam ex hoc cap.

*Sexta Concluſio.* Qui dubitans practicè exercet cõtractum & actum, qui in rei veritate licitus eſt, & conſuetus celebrari in Prouincia, peccat, niſi antea conſcientiam dubiam deponat. Probatur Concluſio. Talis facit cõtra conſcientiam dubiam. At facere contra

con-

conſcientiam dubiam eſt peccatum, iuxta illud Rom. 14. Omne quod non eſt ex fide peccatũ eſt, id eſt, quod non eſt ex conſciẽtia dictante eſſe licitum, quod operamur, & Eccleſ. 3. Qui amat periculum, peribit in illo. Sed qui dubitat, an id quod operatur peccatum ſit, exponit ſe periculo peccandi. Idem probatur ex ca. Dominus de ſecundis nupt. & c. Inquiſitioni & ſic communiter DD. tradunt S. Tho. quodl. 8. art. 13. Adrian. quodl. 2. col. 7. & dicit quod Magiſtralis regula ſit. Quicũq; agit id, de quo dubitat, an ſit mortale, peccat mortaliter, diſcrimini ſe exponens. Conrard. de contractib. q. 100. Angel. Sylueſt. & alijs in verb. Conſcientia. Nauarr. in Manuali confeſſa. cap. 27. num. 288. & latiſſimè omnium in ca. Si quis autem, de pœnitent. d. 7. & in hac re Theologus non dubitat.

*Septima Concluſio.* Quando ius obſcurum eſt, & ſunt diuerſę probatorũ auctorum ſententię, qui bona fide alteram, quã rationabiliorẽ exiſtimat, eligit & ſecundum eã operatur, nõ peccat. Hæc concl. probatur ex c. Capellanus de ferijs cum Glo. Panorm. Anton. Butrio & alijs ibidem. Innocent. in c. Ne innitaris de conſtit. Alexan. lib. 2. conſil. 1. conſ. Angel. Syluest. & alijs in verb. opinio. Conrard. de contractib. q. vlt. S. Antoni. 1. par. tit. 3. cap. 10. §. vlt. Nauar. in d. cap. Si quis autem. nu. 7.

nu.7. Ex hac concl. infertur, quod etiam ſecurè alteri petenti conſilium ſecundum eãdem poteſt cõſulere. Dictum in concluſione (diuerſæ probatorum auctorũ ſententię) quia ſi indocti, qui nullum nomen eruditionis & famę haberent indoctas & ſine ratione ac auctoritate ſentẽtias effingerent, & diuulgarẽt, non eſſet eis inhærendũ, iuxta ea, quæ dicit Felin. loc. cit. Dictum (quando ius obſcurum eſt) Quia alia ratio eſt, quando vna opinio habet pro ſe determinationes expreſſas & rationes concludentes, quibus iudicio omnium bonorum non poteſt ſufficienter reſponderi. Si quis contra dictam cõcluſionẽ obijciat. In dubijs tutior pars eſt eligenda c. Iuuenis de ſponſalibus. Ergo quando duæ ſunt ſentẽtiæ, quarum vna affirmat aliquem actum eſſe licitum: altera eundem damnat; poſterior amplectẽda eſt. Reſpondetur cum Conrardo Nauar. & alijs quod in primis cõſilij hoc ſit in rebus agendis, niſi aliud pręceptum vrgeat. Deinde intelligitur in his, quæ ſic ſunt dubia, quod illa opinio, quæ minus tuta eſt periculo ſubeſt probabili peccati, vtpote non ſatis fundata. Alia ratio eſt, quãdo nullo periculo ſubeſt, ſed probata & fundata à bonis & doctis auctoribus. Quiſque enim tenetur in rebus agibilibus eligere id quod tutum eſt, non tamen id quod tutius eſt.

*Octaua Concluſio.* Qui in rebus & actibus dubijs

dubijs conſulit malæ conſcientię peritos,nõ excuſatur, ſi erret. Panor.& Aretin.in c.propoſuiſti de probat. Feli.in d.c. De quarta nu. 27. Raphaël. Fulgo.in L.Iuris.C.Qui admitti ad bonorum poſſeſſionem poſſunt per L. Quod ſi nolit.§.Si mancipium cum Gloſſ.ff. de Edilit. edict. Eadem eſt ratio ſecundum Felin. & rectè ſi quis conſulat indoctum.

*Dubium hic eſſe poteſt.* Quot D D. quis cõſulere teneatur ad hoc, vt excuſetur. Reſpõdetur paucis, ſi quis in rebus mediocris momẽti conſulat vnum Doctorem bonæ cõſcientię & auctoritatis notabilis excuſatur, quando in loco plures non ſunt, nec facile haberi poſſunt: Alias ſi in loco plures ſint, & commodè haberi poſſint, quãdo res arduæ ſunt, plures adhibendi ſunt. Pro hac reſponſione faciunt in primis, quæ dicit S. Antonin.1. pa. tit.3.c.10.§.10. ex mẽte Alberti magni, quod ſimplex frater, aut quilibet homo cũ ſalute poteſt ſequi in cõſilijs quamcunq; opinionẽ voluerit, dũmodo alicuius Doctoris magni opinionẽ ſequatur. Pro hac reſponſione etiã ſunt, quod Bald. in d. L. Iuris putat tantum habendum conſilium à duobus peritis per c. ſtatutum §.1.ibi peritorum copia. de reſcrip. in 6. Ad idem propoſitum multa adducunt Panorm. præſertim & Felin. in c.propoſuiſti cũ alijs de probat.& apoſtilla in d.c.apud Panor. Barto.in L.1.§. 1. de ventre inſpiciendo.

Nauar.

Naua.in d.conſ.20.pro eadem confirmatione ſunt, quæ Gloſſ. Panor.& alij in c.Capellanus de ferijs adferunt. Ad argumenta, quæ in contrarium contra principalem quæſtionem facere videtur, reſpondetur. Ad primū, quod regulariter quidem ignorantia iuris clari non excuſet, prout traditum eſt: alia vero ratio eſt in dubijs. Ad ſecūdum eadem eſt fere reſponſio, quando clarum eſt, quod ius ſit naturale & diuinum, ignorantia non excuſat, quamuis Adrian. quodl.4.artic.1.in L.N.& alij quidem exiſtiment, quod ignorantia tantum excuſet in iure poſitiuo, ſed non ſatis hoc dictum confirmatur. Cum Innocent.in c.Firmiter nu.70.de ſumma Trinit. dicat, quod qui ratione naturali ductus credit patrem maiorem eſſe filio in diuinis perſonis, nō peccet, modo habeat fidem implicitam credēdi ea, quæ credit Eccleſia Catholica. His accedit, quod eadem eſt ratio in agibilibus vt ita loquar; quæ in credibilibus. At in credibilibus eis, quæ ſunt iuris diuini, admittitur ignorantia inuincibilis: Cum in multis fuerint & ſint probabiles Doctorum opiniones, quibus vnuſquiſque ſine culpa adhæret, quamdiu ab Eccleſia Catholica aliter non eſt definitum. His additur quod ſi in apicibus iuris humani & poſitiui poteſt cōtingere error inuincibilis vt DD. teſtantur, multo magis in ſubtilitatibus iuris diuini &

natu-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

naturalis vt etiã Angel.Syluest.& alij in verb. Ignorantia volunt. Infirmi enim eſt ingenij exiſtimare in ſubtilitatibus iuris poſitiui errorem excuſare, nec locum eſſe excuſationi in concluſionibus à longe petitis ex principijs iuris naturalis aut diuini. Deinde in generali conſtantiſſimum eſt omnem contractum illicitum & vſurarium eſſe damnandum, quod iuris diuini eſt. Sed cum hac ſcientia in genere poteſt concurrere ignorantia in particulari, quod hic vel ille cõtractus ſit vſurarius. Scientia in genere, quod vſurarius contractus ſit illicitus non excludit dubium, an hic, vel ille contractus ſit vſurarius. Ad tertium patet etiam ex dictis. Hæc ſunt, quę nunc in mentem venerunt de vſurarum materia, quam propterea rectius depingere ſtatuimus, vt vſura ſubſtantiæ pauperum Chriſtianorum vorago, quæ auaritię peſſima ſoboles eſt melius cognoſcatur, & procul à finibus omnium fidelium, qui charitatem Dei & proximi poſſidere cupiunt, pellatur. Omnia in cõmentario huius tituli de Vſur. ſcripta iudicio Sanctæ matris Eccleſiæ ſubiecta ſunto.

*Laus* DEO, *Beatiſſimæ Virgini* MARIÆ, *& fœliciſſimæ coronæ ſanctorum ſanctarumq́ omnium.*

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google